





623.9

R34159









PHARMACOPOEA

NEERLANDICA.



BIBLIOTH.
COLL. REG.
MED. ROTTERD.


HAGAE COMITIS,

Typis Publicis.

1854.

Volgens art. 3 der wet van 12 Augustus 1849 (*Staatsblad* n^o. 36)
gewaarmerkt.

DE MINISTER VAN BINNENLANDSCHE ZAKEN,

A handwritten signature in dark ink, appearing to read 'Thorbecke', with a long, wavy flourish extending downwards from the end of the name.

PHARMACOPOEA NEERLANDICA.



LECTORI SALUTEM!

Quae a Medicis reperta sunt morborum et vulnerum remedia, ut salutari, quod spectamus, consilio respondeant, neque plus noceant quam prosint, utique instructa esse oportet dotibus medicantibus iis, quae genuinae sint et intaminatae. Hac tamen virtute aut carere possunt aut etiam privari remedia, tum quae Naturae arte parata sunt, tum quae hominum industriae debentur. Nimirum, quae ex utroque fonte proveniunt hominique ad morbos levandos vel profligandos concessa sunt praesidia, haud uno modo vitari possunt, sive Natura ipsa a rebus salubribus particulas noxias aut inertes non satis separaverit, sive artifices, qui in remediis parandis operam suam collocant, in his faciendis incongrua utantur methodo, sive quae bona et salubria sunt, deteriora fiant tempore, sive alio quocumque modo depraventur.

Hanc ob rem igitur et Medicis et rerum publicarum Gubernatoribus, quibus civium commoda curae cordique sunt, jam a longo inde tempore, persuasum fuit de necessitate constituendae certae cujusdam normae, publica

auctoritate sancitae, ad quam remedia, qualia in officinis pharmaceuticis prostant, parari debeant. Ut vero Codices pharmaceutici, quo nomine libros insigniri constat, qui hanc continent Politiae medicae partem, finem assequantur, in quem proxime destinati sunt, eos profecto et aliis dotibus excellere, et vero accommodatos esse oportet ad statum disciplinarum, quae omne continent rei pharmaceuticae fundamentum, aut quarum luce et auxilio opus est in indicandis praeceptis de legitima remediorum praeparatione.

In omni hoc disciplinarum genere praeclaros nostra aetate factos esse progressus, et universam earum rationem adeo mutatam esse, ut novam quasi videantur induisse faciem, nemo ignorat, nisi qui rerum, quae ad Naturae studia pertinent, prorsus sit ignarus. Quapropter minime miramur, codicem pharmaceuticum, qui Pharmacopoeae Belgicae titulo, ante hos viginti et quod excurrit annos, suprema auctoritate munitus, in patriae nostrae commodum prodiit legisque vim tulit, nec adeo esse omnibus numeris absolutum, quin secundis et repetitis curis indigere, nec Artis medicae et pharmaceuticae gravissimarumque, quae harum adjutrices sunt, disciplinarum conditioni, qualem nunc esse laetamur, adeo congruum esse, quin ad hanc prorsus refingi et castigari debere visus sit. Cui quidem peritiorum judicum sententiae, quâ tamen nihil detrahi cupimus libri istius praestantiae, suffragari placuit Regi optimo, civium suorum commodis prospicienti. Itaque Decreto regio, d. 21. m. Augusti 1842, n^o. 62, constitutum est, ut novus scriberetur Codex Pharmaceuticus, temporis nostri rationibus consentaneus et ad nuperos Pharmaceutices progressus accommodatus.

Hujus laboris perficiendi provincia ex eodem Decreto Regio, tum etiam altero, die 27 m. Septembris facto, nobis demandata est: *Antonio Henrico van der Boon Mesch; Gerardo Johanni Mulder; Nicolao Mulder; Guilielmo Henrico de Vriese; Antonio Johanni d'Ailly; Cornelio Pruys van der Hoeven, et Gerardo Conrado Bernardo Suringar.*

Hac nos Regia auctoritate muniti, ex voluntate Viri summi, qui Regi a consiliis intimis est, primum Hagae Comitum congressum habuimus die vicesimo secundo mensis Octobris anni 1842, ut de universa novae Pharmacopoeae scribendae methodo constaret et inter laboris socios conveniret. Quo quidem congressu, postea iterum iterumque habito, id effecimus, ut brevi post gravissimi nobis mandati laboris initium facere potuerimus.

In quo quidem opere exsequendo, quo simus versati modo, optime intelligetur, si paulo accuratius indicaverimus universam nostram scribendi rationem.

Et primum quidem ante omnia, cur latinam Pharmacopoeam scripserimus, paucis declarandum est. Non profecto ignoravimus difficultatem, quae nobis oritura erat in rebus chymicis aliisque, a veterum ingenio remotissimis, latine describendis; hanc autem aliasque, quae antiqui et obsoleti sermonis usui adversentur, causas longe superare videbantur, quae pro recepto more retinendo afferri posse argumenta opinati sumus. Nimirum chymicis, quae et Hollandice male sonant, exceptis, res caeterae, praesertim quae ad Botanicen pertinent, si non melius, brevius saltem, latino quam patrio sermone, indicari posse

videbantur, quum hactenus desideretur taxonomia et terminologia botanica, vernaculo sermone scripta et a Graecis, Latinis hybridisque nominibus libera. Idem fere valet de rebus ad animalium et fossilium historiam pertinentibus. Praesertim tamen finem spectandum esse opinati sumus, in quem Codex pharmaceuticus destinatur. Medici quippe et pharmaceutae, qui hoc libro utentur, in nostra utique patria, latinam linguam satis bene callent, aut lege saltem tenentur, ut quae latine sunt scripta, rite intelligere discant. Cujus quidem cognitionis in posterum exspectari poterit major perfectio, quum a Rege summisque, qui Regi consiliantur, Viris melior et perfectior requiratur pharmaceutarum ad eruditionem, doctrinam artemque institutio. Cui salutari consilio nos quidem aliquam partem opitulaturos esse existimavimus, si, Pharmacopoeâ latine scriptâ, denuo declararemus necessitatem diligentiae et industriae in sermonis latini studio collocandae, quippe quod optima saepe sit ad studia liberaliora, quae ab humanitate vocantur, praeparatio. Tandem hoc modo conferri posse visum est ad alendam, quae adhuc fuit, inter varias regiones et civitates, quarum plerisque placuit codices pharmaceuticos latine scribere, studiorum in hac doctrinae parte communionem, qua nostrates pharmaceutae aliorum laboribus, exteri autem si volupe fuerit, Pharmacopoea nostra facilius uti possint. Haec enim, licet nostris hominibus unice destinata sit, ut etiam extra patriae nostrae fines legi possit aut consuli, communis studiorum ratio, sive scientiae cosmopolitismus postulare videbatur.

Attamen quum usus docuerit ejusmodi libros, qualis Pharmacopoea est, plerumque brevi, postquam in lucem

prodierint, vel questus causa, vel ut indoctis consulatur, in linguam vernaculam verti, nobis quidem visum est et nostra et aliorum interesse, ne hoc aut praeter necessitatem aut forte perperam fiat. Quapropter ab auctoritate publica cavebitur ne aliis, quam ipsis hujus Pharmacopoeae scriptoribus, permittatur difficilis Libri in patrium sermonem transferendi labor, si eodem opus esse constiterit.

In generali Codicis pharmaceutici distributione eundem ordinem, quem Pharmacopoeae Batavae et Belgicae scriptores, tum etiam plerique exteri, secuti sunt, servandum esse putavimus. Igitur sectione prima materies pharmaceutica continetur, qualem, ex tribus Naturae regnis petitam, aliunde acquirit Pharmacopoeus nec ipse parare tenetur, ad cujus tamen notitiam criteriis indiget, quibus bona a pravis distinguere possit. Deinde sectione altera remedia recensentur chymicâ arte parata modusque describitur, quo parari debeant. Itaque in hac libri parte indicantur encheireses, quae vocantur, artisque adminicula varia, quibus remedia aut parantur, aut quibus indigent, ut usui aptiora fiant. Tertia denique sectione remedia continentur Galenica sive pharmaceutica dicta, in quibus describendis variam parandi methodum pro ordinis fundamento habuimus, ita ut deinceps describantur, quae aut encheiresi quadam mechanica, aut solutione, aut evaporatione, aut adminiculis aliis parantur; ultimo loco iis destinato, quae ad solum adhibentur usum externum. Quum vero, quae in hac sectione tertia describuntur, remedia componantur ex iis, quae in prima et altera sectione descripta sunt, fieri quandoque debuit, ut propter hanc solam causam, aut in suppellectilem pharmaceuticam aut

in remediorum chymicorum catalogum reciperentur quoque ea, quae sola aut rarissime usurpantur aut nunquam, sed quorum usus est in parandis quibusdam compositis.

Quod autem ad ordinem attinet singularem, in duabus prioribus Pharmacopoeae sectionibus adhibendum, nullam aliam normam, in statu, qualis nunc est, disciplinarum ad Naturae studia pertinentium, admittendam esse existimavimus, praeter eam, quae ab universa potius rerum natura et forma, quam quae a paucis quibusdam notis externis, ad intelligentiae humanae arbitrium, petitur. Ordinem hunc, scientificum dicunt, in singulis sequi conati sumus, tum in parte prima, pharmacognostica, tum in altera, quam vocavimus chymicam. Itaque res singulae, quae ex fossili, vegetabili, animali regno petuntur, eo indicabuntur ordine, qualem disciplinarum ratio, quae in horum corporum doctrina versantur, nostro, quod vivimus, tempore commendare videtur. Attamen tenendum est, nos in horum corporum descriptione, de industria omisisse res quasdam plerisque hominibus notissimas, ut sunt albumen, mel, cera, saccharum, alias. Simili modo in explicandis remediis, chymica arte parandis, eam secuti sumus methodum, quam praesens scientiae conditio postulat, ita ut, quae simplicia sunt, praemittantur compositis eaque, quae eandem aut similem naturam habent, ad eundem referantur ordinem naturalem. Hanc rationem secuti, hoc praesertim spectavimus, ut et Decreto Regio, et ipsis pharmaceuticae Artis progressibus, et vero artificum, in quorum gratiam Pharmacopoea scripta est, commodis satisfaceret. Si qui autem sint, qui chymiam recentiore aut systema plantarum naturale non satis

callentes, in Codicis usu difficultate quadam se impediri sentiant, quod initio praesertim fieri posse praevidemus, hos juvabit index, alphabetico ordine scriptus, singula remediorum nomina continens.

In nominibus remediorum hanc normam secuti sumus, ut primo loco ponatur nomen, quale ipsius scientiae ratio, post melius perspectam rerum naturam et naturalem, quae vocatur, corporum affinitatem, nunc postulat; deinde altero loco indicentur nomina chymica et pharmaceutica antiquiora sive synonyma, in praestantissimis Pharmacopoeis usitata, aut ad prius nomen illustrandum idonea, denique tertio loco memoretur nomen pharmaceuticum, quale in officinis adhiberi solet, quae quippe nomina et synonyma cognoscenda sint ab iis, qui remediis in veterum Medicorum scriptis, in exterorum libris vel in Codice quodam peregrino indicatis, in nostra patria uti cupiunt.

In describendis plantis aliisque rebus ad materiem pharmaceuticam pertinentibus, brevitati praesertim consultum est. Etenim Pharmacopoeae consilium praesertim hoc ferre opinati sumus, non ut commentarius exhibeatur in remediorum historiam naturalem, sed ut criteria indicentur maxime essentialia, quibus plantae aut partes plantarum descriptae ab affinibus possint dignosci. Praeter haec tamen, notas bonitatis, quas vocant, interdum memoravimus, quibus vera a spuriis, genuina ab adulteratis, bona a vitiosis commode distinguantur.

Si qui autem mirentur, in plantarum pharmaceuticarum descriptione rarius, quam in libris plerisque fieri solet,

mentionem factam esse de hominum fraudibus et artificiis, quibus res bonae commutantur cum alienis et spuriis, ab his sciri cupimus, ejusmodi adulteria in rebus pharmaceuticis ad vegetabile regnum pertinentibus, nostro tempore longe rariora esse, quam ab iis esse censentur, qui ad scriptorum potius auctoritatem, quam ex accurata rerum exploratione et autopsia, judicium ferre consueverunt.

Similiter in remediis chymica arte paratis hanc rationem secuti sumus, ut, descripto parandi modo, indicetur diagnosis et in hujus complementum memorentur quoque criteria, aut sensibus externis obvia, aut chymica arte elicienda, quibus factitia aut quocumque alio modo, per hominum ignorantiam vel ex illiciti lucri studio depravata, detegi possint et a genuinis discerni. Quo certius autem de legitimis rerum in hac codicis parte descriptarum, natura et dotibus constaret, rationem atomisticam elementorum simul addidimus, in hunc finem usi formulis empiricis, quales hodie a chymicae et pharmaceuticae artis cultoribus adhiberi solent.

Quod ad parandi modum attinet, optimam et simplicissimam encheiresin, Chymiae et Pharmaciae recentioris progressibus congruam indicare conati sumus. Attamen ut remedia, non ab uno artifice, sed a plurimis varioque tempore parata, semper aequalia essent, ideoque virtute sibi constarent, non nisi unam parandi formulam indicandam esse censuimus. Quodsi enim plures methodos ad remedia, praesertim efficaciora, paranda idoneas indicare libuisset, metus erat, ut evitari potuissent errores gravissimi, in hominum morbo afflictorum damnum redundantes.

Quum autem remedia non pauca, brevi postquam parata sunt, obnoxia sint corruptelae, ex elementis novas variasque, aut ob naturam suam, aut ob aëris lucisque vim, cui subtrahi nequeunt, metamorphoses subeuntibus, hanc quidem rem in singulis indicandam esse censuimus. Qua in re hoc praesertim spectavimus, ut Pharmaceutae sciant, qualia in officinis semper praesto esse, qualia autem aut saepius parari oporteat, aut tunc fabricanda sint, quum ad usum desiderantur. A signis autem, naturam remediorum spectantibus, abstinendum esse existimavimus. Sic v. c. nec heroica remedia aut venena, quae vocantur, adjecta quadam nota indicavimus, nec doses notari posse putavimus, ultra quas efficaciora remedia exhiberi non liceat. Tandem vero a libri ingenio prorsus alienum nobis visum est, ubicumque vires medicatas rerum pharmaceuticarum indicare. Quod quo consilio ab aliis factum sit, ignoramus.

In faciendo selectu remediorum, quae in Codicem reciperentur, aut a nobis omitterentur, vix opus est monere, nos magnam expertos esse difficultatem. De pretio enim singularibus remediis habendo judicia mirifice varia et vel diversissima esse, nemo ignorat. Nobis quidem persuasum erat, pharmacopolia potius copia quam inopia laborare, ita ut plura nobis exulare, quam addi debere viderentur. Quo melius autem in re gravissima tantique momenti, Artis nostrae civiumque commodis consuleremus, laboris sociis hoc ratum visum est, ut, suffragante et auxiliante Viro Excellentissimo, Ministro Regio, qui regni res interiores curat, Collegia res medicas in singulis provinciis curantia, invitarentur ad conficien-

dum indicem medicamentorum, quae in quavis patriae nostrae provincia maxime in usu sint, sive in Pharmacopoeam Belgicam, qua hactenus usi sumus, recepta fuerint, sive in eâ non memorentur, aut memorari potuerint. Cui invitationi quum opportuno tempore satisfactum sit, nos quidem catalogis istis instructi et sic praeparati, difficillimum laborem nostrum perficere potuimus. Attamen praevidemus fore, ut in Pharmacopoea nostra alia desiderentur, alia praeter necessitatem in eam recepta esse iudicentur. Quod quidem vix aliter fieri poterit, quum plurima sint remedia, de quorum virtute therapeutica vix satis constet, multique artifices sint, qui, quas saepe praescribere consueverunt, prae aliis laudent res medicatas. Nos quidem singula tam ad rationis quam ad experientiae lancem ponderanda esse existimavimus, sic tamen ut huic primae tribuerentur partes, et in hujus gratiam subinde in Pharmacopoeam reciperentur remedia aut parandorum remediorum formulae, diuturno usu comprobatae, licet Chymiae et Artis pharmaceuticae praeceptis minus congruae viderentur. Medicamenta quaedam alia recipienda esse existimavimus, non quia satis de eorum praestantia constare videbatur, sed quia nostro tempore et a nostris hominibus frequenter adhiberi coepta sunt. Quod v. c. valet de herba Galeopsidis et de foliis Juglandis regiae. Alia contra omitti debuerunt, vel quia abundare nobis visa sunt, vel quia nullam vim singularem possidere videbantur, vel etiam, quia parari quidem, non autem servari possunt. Propter hanc postremam causam, ne de aqua florum Tiliae aliisque rebus minoris momenti dicamus, omissum est Joduretum ferri, cujus quippe elementa brevissimo tempore divortium subire et nova connubia

facere, inter Artis peritos constet. Attamen praescribendo Syrupo Jodureti ferri curavimus, ne efficacissimo hoc remedio prorsus destituti sint artifices Medici. Quum de singulis referre aut singulorum causam dicere nequeamus, haec pauca jam exempla sufficiant, ut Lectoribus persuadeatur, nos minime pro tumultuario voluntatis arbitrio, sed post attentam demum rerum considerationem, de remediis in codicem aut recipiendis aut ex eo excludendis constituisse. Quod etiam dictum sit de rebus pharmaceuticis compositis, quae Galenica vocantur, in quorum quidem catalogum praeter ea, quae in omni pharmacopolio desiderantur, recepimus pulverem Doveri et alia composita usitatissima, non autem recipienda esse existimavimus decocta singularia, quale v. gr. a Zittmanno nomen habet, aut infusa, aut pilulas, aut eclegmata, aut alia.

In ponderum pharmaceuticorum ratione, qualia nunc in usu sunt, nulla mutatione opus esse, arbitrati sumus. Attamen congruum nobis visum est, ut mensurarum quoque, ubi has in computum vocari necesse est, habeatur ratio. Praeter ea Tabulam synopticam Pharmacopoeae addidimus, ex qua appareat ratio tum inter pondus pharmaceuticum ex Decreto Regio d. d. 30 Nov. 1817 receptum, novique systematis metrici partitionem, tum inter nostra pondera pharmaceutica et ea, quae in Pharmacopoeis aliis memorantur. In simili Tabula synoptica indicatur ratio inter pondus specificum et areometrum, tam Beaumeorum quam Pharmaceuticum.

Tandem, ut verbo jam diximus, in indice rerum

alphabetico indicavimus remediorum nomina et synonyma in ipso codice memorata, quo facilius, indicatâ simul libri paginâ, descriptio eorum et parandi modus ab iis, qui libro utentur, inveniri et consuli possint.

Dedimus Lugduni-Batavorum,
die XIII m. Decembris MDCCLXXV.

A. H. VAN DER BOON MESCH.

G. J. MULDER.

CL. MULDER.

W. H. DE VRIESE.

A. J. D'AILLY.

C. PRUYS VAN DER HOEVEN.

G. C. B. SURINGAR.

LECTORI SALUTEM !

Quae exeunte anno hujus seculi quadragesimo quinto a nobis scripta sunt, etiamnum sufficere videntur, ut libri, quem communi industriâ et conjunctis laboribus feliciter absolutum esse gaudemus, universa declaretur natura et ratio. Quapropter hanc novam, quae nobis nata est, opportunitatem praefandi vix desideravimus, eâque hoc solo consilio utimur, ut declarem Lectoribus, nos noluisse deesse occasione, quam nobis, in literis a se datis die 21 m. Augusti hujus anni obtulit Vir Ill. et Excell. Minister Regis, qui rebus internis Regni nostri praeest, codicem pharmaceuticum, jam ante tres annos a nobis absolutum, denno, si opus esse videretur, postremis inventis augendi vel emendandi, priusquam legis vim nancisceretur et typis exseriberetur. Sic igitur accuratissime laborem nostrum retractare, eique alteras euras impendere lieuit, ut jam emendarentur et perficerentur, quae correctione quâdam indigere videbantur. Itaque

speramus fore, ut harum rerum intelligentes, quo diutius librum hunc desideraverint, eo magis comprobaturi sint diligentiam atque industriam in eodem exarando, tum primâ tum alterâ vice, a nobis collocatam.

Dedimus Lugduni-Batavorum,
die XIII m. Decembris MDCCCXLVIII.

A. H. VAN DER BOON MESCH.

G. J. MULDER.

CL. MULDER.

W. H. DE VRIESE.

A. J. D'AILLY.

C. PRUYS VAN DER HOEVEN.

G. C. B. SURINGAR.

PHARMACOPOEAE ORDO ET ARGUMENTUM.

<i>Praefatio</i>	I
<i>Praefatio altera</i>	XIV
<i>Pharmacopoeae ordo et argumentum</i>	XVII
I. <i>Materia pharmaceutica</i>	I
1. <i>Fossilia, sive corpora anorganica.</i>	I
a. <i>Metalloidea.</i>	I
b. <i>Corpora metallica.</i>	5
c. <i>Oxyda</i>	15
d. <i>Oxy-acida anorganica.</i>	20
e. <i>Hydro-acidum</i>	23
f. <i>Sulphureta.</i>	24
g. <i>Chloreta.</i>	27
h. <i>Cyaneta.</i>	29
i. <i>Sales amphigenii.</i>	31
2. <i>Index rerum mercabilium e regno vegetabili.</i>	48
<i>Corpora e regno vegetabili.</i>	49
3. <i>Index rerum mercabilium e regno animali.</i>	161


	<i>Corpora e regno animali.</i>	162
II.	<i>Praeparationes chymicae</i>	178
A.	<i>Corpora anorganica</i>	178
1.	<i>Elementa.</i>	178
a.	<i>Metalloidea</i>	178
b.	<i>Metalla</i>	182
2.	<i>Corpora composita.</i>	186
c.	<i>Oxyda.</i>	186
d.	<i>Oxy-acida</i>	198
e.	<i>Hydro-acida</i>	203
f.	<i>Sulphureta</i>	206
g.	<i>Sales haloïdei</i>	216
a.	<i>Chloreta.</i>	216
b.	<i>Iodeta</i>	240
c.	<i>Cyaneta</i>	246
	<i>Sales amphigenei</i>	252
h.	<i>Oxy-sales.</i>	252
a.	<i>Sulphates</i>	252
b.	<i>Nitrates</i>	266
c.	<i>Phosphates.</i>	276


d.	<i>Hypochlorites</i>	278
e.	<i>Carbonates</i>	283
f.	<i>Arseniites</i>	292
g.	<i>Sulpho-sales</i>	294
B.	<i>Corpora organica</i>	299
a.	<i>Bases vegetabiles, seu elementa plantarum alcaloidea</i>	299
b.	<i>Acida organica</i>	307
c.	<i>Sales cum acidis organicis</i>	316
d.	<i>Sales cum basi vegetabili</i>	327
e.	<i>Sapones</i>	336
f.	<i>Materies neutrae</i>	339
g.	<i>Aetheres</i>	344
h.	<i>Producta destillationis siccae</i>	352
III.	<i>Medicamenta pharmaceutica, vulgo Galenica dicta</i>	355
a.	<i>Medicamenta operationibus mere mechanicis obtinenda</i>	355
a.	<i>Pulveres compositi</i>	355
b.	<i>Gummi-resinae depuratae</i>	358
c.	<i>Pulpae</i>	358
d.	<i>Olea pinguia</i>	359

- b. *Medicamenta solutione aut perfecta aut partiali paranda.* 361
- a. *Solutiones aquosae.* 361
- a. *Mucilagines.* 361
- b. *Emulsio.* 362
- c. *Infusa et decocta.* 362
- b. *Solutiones acetosae.* 365
- c. *Solutiones vinosae.* 367
- d. *Solutiones alcoholicae.* 371
- e. *Solutio aetherea.* 377
- f. *Solutio oleosa.* 380
- c. *Medicamenta solutione partiali et menstrui evaporatione obtinenda.* 378
- a. *Extracta.* 378
- I. *Expressione paranda.* 380
- II. *Maceratione frigida paranda.* 382
- III. *Infusione aquosa calida paranda.* 386
- IV. *Maceratione alcoholica frigida paranda.* 388
- V. *Digestione alcoholica calida paranda.* 389
- VI. *Maceratione aetherea paranda.* 391
- VII. *Coctione in aqua pluviali paranda.* 392

b.	<i>Resinae</i>	397
d.	<i>Medicamenta cum saccharo confecta</i>	398
a.	<i>Trochisci</i>	398
b.	<i>Conservae</i>	399
c.	<i>Electuarium</i>	400
d.	<i>Gelatinae</i>	400
e.	<i>Rob</i>	402
f.	<i>Syrupi</i>	404
g.	<i>Mel et cum melle confecta</i>	409
h.	<i>Oxymella</i>	410
e.	<i>Medicamenta destillatione paranda</i>	411
a.	<i>Olea aetherea</i>	411
b.	<i>Aquae destillatae aromaticae</i>	415
c.	<i>Spiritus destillatione parati</i>	417
f.	<i>Medicamenta ad usum externum</i>	400
a.	<i>Axungia</i>	422
b.	<i>Unguenta</i>	422
c.	<i>Emplastra</i>	430
IV.	<i>Præcipuorum ponderum Europaeorum medicinalium ratio ad pondus medicinale Batavum</i>	437

- V. *Praecipuorum ponderum medicinalium Europaeorum ratio.* 440*
- VI. *Tabula, in qua densitas liquorum aquâ leviorum comparatur cum gradibus areometri pharmaceutici et Beaumani.* 441
- VII. *Tabula, in qua densitas liquorum aquâ ponderosiorum comparatur cum gradibus areometri pharmaceutici et Beaumani pro liquoribus aquâ gravioribus.* . 444
- VIII. *Tabula, in qua pondus specificum alcoholis, caloris gradu + 15° C., cum partibus centesimis in volumine alcoholis secundum alcoholometrum Gay-Lussacii comparatur.* 446
- IX. *Tabula, in qua scalae thermometrorum Fahrenheitii, Reaumurii et Celsiusii comparantur.* 449
- X. *Index alphabeticus nominum et synonymorum.* . 456





I. MATERIA PHARMACEUTICA.

I. FOSSILIA SIVE CORPORA ANORGANICA.

a. METALLOIDEA.

~~~~~

#### SULPHUR VULGARE.

#### SULPHUR FACTITIUM.

#### *SULPHUR IN BACULIS.*

Sulphur in variis montibus, praecipue vero vulcanicis, reperitur. Quale inter merces pharmaceuticas prostat, duplicis est originis: vel sublimatione sulphuris nativi acquisitum est, ideoque purgatum a corporibus alienis admixtis, vel ex sulphuretis metallicis, praecipue ex sulphureto ferroso nativo, ope ignis, variis modis paratum est.

Corpus est solidum, inodorum, insipidum, fragile, fracturâ splendens, colore citrinum, quod in aëre non mutatur, sed accensum flamma comburitur coerulea, nullis relictis cineribus. Liquefit ad gradum 108° C. Est plane solubile in solutione hydratis kalici. Ex hac solutione, acidis affusis, praeceptus datur sub forma lactis sulphuris. Solvitur oleis tam pinguibus, quam aethereis. Vini spiritus et aether vix aliquam solvendi vim in sulphur exercent.

Prostat tum in massis, tum in baculis subcylindricis.

Est abstinendum a sulphure, quod ferrum, gypsum,

aliaque inquinamenta continet, et *Sulphuris caballini* nomine insignitur.

## SULPHUR SUBLIMATUM VENALE.

### *FLORES SULPHURIS VENALES.*

In officinis technicis, quae vocantur, praeparatur sulphuris sublimatione, vasis clausis, in majori caloris gradu, scalae Celsianae 316.

Est pulvis subtilis, floccosus, coloris citrini, tactu laevis et aequabilis, coeruleâ ardens flammâ, vapore suffocante, irritante, non alliaceo. Acidum sulphurosum, sub sublimatione ortum, dein in acidum sulphuricum aëris ope mutatum, saepissime floribus adhaeret. Hac de causa non tantum sulphur sublimatum chartam coeruleam rubram reddit, verum etiam ex aëre aquam attrahit.

Sulphuretum arsenici in sulphurè contentum, ut aliquoties accidit, huic praebet colorem rubescentem vel subaurantiacum. Si vero minori copia adest, sulphuris color non apparet mutatus. Itaque est indagandum, num sulphur, cum ammonia causticâ calefactum, solutionem praebet flavam, ex qua acidum hydrochloricum copiosius additum praecipitet arsenicum sulphuratum flavum, solubile in excessu ammoniae. Si de arsenici praesentia hac methodo non constet, liquidum ad siccitatem fere evapora, iterum admisce ammoniaem et acidum hydrochloricum instilla; quo facto vel minima arsenici portio detegi poterit.

A sulphure autem sic inquinato sedulo abstinendum est.

## PHOSPHORUS VENALIS.

Phosphorus venalis in officinis majoribus paratur ex animalium ossibus, quorum sal phosphoricus decomponitur

acidi sulphurici ope. Acidum vero phosphoricum impurum, hac ratione liberatum, decomponitur carbonis auxilio.

Sunt bacilli cylindrici, subflavi, in frustulis minoribus pellucidi, instar cerae albae nitentes, qui in vulgari aëris calore scindi possunt, et in tenebris lucent. Temporis vi semper teguntur pellicula albida, subaspera. Gradu caloris  $42-43^{\circ}$  C. liquefiunt. In vulgari caloris gradu ex aëre mox oxygenium attrahunt, surguntque vapores albi, odoris alliacei, acidi. Hanc ob causam sub aqua destillata eos servari oportet. Facile accenditur phosphorus et flamma lucidissima comburitur.

Phosphorus non solvitur aqua, sed utique alcohole, aethere atque oleis.

Cave ne loco servetur phosphorus, quo lucis radii accedere possint.

Inquinamenta phosphori varii sunt generis. Ex praeparatione male institutâ, vel etiam facta adulteratione, insunt aliquando phosphas calcicus, carbonis frustula et carbonas calcicus. Cujusmodi inquinamenta jam apparent, si phosphorus scinditur, edito strepitu. Porro deteguntur liquando phosphorum. Nonnumquam vero phosphorus continet sulphur. Hoc in casu bacilli sunt multo fragiliores, et colore gaudent intensiore. Hunc phosphorum coque cum acido nitroso-nitrico, ita ut orientur acidum phosphoricum ac sulphuricum. Tum fiat exploratiô chlreti barytici ope et investigetur, num praecipitatum sit solubile in acido hydrochlorico, necne.

Inquinatio cum arsenico, nata ex acido sulphurico acidum arsenicosum continente, quale ad praeparationem in officinis chymicis majoribus inserviit, detegitur apparatu *Marshii*.

Hunc in finem digere phosphorum cum acido nitrico, deinde evapora ad siccitatem et solve in aqua destillata. Hanc solutionem, ex methodo plerisque notissimâ, explora in apparatu *Marshiano*.

Abstinendum est a phosphoro, qui arsenicum continet, non tantum in therapeutico usu, verum etiam in pharmaceutico, in praeparando acido phosphorico.

## IODIUM.

### IODUM. IODINUM. IODINA.

In officinis technicis praesertim Franciae et Angliae Iodium paratur e natri speciebus, quae vulgo *Varec* sive *Kelp* vocantur, quas quippe cum acido sulphurico et bioxydo manganico nativo misceri et postea destillari constat.

Prostat sub forma squamarum, quae colore praeditae sunt cinereo-nigro, et nitore splendent metallico, graphitem aemulante. Sunt molles, friabiles, in lamellulis tenuissimis subdiaphanae, rubicundae, odore proprio, chlorico non plane absimili; sapore austero, gutturali, persistente. Liquescit iodium ad  $107^{\circ}$  C. vaporesque praebet pulchre violaceos, qui frigore coacti crystallos praebent minores. Evaporatur facilius praesente aqua, quam siccum. Cutim tingit colore fusco, non persistente. Ponderum specificum est 4,948. In aqua pura, praesertim frigida, difficulter et admodum parva copia solvitur, ita ut fiat liquor luteo-fuscus. Cum decem alcoholis partibus tincturam exhibet rubro-fuscam. Solvitur itidem aethere. Iodii portiones minimae tingunt amyli decoctum colore pulchre coeruleo aut violaceo, qui aucta iodii additione fit intensior, immo nigro-violaceus.

Servetur in lagenulis bene clausis.


Venumdatur iodium aqua humectatum, pondus ut augeatur. Detegitur pressione leni intra chartam bibulam, quae mox humectatur. Iodium aqua inquinatum praeterea promptius agit in amyllum plane siccum, quam iodium purum. Inquinationes cum graphite, bioxydo manganico,

carbone, scisto argilloso, oxydo ferroso-ferrico, facile deteguntur tum habitu externo, tum solutione in alcohole, qui haec omnia insoluta relinquit.

Salem culinarem, qui nonnumquam iodio inhaeret, detege affundendo aquam frigidam, absque concussionem vel tritura; post moram sal solvitur et criteriis chymicis, aqua evaporata, facile agnoscitur.

Tandem evaporatio adhiberi potest ad detegenda iodii inquinamenta, quae ex graphite aliisque sunt, qualia quippe sic restare constat.

## b. CORPORA METALLICA.



### FERRUM PULVERISATUM.

#### LIMATURA FERRI.

Ex diversis corporibus fossilibus, ferrum cum oxygenio junctum continentibus, in opificiis metallurgicis, ope carbonis reducendum, obtinetur metallum, quod in iisdem opificiis, methodo varia, aliquomodo purgatur. Ista autem hujus metalli species, quae ferrum tusum vocatur, ope limae in pulveris formam reducatur.

Particulae sunt splendentes, metallicae, coloris grisei, durae et tamen malleabiles, pond. spec. 7,786—7,790. Magneti obediunt. Ex aëre oxygenium attrahunt, et rubigine obteguntur. Admixto acido sulphurico diluto aut hydrochlorico solvuntur et gas hydrogenium expellitur. Solutio viridis ab hydratis kalici solutione albo colore, mox in aëre viridescente et fusco, a cyaneto kalico-ferroso albo mox coerulescente colore, a cyaneto kalico-ferrico coeruleo colore praecipitatur.

Ferrum pulverisatum venale fere totum acidis solvatur, ejusque recens solutio, addito acido hydrosulphurico, nigrescentem colorem vel nigrum sedimentum minime exhibeat.

## ZINCUM.

### ZINCUM VENALE.

### STANNUM INDICUM.

E zinci mineris, praecipue ex lapide calaminari et zinco sulphurato, ope torrefactionis et distillationis cum carbonibus paratur, tum etiam in quibusdam officinis, ubi quaedam cupri aut plumbi minerae reducuntur, simul obtinetur. Hisce temporibus in officinis chymicis nova distillatione et tractatione cum nitrate kalico aut sulphure purgatur. Haec purgati metalli species *Zincum destillatum* vocatur.

Metallum pond. spec. 6,8 — 7,2, splendens, e griseo album et aliquomodo coerulescens, durum, subductile, non facile in pulverem commutandum. Antequam incandescit, funditur et, calore ad albedinem aucto, in vasis clausis in vapores abit. Cum aëris imprimis humidi oxygenio sese facile conjungit et splendorem metallicum amittit; cum flamma ex albo viridescente et splendente comburitur, dum flocci oxydi zincici nascuntur. Ab acidis sulphurico diluto, nitrico, hydrochlorico facile solvitur, qualis solutio neutra facta ab hydrogenio sulphurato et hydratis kalici solutione albo colore praecipitatur, dum posterius sedimentum majori addita hydratis kalici solutionis copia solvitur. Zincum Indicum et Silesiense venale purius est caeteris speciebus, quae plerumque ferrum, cuprum, arsenicum et nonnullae etiam parvam cadmii portionem continent.

Hujus metalli puritas etiam exinde patet, quod ejus solutio acida ope hydrogenii sulphurati praecipitatum fuscum, nigrum, vel flavum non deponit, et quod sedimentum a cyaneto kalico-ferroso ortum postea vix coeruleseentem colorem ostendit. Ubi autem addito acido hydrosulphurico sedimentum flavum ortum est, hoc ammoniâ liquidâ minime solvatur. Acido nitrico totum solvatur et pulverem album minime relinquat.

## CADMIUM.

### KLAPROTHIUM. MELINUM.

In officinis metallurgicis e mineris zinei, quae illud continent, separatur, dum vapores metalli primum reducti separatim colliguntur et metallum receptum denuo destillatur. Paratur etiam in officinis chymicis e zinco, eoque oxydato; vel e zinei mineris, ope acidi sulphurici, hydrosulphurici, acidi hydrochlorici, sesqui-carbonatis ammonici et reductionis cum pulvere carbonis subtilissimo; vel tandem solvendis mineris in acido hydrochlorico, solutione ope ferri purganda, et reductione in vase platinico ope laminarum zinci.

Est splendens, coloris ex albo grisei, zineo mollius, ductile, strepitum, ubi flectitur, edens, pond. spec. 8,69—8,70, structurae fibrosae. Antequam ineandeseit, funditur et intensiore calore in vasis clausis in vapores mutatur. Ex aëre imprimis humido oxygenium arripit et splendorem amittit; ineandescens in crucibulo aperto vapores luteos emittit. A plerisque acidis difficulter solvitur, expulso gas hydrogenio, facillime autem ab acido nitrico, qualis solutio limpida est, non colorata; perducto hydrogenio sulphurato, sedimentum flavi coloris; in ammonia

liquida insolubile, dimittit, ab alcalibus et carbonatibus alcalinis albo colore praecipitatur; sedimentum sic ortum ab ammonia abundante, non vero ab hydratis kalici solutione solvitur, et solutio addito zinco cadmium metallum dimittit.

E descriptis proprietatibus cadmii puritas jam apparet; sed operae pretium est addere, quod ejus in acido nitrico solutio solutione chromatis kalici non praecipitari debeat, et quod, acido hydrosulphurico satis perducto et sedimento flavo separato, liquor nullum salem metallicum contineat.

## STANNUM.

### JUPITER.

Stannum praecipue in India orientali, Anglia et Germania ex oxydo aliisque mineris reductione ope carbonis separatur. Metallum est albi et argentei fere coloris, ductile, molle, cum stridore flexile, fracturae hamatae, pond. spec. 7,291 — 7,299. In laminas tenuissimas converti potest, et calore leni funditur. Aëris oxygenium lente attrahit, celerius vero, quando fusum est, et nunc in pulverem griseum mutatur. Ab acido hydrochlorico et sulphurico calefactis lente solvitur; acidum vero nitricum illi quam celerrime oxygenium cedit, ita ut oxydum album in acidis insolubile relinquatur. Solutio in acido hydrochlorico, addito acido hydrosulphurico, sedimentum e rubro fuscum, addito chloreto aurico, multa aqua diluto, praecipitatum fusci aut purpurei coloris exhibet.

Stannum ex Malacca aut Banca allatum et Anglicum, quod optimae notae vocatur, praeferenda sunt speciebus aliis, quales ex Germania allatae, aut ad utensilia destinatae, impurae sunt, ita ut majorem minoremve bismuthi, plumbi, ferri, cupri et arsenici portionem contineant.



Itaque liquor ab oxydatione stanni, acidi nitrici puri auxilio factâ, residuus, cum ammonia fere neuter factus, addita aqua vel sulphatis natrici solutione non albo colore praecipitetur, addita solutione cyaneti-kalico-ferrosi sedimentum coeruleum non praebeat, multâ ammoniâ colore coeruleo non tingatur. Gas hydrogenium, quod sub stanni solutione in acido hydrochlorico expellitur, per tubum vitreum, quodam loco ope lampadis alcoholicae rubescentem, perductum, annulos metallicos splendentes, qui aut arsenici aut antimonii proprietates ostendunt, non relinquat. Ab acido hydrochlorico totum solvatur.

## PLUMBUM.

### SATURNUS.

In officinis metallurgicis ex variis hujus metalli mineris, veluti carbonate plumbico, lithargyro aut sulphureto plumbico, diversis operationibus separatur. Metallum splendens, ductile, molle, coloris e griseo coerulescentis, pond. spec. 11,31 — 11,45 et chartam griseo colore tingens. Fuuditur jam leni calore. Ex aëre oxygenium facile attrahit et pellicula grisea obtegitur; diu calefactum in vase aperto relinquit pulverem cinereum. Ab acido nitrico facile solvitur. Solutio limpida est, non colorata, quae acido hydrosulphurico colore e fusco nigro, sulphatis natrici solutione colore albo praecipitatur. Carbonatis kalici et cyaneti kalico-ferrosi solutio sedimentum album ex ea protrudit, dum prius in hydratis kalici solutione solvitur.

Totum in acido nitrico solvatur, neque pulvis albus relinquitur. Liquor residuus, e quo omne plumbi oxydum ope sulphatis natrici solutionis depositum est, prudenter admixta hydratis kalici solutione, non rursus praecipitetur.

## BISMUTHUM.

## MARCASITA.

Bismuthum reperitur nativum in variis montibus, et e diversis mineris in officinis metallurgicis obtinetur. Metallum album, argenteum, leviter rubescens, nitens, fragile, texturae lamellaris, octaëdricas crystallos aliquando rhombicas ostendens, pond. spec. 9,85 — 9,89. Funditur leni igne, fortiori in vasis clausis in vapores abit. Aëris oxygenium lente arripit, celerius cum eo jungitur, ubi fusum aëris vim experitur, et in pulverem griseo-fuscum mutatur. Candens flammâ coeruleâ comburitur. Ab acido hydrochlorico lente solvitur, erumpente gas hydrogenio; ab acido sulphurico concentrato calido, dum acidum sulphurosum expellitur; ab acido nitrico facile solvitur, et solutio limpida, non colorata, additâ multâ aquâ albo colore, addito acido hydrosulphurico colore fusco-nigro, solutione hydratis kalici albo et iodeti kalici fusco colore praecipitatur. Cupro aut zinco reducitur.

Solutio hujus metalli in acido nitrico, cum multa aqua diluta, et a sedimento sic orto separata, neque chromatis kalici solutione flavo colore, neque cyaneti kalicoferrosi solutione fusco aut coeruleo colore praecipitetur. Eodem modo, quo stannum, exploretur, utrum arsenicum contineat necne.

## CUPRUM.

## VENUS. AES.

E diversis hujus metalli mineris, oxydulo, carbonate cuprico, sulphureto, variis rationibus paratur; tum etiam

obtinetur e solutione sulphatis cuprici ex oxydato sulphureto orti, ope ferri. Metallum splendens, rubrum, valde ductile, durum, pond. spec. 8,72 — 8,87. Calore intenso funditur. Ex aëre humido oxygenium arripit, ignitum flamma viridi comburitur, et in oxydum nigrescentis coloris mutatur. A multis acidis, accedente aëre, oxydatur, sed ab acido nitrico frigido, et acido sulphurico concentrato calido solvitur. Solutiones sunt coeruleae aut virides, quae acido hydrosulphurico nigrescente colore, solutione carbonatis kalici coeruleo-viridi, solutione cyaneti kalico-ferrosi fusco-rubro praecipitantur, et multa addita ammonia colorem laete et intense coeruleum accipiunt. Ope zinci, plumbi, aut ferri cuprum reducitur.

Ab acido nitrico totum solvatur, et sedimentum ope ammoniae ortum, addita majori hujus menstrui portione, plane solvatur.

## HYDRARGYRUM.

### ARGENTUM VIVUM.

### MERCURIUS VIVUS.

Nativum reperitur et destillatione aut lotione a saxis separatur, vel e sulphureto hydrargyrico nativo, ope ferri aut calcis, destillatione obtinetur. Metallum fluidum, splendens, coloris argentei, globulis exacte sphaericis currens, pond. spec. 13,5 — 13,6. Caloris gradu 360° C. ebullit et in vapores abit, fortiter refrigeratum durum fit. Cum corporibus pulverisatis aut axungia diu contritum in pulverem nigrescentem mutatur, iisdem autem expulsis partim rursus fluit. Communi aëris calore jam aliquomodo et lentissime in vapores mutatur, sed oxygenium ex aëre non arripit; calefactum vero in apparatu idoneo, cui aër

accedit, lente cum oxygenio se jungit et in pulverem nigrum, mox rubrum, mutatur. Plerisque acidis non solvitur, facile autem acido nitrico frigido; cum acido sulphurico calefactum protrudit gas acidi sulphurosi, et in salem, sulphatem hydrargyricum, convertitur. Ejus solutiones, prout oxydum hydrargyrosum aut hydrargyricum continent, variis distinguuntur proprietatibus. Priores cum acido hydrosulphurico sedimentum nigrum, cum hydrate kalieo nigreseens, cum chloreto natricio album deponunt. Solutiones vero oxydum hydrargyricum continentes parva portione acidi hydrosulphurici, colore fusco, mox albo, magna contra, colore nigro, additione hydratis kalici colore flavo-rubro, et iodeti kalici solutione colore scarlatino praeceipitantur. A cupro hydrargyrum reducitur.

Hydrargyrum venale plerumque alia metalla, veluti plumbum, bismuthum, zincum aut stannum continet. Ejusmodi hydrargyrum habitu externo jam dignoscitur, dum lentius fluit, fluens globulos elongatos format, corpora lamellâ metallicâ tingit, ejus superficies planior est et cuticula grisea aut nigreseente obtecta cernitur, dum in lagena conquassatum metallum pulvere nigro magis magisque obtegitur. Neque acido aetico neque sulphurico frigido hydrargyrum aliquo modo solvatur, et ope caloris totum in vapores abeat. Metallum venale impurum nova destillatione vel potius tractatione cum acido nitrico diluto frigido purgetur.

## ARGENTUM.

### ARGENTUM CUPELLATUM. LUNA.

E diversis mineris obtinetur, sive tractatione cum plumbo, plumbi mineris et ferro, sive amalgamatione cum hydrargyro, aut ustione minerarum, sulphuretum et chloretum argenticum continentium, cum chloreto natrico,

et tractatione cum aqua, ferro et hydrargyro. In officinis technicis plerumque ustione cum nitrate kalico purgatur.

Metallum splendidissimum, coloris albi, durum, valde ductile, elasticum, ponderis spec. 10,774 — 10,510. Validissimo calore funditur. Ex aëre oxygenium non arripit, sed fusum illud attrahit, licet refrigerando rursus dimittat. In aëre acidum hydrosulphuricum continente, cuticula flavescente, et nigrescente obtegitur. Ab acido nitrico frigido facile solvitur, tum etiam a concentrato acido sulphurico calefacto. Solutio est limpida, non colorata; addito acido hydrochlorico aut solutione chlreti natrici, deponit sedimentum album, quod lumine colore violaceo et nigrescente mox tingitur. Ab acido hydrosulphurico colore fusco-nigro, phosphatis natrici cum aqua basica solutione flavo colore, praecipitatur. A multis metallis reducitur argentum.

Ab acido nitrico puro plane solvatur et solutio minime sit viridescens. Cum sulphatis natrici solutione solutio argenti diluta non deponat sedimentum album, et ope chlreti natrici solutionis omni argento privata solutio nitrica cum cyaneti kalico-ferrosi solutione praecipitatum e fusco rubrum non ostendat.

## ARGENTUM FOLIATUM.

Argentum in laminas tenuissimas redactum, splendidissimum. Omnes indicatas argenti puri proprietates ostendat; ab acido nitrico puro igitur plane solvatur et eodem modo illius integritas exploretur.

## AURUM.

### SOL.

Nativum reperitur, saepe etiam cum argento, cupro et

plumbo commixtum. A saxis et lapidibus ope aquae et fusionis cum borace separatur. Obtinetur etiam fusione minerarum cum plumbo aut tractatione cum hydrargyro. In officinis purgatur fusione cum sulphido hypostibioso, aut sulphure, et ustione, aut solutione in aqua regia, separatione a chloreto argentico, calefactione ad expellenda acida hydro-chloricum et nitricum et hyponitricum, quae abundant, et commixtione cum solutione sulphatis ferrosi, donec pulvis fuscus non amplius deponatur, et pulveris cum aqua loti fusione cum borace.

Metallum splendidissimum, intense flavi coloris, quam maxime ductile, pond. spec. 19,20 — 19,40. Calore intensissimo funditur. In aëre frigido aut calido non mutatur, et ab acido nitrico puro, aut hydrochlorico, sulphurico aut alcalibus non solvitur. Ab aqua regia calefacta solvitur, et solutio flava acido hydrosulphurico intense fusco colore, alcalibus ope caloris flavo aut fusco colore praecipitatur. Pleraque metalla ex ejusmodi solutione aurum deponunt, et haec ipsa evaporata et calefacta tandem aurum relinquit.

Ab aqua regia plane solvatur; solutio minime sit viridescens coloris, et multa addita ammonia minime coeruleo colore tingatur. Acidum nitricum purum nihil ex eo solvat.

## AURUM FOLIATUM.

Aurum satis purum, in laminas tenuissimas redactum, splendidissimum, flavi coloris, in nullo acido, praeter aquam regiam, solubile. Ejus puritas jam indicato modo exploretur. E Germania affertur ita dictum aurum foliatum, magis rubescentis coloris, quod ab acido nitrico solvitur, nullum aurum continet et cuprum est.

## c. OXYDA.

## OXYDUM CALCICUM VENALE.

*CALX VENALIS. CALX VIVA.*

Terram calcaream e saxis calcareis, vel apud nos maximâ parte e conchis molluscorum minorum, in fornacibus propriis, calcinatione, ut vocatur, parari, omnibus est notum.

Massas refert compactas, amorphas, albidas vel subcine-reas, leves, porosas, resonantes, friabiles. Aëris accessu fatiscit, mutaturque in hydratem calcicum, deinde in carbonatem. Aquâ adpersâ intumescit, odorem proprium spargit, valde incalescit ac quam citissime in pulverem subtilissimum dilabatur. Hydras calcicus solvitur partibus 778 aquae frigidæ 15° C. Solutio, alcalium instar, afficit chartam flavam curcuma tinctam; acido oxalico praecipitatum exhibet, non item acido sulphurico.

E conchis confecta calx massulas praebet minores, concharum formam plus minusve mutilatam referentes, saepius autem pulverem grossum. Caeterum easdem refert proprietates genericas.

Notae bonitatis hae sunt, ut color sit quantumpote albus, et terendo strepitus, e particulis durioribus arena v. c. ortus, non audiatur. Cum acidis non effervescat. Sit acido hydrochlorico fere tota solubilis, quo criterio non multum acidi silicici inesse declaratur.

Calx venalis numquam est omnino pura. Continet vulgo aluminam, acidum silicicum, kali, nonnumquam magnesiâ et ferrum oxydatum. E conchis parata continere solet phosphatem calcicum, sulphuretum calcicum et kali. In multis operationibus pharmaceuticis inquinamenta ista vix nocent,

utpote partim insolubilia, partim minimâ proportione praesentia.

Servetur in vasis omnino clausis.

## OXYDUM COBALTICUM CUM TERRA SILICEA.

### OXYDUM COBALTI CUM VITRO.

#### *SMALTUM.*

Est pulvis tenuissimus, tactu mollis, ex oxydo cobaltico, acido silicico et kali, fusione, trituratione et laevigatione confectus, lacte coeruleus; insolubilis in aqua. Color neque calore, neque acido hydrochlorico deleatur.

Rejiciatur smaltum, quod terram siliceam, aut cretam, aut farinam intermixtam habet. Inquinatio prior detegitur elutriando cum aqua, quo fit, ut silica citius fundum petat. Altera apparet effervescentiâ, ex addito acido quodam ortâ; posterior terendo cum aqua fervida et exploratione iodii auxilio facta.

## BIOXYDUM MANGANICUM NATIVUM.

PEROXYDUM MANGANII NATIVUM. MANGANESIIUM  
OXYDATUM NATIVUM. HYPEROXYDUM  
MANGANICUM.

### *MAGNESIA NIGRA* SEU *VITRIARIORUM.*

Haec materia, in multis Europae montibus obvia, venalis rarissime prostat sub forma crystallorum, quae prismata recte rhombica vel ab his derivatam figuram referunt; sed vulgo est massa, quae aut constat ex acervo



crystallorum acicularium, aut est fere amorpha, structurâ fibrosâ, radiatâ, foliosâ, vel denique compactâ, densâ. Prior species habetur optima, posterior vero, ut plurimum, minoris est pretii. Colorem habet griseo-nigrescentem, chalybi non absimilem, hic illic nitore metallico. Durities est exigua; est fragilis digitosque et chartam inquinans; nullo sapore praedita.

Pulverem praebet griseo-nigrum vel nigrum, neutiquam subfuscum aut rubicundum.

Supra carbonem, tubi ferruminatorii auxilio maxime candentem, odorem sulphureum non spargit, nec funditur. Cum borace, eidem experimento submissum, effervescit quasi et intumescit, vitrumque exhibet violaceo-rubrum, si flammae parti exteriori fuerit admotum. Calori intenso admotum, aut cum acido sulphurico calefactum, gas oxygenium praebet. Cum acido hydrochlorico autem gas chlorium exhibet.

Virtus magnesia nigrae pendet a proportione bioxydi manganici puri et partium constituentium caeterarum. Sunt vero hae duplicis generis. Altero in casu invenitur manganium, quod justo minori praeditum est oxydationis gradu atque satis magnam aquae copiam chymice junctam continet; in altero autem adsunt carbonas calcicus, sulphas baryticus, oxydum ferricum, acidum silicicum, silicas calcicus.

Quoad habitum, in priori casu massa est magis compacta, pulveremque praebet nigro-fuscum vel fusco-rubrum. Cum acido sulphurico coctus pulvis vel nullum vel pauxillum oxygenii praebet. In crucibulo calefactum, igne moderato, multum aquae expellit, quae ponderis jactura determinari potest.

Altero in casu bioxydum manganicum est laevius, minus crystallinum, magisque amorphum, plus minusve fuscum. Variat autem in proportione partium commixtarum. Carbonatis praesentia apparet et determinari potest, affuso

acido acetico, relicto bioxydo manganico sat bonae notae. Oxydum ferricum ejusve hydratatum acidi sulphurici ope auferri potest et computari. Denique ex copia chlorii, quae evolvitur ex acido hydrochlorico et bioxydo manganico nativo mixtis, novimus oxygenii portionem praesentem.

Miscelam cum antimonio crudo, si quidem obvia sit, detegi potest tubi ferruminatorii ope, supra carbonem; tunc odor sulphureus percipitur et fusio partialis locum habet, dum carbo pulvere albo tegitur; cum borace vitrum violaceum minus purum oritur.

### OXYDUM FERRICUM NATIVUM.

#### OXYDUM FERRI NATIVUM RUBRUM.

#### *LAPIS HAEMATITES* SEU *HAEMATITIS*.

Est minera, quae varietatem oxydi ferrici nativi crystallisati constituit et in montibus primitivis ac transitivis obvia.

Formam habet plus minusve globosam, stalactideam, gibbosam, rarius racemosam. Massa est compacta, dura, fragilis, externe papillosa, fusco-rubra, subsplendens, interne fibris crystallinis tenuibus, radiatim dispositis constans. In pulverem rubrum sat facile redigi potest. Pond. spec. est 5.

Compositum est ex oxydo ferrico, cui aliquando parva portio acidi silicici et oxydi manganici est admixta. Est, maximâ parte, solubile in acido hydrochlorico. Ex hac solutione oxydum ferricum praecipitatur potassae liquidae ope, sub forma floccorum rubro-fuscorum, in abundante potassa insolubile.

## OXYDUM PLUMBICUM SEMIVITREUM.

## PLUMBUM OXYDATUM SEMIVITRIFICATUM.

*LITHARGYRUM.*

Ex officinis metallurgicis venale obtinetur tum ex plumbo argentifero, tum sub cupellatione argenti et auri.

Sunt squamae vel frustula structurae squamosae, subnitidae, ponderosae, tactu pingues, friabiles, coloris flavescentis in rubellum vergentis, sine sapore et odore. Est lithargyrum in aqua insolubile; solvitur autem acido nitrico et acetico, nec non in solutione hydratis kalici. Pulverem praebet flavescentem.

Quod cupro inquinatum subinde occurrit, omnino rejiciatur. Hujus praesentiam detege solvendo lithargyrum in acido nitrico vel acetico parum diluto; solutioni adde sulphatem natricum, ut praecipitatum oriatur ex sulphate plumbico. Liquor sic a plumbo purgatus et filtratus cupri soluti notas non ostendat. Vel solutioni aceticae adde plus ammoniae, quam ad saturationem acidi requiritur. Hac ratione oxydum ferricum, si ferrum adest, praecipitatur, colorque in liquore conspicitur coeruleus ex cupri praesentia. Potest denique lithargyrum explorari digestionem cum acido sulphurico, quod ferrum et cuprum solvit.

Inquinationes cum ferro, argento, acido silicico, nisi major adsint copiâ, vix nocent.

Servandum est in vasis clausis, quia tractu temporis attrahuntur aqua et acidum carbonicum, ita ut orientur hydras plumbicus et carbonas plumbicus. Hoc in casu splendor hujus oxydi minuitur acidorumque ope evolvitur acidum carbonicum.

## d OXY-ACIDA ANORGANICA.



## ACIDUM SULPHURICUM.

## ACIDUM VITRIOLI.

*OLEUM VITRIOLI. ACIDUM SULPHURICUM ANGLICUM. ACIDUM SULPHURICUM COMMUNE.*

In officinis peculiaribus paratur hoc acidum, sive combustione miscelae sulphuris et nitratis kalici aut natrici, in locis clausis, plumbo obductis; sive commiscendis vaporibus acidi sulphurosi, ex sulphuris combustionem nati, acidi hypo-nitrici, e miscela calefacta amyli aut sacchari et acidi nitrici expulsi, et aquae; et purgatione acidi diluti ab aqua admixta ope evaporationis et destillationis.

Liquor est fere decolor, plerumque flavus aut fuscus, nullo odore praeditus, quam maxime acidus, formam olei referens, pond. spec. 1,845 — 1,850. Aquam ex aëre attrahit. Caloris gradu 326° C. ebullit, et in vapores albos corrosivos mutatur. Cum aqua si commiscetur, calor insigniter augetur. Multas materies organicas destruit et colorem nigrum his tribuit. Cum solutionibus salium baryticorum et plumbicorum praebet sedimenta alba, in acido nitrico fere insolubilia. Pleraque acida e connubiis cum basibus expellit, salesque sulphuricos format.

Impurum est et varia alia corpora continet, veluti sulphatam kalicum, calcicum, plumbicum, ferricum, acidum nitricum, hydrochloricum et arsenicosum, tum etiam saepe organicis materiis tinctum est. Aliquando etiam sulphatam natricum continet.

Post evaporationem ope caloris sales, si his inquinatum sit, in eo reperiri possunt, quippe relictis. Acida volatilia detegi possunt in partibus, quae destillando acido

primum transierunt in excipulum. Sales metallici dicti prudenti additione hydratis kalici ad saturandum acidum decomponuntur, et oxyda praecipitantur, et liquor fere saturatus ubi aut ope acidi hydrosulphurici deponit sedimentum flavum, aut ubi acidum aqua dilutum et cum zinco puro commixtum gas expellit, quod per tubum vitreum, aliquo loco ope flammae alcoholicae candentem, ductum annulos metallicos splendentes et volatiles deponit, indicatur acidum arsenicosum. Sit pellucidum et nullum in lagenis deponat sedimentum; venale autem acidum, etsi dilutum, nunquam in usum therapeuticum adhibeatur.

## ACIDUM NITRICUM VENALE.

### ACIDUM NITRICUM CRUDUM.

#### *SPIRITUS NITRI. AQUA FORTIS.*

Paratur hoc acidum in officinis, destillatione nitratis kalici aut natrici cum acido sulphurico.

Liquor est plerumque flavescens coloris, in aëre vapores albos emittens, odoris acidi pungentis, saporis acidissimi, licet cum multa aqua dilutum sit. Lumine solari decomponitur et colorem intensiorem assumit. Pond. spec. 1,40 — 1,48. Multa metalla, veluti ferrum, cuprum, argentum solvit, iis oxygenium tribuit; alia, veluti stannum et antimonium, non solvit, licet et his quoque oxygenium praebeat eaque in pulverem album mutet, sub vaporum rutilantium acidi hyponitrici evolutione. Pleraque corpora organica corrodit et destruit.

Acidum nitricum venale impurum est, quia varias portiones chlorii, acidi sulphurici, hyponitrici et ferri salis continet, quapropter aquâ dilutum, addita solutione nitratis argentici aut chlreti barytici, sedimentum album, et ammonia fere saturatum ab addita cyaneti kalico-ferrosi

solutione praecipitatum coeruleum deponit, et ope caloris evaporatum pulverem fuscum aut rubrum relinquit.

## ACIDUM ARSENICOSUM.

### OXYDUM ARSENICI ALBUM.

#### *ARSENICUM ALBUM.*

Obtinetur in officinis metallurgicis, ubi variorum metallorum minerae, quae arsenicum continent, uruntur, et pulvis albus nova sublimatione purgatur.

Frusta sunt pellucida, vitrea, sive semipellucida aut opaca, alba, porcellanea, fracturae conchae similis, pond. spec. 3,69 — 3,73. Vitrea et pellucida frusta lapsu temporis, imprimis in aëre humido, opaca fiunt. Pulvis albus est, nullo odore, sed sapore paululum subdulci (qualem tamen explorationem nemo incaute faciat) praeditus. In aqua frigida difficile solubile est; in 10 — 12 vero partibus aquae fervidae solvitur, quae solutio limpida et non colorata coeruleum chartae probatoriae colorem vix rubrum reddit, sed mox parvas crystallos octaëdricas, tetraëdricas aut tabulares deponit. Ab alcohole minima portione solvitur. Acidum hydrosulphuricum solutioni in aqua flavum tribuit colorem, et post additionem acidi hydrochlorici pulvis flavus deponitur, qui ab ammonia liquida plane solvitur. Calore aucto, in vapores albos mutatur; sed cum corporibus organicis ignitum, aut supra carbones arduos divisum vapores alliacei odoris dimittit. Pulvis hujus acidi cum carbonis pulvere commixtus et in tubo vitreo flammae admotus vitrum obtegit lamellis splendentibus arsenici, speciem metalli prae se ferentibus. Cum zinco et acido sulphurico diluto commixtum expellit hydrogenium cum hydrogenio arsenicali commixtum. Ubi

hoc gas comburitur, flammam ostendit albidam, vapores acidi arsenicosi albos emittit, dum frustum porcellaneum in flamma positum obtegatur maculis nigrescentibus. Facile solvitur ope caloris ab acido hydrochlorico diluto calefacto, facillime a solutione hydratis kalici aut carbonatis kalici. Venenum acerrimum est.

Pulvis venalis aliquando carbonate aut sulphate calcico aut sulphate barytico adulteratus est. Calore penitus in vapores abeat, nullam materiam relinquat et ab aqua fervida totum solvatur.

e. HYDRO-ACIDUM.

ACIDUM HYDRO-CHLORICUM VENALE.

ACIDUM HYDRO-CHLORICUM CRUDUM AUT FUMANS.

*ACIDUM MURIATICUM. SPIRITUS SALIS MARINI.*

Obtinetur in officinis chymico-technicis, destillatione miscelae chlreti natrici et acidi sulphurici. Liquor flavus est, vapores albos emittens, odoris pungentis, acidissimi saporis, pond. spec. plerumque 1,18. Calore leniore quam aqua ebullit, et gas acidi hydrochlorici emittit. Multa corpora organica destruit. Addita solutione nitratis argentici, sedimentum album, caseosum, lumine solari nigrescens, in acido nitrico insolubile, in ammonia solubile deponitur. Cum ferro aut stanno mixtum haec solvit, dum gas hydrogenium evolvitur.

Venale acidum impurum est. Continet quippe plerumque acidum sulphuricum, chlretum ferricum, et unum alterumve corpus organicum dissolutum, aliquando etiam acidum sulphurosum, arsenicosum, chlorium. Duo priora ope chlreti barytici et cyaneti kalico-ferrosi deteguntur,

dum acidum sulphurosum in acido hydrochlorico diluto, et jam ope chloreti barytici acido sulphurico liberato, detegitur, quando cum acido nitrico calefit, et nunc denuo nova sulphatis barytici portio deponitur. Acidum arsenicosum in eo ope acidi hydrosulphurici perducti detegitur, quandoquidem nunc sedimentum flavum, sulphuretum arsenici, in fundum cadit.

f. SULPHURETA.



SULPHIDUM HYPOSTIBIOSUM.

SULPHURETUM STIBII NATIVUM. STIBIUM  
SULPHURATUM.

*ANTIMONIUM CRUDUM. ANTIMONIUM  
SULPHURATUM NIGRUM.*

In variis saxis, ad montes, qui primitivi et transitivi vulgo vocantur, pertinentibus reperitur, et ex iis fusione separatur. Diversis formis venale prostat, siye placentarum, siye conorum, qui extrinsecus sunt metallici, grisei et plumbei coloris; intus crystalli sunt aciculares, radiatim aut in forma fasciculorum dispositae, splendentes, metallicae, griseae, pond. spec. 4,60. In pulverem facile conteri potest, nigrescentem, nec odore nec sapore praeditum, in aqua insolubilem, in aëre vix mutabilem, alia corpora inquinantem, non volatilem in vasis clausis. Aucto calore funditur, et accedente aëre vaporem album et simul sulphurosum emittit. Lenis caloris vim dum experitur, acidum sulphurosum erumpit, et acidum stibiosum impurum relinquitur. Ab acido



hydrochlorico calido fere totum solvitur, separato acido hydrosulphurico et relicto liquore flavescens coloris, qui addita aqua sedimentum album, et acido hydrosulphurico rubro-fuscum deponit.

Continet plerumque sulphureta ferri, plumbi, et aliquando cupri, tum etiam ferrum arsenicale et sulphuretum arsenici. Ab aquâ regiâ et acido hydrochlorico fere totum solvitur; ubi autem liquor refrigeratus limpitudinem amittit, et salem album deponit, plumbum inesse constat. Cum nitrate kalico in crucibulo igni admotum residuam massam relinquit, quae flavo colore praedita indicat ferrum, aut plumbum, aut utraque. Ubi cum acido nitrico tractatur, liquor dilutus a sedimento purgatus additâ solutione cyaneti kalico-ferrosi, nec colore admodum coeruleo, nec colore rubro praecipitetur, qua posteriori proprietate cuprum indicatur. Quando autem, cum acido hydrochlorico non concentrato plus semel coctum, relinquit pulverem insolubilem, hujus utique natura accuratius investigetur: primum cum aqua coquatur, deinde siccetur, tunc cum carbonatis kalici et carbonis pulvere commisceatur, tandem in parvo tubo vitreo ope lampadis alcoholicae caloris vim experiatur, et sic observetur, utrum nunc arsenicum reducatur, necne. Rejiciatur pars suprema placentarum, aut quae basin conorum constituit, levis, spongiosa, parum metallica, quandoquidem has dotes referens, impurissima.

## SULPHURETUM HYDRARGYRI.

HYDRARGYRUM BISULPHURATUM RUBRUM.

BISULPHURETUM HYDRARGYRI.

*CINNABARIS NATIVA, ARTIFICIALIS.*

Nativum reperitur in saxis antiquissimis saepe una cum

hydrargyro nativo, tum etiam paratur in officinis technicis tractatione et sublimatione miscelae ex sulphure et hydrargyro factae. Massa compacta est, crystallina, radiata, coloris nitentis, obscure rubri, pond. spec. 8,124. Contritum pulverem relinquit laete rubrum, nec odore nec sapore praeditum, in aqua, omnibus acidis et solutione hydratis kalici insolubilem. Caloris ope primum obscurioris fit coloris, et deinde in vasis clausis in vapores mutatur. Aquâ regiâ calida dissolvitur, ita ut chloretum hydrargyricum et acidum sulphuricum formentur, et sulphur separatur. In aëre calefactum accendi potest et flamma coerulea comburitur.

Eligantur massae compactae, quae purae sunt; dum pulvis venalis subinde superoxydulo plumbico, oxydo ferrico, pulvere lapidum argillaceorum rubrorum aut sulphureto arsenici rubro adulteratus est. Tres priores substantiae remanebunt et facile distingui poterunt, quando cinnabaris eam caloris vim experitur, ut in vapores abire possit. Ubi cum acido nitrico calefactum assumit colorem fuscum, et liquor limpidus cum acido hydrosulphurico nigrum deponit sedimentum, minium inesse constat; et similiter, ubi cum solutione hydratis kalici coctum assumit colorem intensiorem, et liquor cum acido nitrico tractatus, addito acido hydrosulphurico, praebet sedimentum flavum, cinnabarim cum sulphureto arsenici inquinatam esse apparet.

Pulvis sulphureti hydrargyri via humida praeparati saepe continet hydrargyri globulos, qui ope acidi nitrici calidi e cinnabari, nunc colore non mutato, separari et acido hydrosulphurico detegi possunt. Postremo loco indicata impurae cinnabaris species, affusa frigida solutione sulphureti kalici, assumit colorem nigrum.

## g. CHLORETA.



## CHLORETUM AMMONICUM.

CHLORETUM AMMONII. HYDROCHLORAS AMMONIAE. AMMONIUM MURIATICUM.

*SAL AMMONIACUS.*

Varia admodum ratione paratur, tam in regionibus quibusdam Asiaticis, quam Europaeis: in his plerumque tractatione carbonatis ammonici impuri et empyreumatici cum acido sulphurico aut sulphate calcico, aut sulphate ferroso, et decompositione sulphatis ammonici siccis ope chlorete natrici. In Asia autem obtinetur e fuligine fini camelorum. Attamen postremis temporibus in Germania, Anglia et Gallia, paratur etiam ex liquoribus diversae originis ammoniacis, acido hydrochlorico saturatis, aut cum chloreto magnesico et calcico mixtis, evaporatione et crystallisatione.

Sunt placentae magnae, concavo-convexae, durae, subdiaphanae, quarum superficies inferior nigro colore tincta est. Intus sunt structurae fibrosae, albae; partes inferiores plerumque flavae. Omni odore carent, sed sapore salino pungente sunt praeditae. In pulverem difficile conteritur sal. In aëre sicco non mutatur, ex valde humido autem aquae vapores attrahit. Ab aquae frigidae 2,72 partibus solvitur, aquae ferventis aequali portione. Calore admoto, in vapores abit. Cum hydrate calcico commixtus gas ammoniacae expellit, et solutio in aqua, addita solutione nitratis argentici, deponit sedimentum album in lumine solari mox violaceum et nigrum, quod ab ammonia facile solvitur, non autem acido nitrico.

Sal ammoniacus non sublimatione, sed via humida

paratus, conicam ostendit formam, intus structura fibrosa caret, et plerumque impurior est, quia sulphatem et chloretum natricum continet, quae in sale sublimato fibroso genuino non reperiuntur. Praeterea ejusmodi salis superficies saepe arte est colorata, ut formam salis Aegyptiaci prae se ferre videatur.

Solutio in aqua sit limpida, non colorata, et cum acido hydrosulphurico nullum praebet sedimentum, et ope caloris penitus in vapores abeat, macula nigra, non vero massa salina relicta.

## CHLORETUM NATRICUM.

CHLORURETUM NATRII. HYDROCHLORAS SODAE.  
MURIAS SODAE.

*SAL COMMUNIS, MARINUS. SAL CULINARIS.*

Hunc salem in variis stratis salinis et in multis aquis, praecipue marinis, solutum reperiri constat. In officinis technicis paratur evaporatione aquae marinae vel fontium salinorum, singulari artificio concentratae, sive solutionis salis gemmae vel in aqua vel in aqua marina.

Crystalli sunt vel parvae irregulares cubicae, vel majores, cavae, quadratae, infundibuliformes, albae, limpidae, nullo odore sed sapore salso praeditae. Aquae vapores ex aëre attrahit et fit humidus. In aëre caeterum non mutatur. Ab aqua facile solvitur, acido sulphurico dissolvitur, et vapores nebulosos ex acido hydrochlorico et aëris aqua factos emittit. Quamprimum caloris vim experitur, decrepitat. Solutio in aqua, addita solutione aut chloreti barytici, aut carbonatis kalici, aut oxalatis ammonici, turbatur, quoniam sulphatis natrici aut magnesici, chloreti magnesici, sulphatis aut chloreti calcici vestigia

continet. Ab aqua plane solvatur, et solutio limpida acido hydrosulphurico neque coloretur neque turbetur, neque additis guttulis chlorii aqua soluti et amylo cocto colore coeruleo tingatur atque sic iodii praesentiam declaret. Ab acido tartarico aut chloreto platinico non praecipitur.

h. -CYANETA.

CYANETUM FERRICUM VENALE.

CYANIDUM FERRI. FERRUM HYDROCYANICUM.  
 CYANURETUM FERRI CUM CYANETO FERRI. FERRUM  
 BORUSSICUM. FERROCYANIDUM FERRI.

*COERULEUM BEROLINENSE, PARISIENSE.*

Varia ratione paratur in officinis technicis, urendo varias materies animales cum carbonate kalico et ferri limatura in crucibulis ferreis tectis, solvendo massam frigidam in aqua, et addendo hanc solutionem solutioni sulphatis ferrosi, antea cum diversis sulphatis kalico-aluminici portionibus commixti, ita ut e variis materiarum proportionibus nascantur variae species coerulei Berolinensis, diversi coloris et splendoris. Paratur etiam addendo solutionem cyaneti kalico-ferrosi vel lixivii sanguinis solutioni sulphatis ferroso-ferrici, vel ferrici, nullum alumen admixtum continentis, et sedimentum coeruleo-viride lavando cum acido hydrochlorico aut sulphurico diluto; sic pigmentum majoris puritatis et pretii obtinetur.

Diversis coloribus praeditum est magis minusve intense coeruleis. Ab aqua aut acidis dilutis non solvitur. Addito

acido sulphurico concentrato, mutatur in massam albam, aut griseam, quae addita multa aqua colorem coeruleum recuperat. Ope solutionis hydratis kalici dissolvitur, ita ut hydras ferricus praecipitur, et solutio flavescens coloris contineat cyanetum kalico-ferrosum. In apparatu idoneo calefactum aquam, cyanetum ammonicum et carbonatem ammonicum praebet, et massa nigra, spongiosa, ferrica et carbonica relinquitur.

Plerumque coeruleum Berolinense venale continet sulphatam aluminicum basicum et aliquando etiam sulphatam calcicum, quorum hic ope aquae et oxalatis ammonici, ille ope acidorum dilutorum et tractatione solutionis cum multa ammonia detegitur. Sedimentum enim ortum album, floccosum, solutione hydratis kalici quidem, non vero carbonatis ammonici solutione solvitur.

## CYANETUM KALICO-FERROSUM.

CYANURETUM KALII ET FERRI. KALI  
FERRO-HYDROCYANICUM. FERRO-CYANAS POTASSAE.  
KALIUM FERRO-CYANATUM.

*PRUSSIAS POTASSAE ET FERRI. KALI BORUS-  
SICUM. SAL LIXIVII SANGUINIS.*


In officinis technicis obtinetur ustione carbonis animalis, corporum animalium, veluti sanguinis exsiccati, cum carbonate aut nitrate kalico venali, et ferro, aut oxydulo et oxydo ferri, in vasis ferreis aut furnis peculiaribus, tractatione miscelae ustae cum aqua et sulphatis ferrosi sufficiente portione, et evaporatione liquoris, ita ut crystalli fiant.

Sunt massae crystallinae, vel crystalli singulares quadratae tabulares cum marginibus atque angulis obliquis, fere pellucidae, cerco-flavae, saporis parum dulcis et

acerbi. In aëre sicco, sed imprimis calore aucto, aquam crystallisationis amittit, et magis magisque in pulverem album dilabatur. Ab aquâ facile solvitur; solutio limpida est ac flava. Ab alcohole non solvitur. Addita solutione chloreti ferrici ex illa sedimentum laete coeruleum, et addita solutione sulphatis cuprici, praecipitatum fuscorubrum statim nascitur et lente deponitur. In apparatu clauso calefactum dissolvitur, et expulso gas azoto maxima pro parte in cyanetum kalicum, ferrum et carbonem mutatum est. Acidum nitricum ex eo protrudit cyanogenium et a chlorio in cyanetum kalico-ferricum mutatur. In aëre calefactum decomponitur, ita ut etiam cyanas kalicus oriatur. Acidum sulphuricum dilutum ex eo acidum hydrocyanicum liberum reddit.

Sal venalis plerumque continet sulphatem kalicum, cujus praesentiam sedimentum insolubile et album, ortum post additam chloreti barytici solutionem, demonstrat. Penitus ab aquâ solvatur et magnam sulphatis kalici portionem non contineat.

## i. SALES AMPHIGENEI.



### SULPHAS KALICUS.

SULPHAS POTASSAE. KALI SULPHURICUM.  
 ARCANUM DUPLICATUM. TARTARUS VITRIOLATUS.

#### *SAL POLYCHRESTUS GLASERI.*

In variis officinis, in quibus acidum sulphuricum, nitricum, aceticum concentratum, hydras et carbonas magneticus aut carbonas natricus parantur, simul obtinetur.

Plerumque crustae sunt crystallinae, aut tubi ex concretis parvis crystallis pyramidalibus rhombicis imperfectis constructi. Sal albus est, splendens, pellucidus, saporis salsi amariusculi, neque aëre, neque caloris vi mutabilis. Ab aqua difficulter solvitur, in alcohole insolubilis est. Solutio in aqua, addita chlreti barytici, aut chlreti platinici concentrati solutione, deponit sedimentum album aut flavum. Cum carbone commixtus et in vase clauso ustus praebet sulphuretum kalicum, quod facile dignoscitur.

Sal venalis plerumque parvam salis ferri portionem, chlretum kalicum et aliquando sulphatem magnesium, aut etiam minimam quamdam partem salis plumbici continet; qualia inquinamenta ope cyaneti kalico-ferrosi, sulphatis argentici, phosphatis ammoniaci et acidi hydrosulphurici dignoscuntur. Aliquando etiam acidum characterem refert.

## SULPHAS NATRICUS CUM AQUA.

### SULPHAS SODAE. NATRUM SULPHURICUM.

#### *SAL MIRABILIS GLAUBERI.*

Obtinetur in diversis officinis, ubi acidum hydrochloricum, boricum, chlretum ammoniacum, hydras et carbonas magnesium parantur, tum etiam e liquore superstite, post evaporationem aquae marinae, ope frigoris. Crystalli sunt prismaticae, pellucidae, striatae, vel aciculares, non coloratae, nullius odoris, sed saporis salsi amari. Colores coeruleos plantarum non mutat. Ab aquae frigidae partibus duabus solvitur, sub frigoris evolutione. In aëre, praesertim ancto calore, aquam crystallisationis perdit, qua primum solvitur, et deinde in pulverem album mutatur. Ab intensissimo calore funditur, non vero decomponitur.



Solutio in aqua neque ab alcalibus, neque a chloreto platinico praecipitatur, sed addita solutione chlorete barytici sedimentum album deponit.

Saepe alios sulphates continet, uti sulphatem ammonicum, magnesium, ferroso-ferricum, vel etiam chloretum natri-cum et ammonicum, aliquando etiam parvas sulphatis zincici aut cuprici portiones; quales admixti sales alieni deteguntur ope hydratis kalici, quo magnesia, aut oxydum zincicum aut cupricum aut ferroso-ferricum, cyaneti kalico-ferrosi, quo ferrum et cuprum, sulphatis argentici, quo chlorium separatur, et sedimenta alba, coerulea, fusco-rubra, aut etiam album praecipitatum in lumine valde mutabile, deponuntur. Solutio in aqua acido hydro-sulphurico neque coloretur, neque praecipitetur.

## SULPHAS MAGNESICUS CUM AQUA.

SULPHAS MAGNESIAE. MAGNESIA SULPHURICA.

*SAL ANGLICUS, AMARUS, EBSHAMENSIS.*

Varia ratione in diversis officinis obtinetur, sive evaporatione aquarum mineralium hunc salem continentium; sive tractatione liquoris post evaporationem aquarum salsa-rum ad crystallisationem chlorete natrici residui cum acido sulphurico vel sulphate ferroso; sive ustione minerarum magnesarum cum sulphureto ferroso naturali, tractatione cum aqua et evaporatione, vel lapidum magnesticorum et calcem continentium commixtione cum acido sulphurico diluto.

Crystalli sunt parvae, rhombicae, vel aciculares, pellucidae, non coloratae, nullius odoris, sed saporis amari. Fere semper in aëre fit humidus, dum sal purus in aëre aquam crystallisationis amittit. Calore solvitur in aqua crystallisa-

tionis, deinde hanc dimittit, ita ut massa alba relinquatur. In aqua facile solvitur, qualis solutio addita ammonia pura deponit sedimentum album, in hydratis kalici solutione insolubile, in solutione autem carbonatis ammonici solubile. Praeterea sulphatum ostendit notas.

Sulphas magneticus venalis plerumque chloretum magneticum et interdum etiam chloretum calcicum continet. Ejusmodi sal in aëre fit humidus, ejusque solutio a nitratis argentei aut oxalatis ammonici solutione praecipitatur. Saepe continet sulphatem ferroso-ferricum et aliquando sulphatis cuprici parvam portionem, quae cyaneti kalico-ferrosi et acidi hydrosulphurici ope facile deteguntur. Commixtio de industria facta cum sulphate natrico, qualis saepe jam observata est, detegitur commiscendo salis pulverem cum pulvere carbonis et in parvo crucibulo bene tecto urendo. Residua massa cum aqua tractetur, et si solutio limpida a solutione acetatis plumbici aut sulphatis cuprici nigro colore praecipitatur, et addito acido sulphurico diluto acidum hydrosulphuricum expellit; aut ubi solutio sulphatis magnesi, cum multo carbonate barytico tractata, a sedimento albo separata et evaporata, continet carbonatem natricum, cum acidis effervescentem et alcalinas notas ostendentem; tunc utique praesentia sulphatis natrici probata est. Solutio salis concentrata et calida, admixta carbonatis kalici solutione, praebeat magnam sedimenti albi portionem.

## SULPHAS BARYTICUS.

BARYTA SULPHURICA, NATIVA. SULPHAS BARYTAE.

### *SPATHUM PONDEROSUM.*

In diversis saxis et montium stratis occurrit, maxime in

iis, quae metallifera vocantur. Aliquando refert crystallos prismaticas, rhombicas, aut alias ex his ortas formas; plerumque vero sunt massae informes, irregulares, structurae lamellaris, albae, saepe etiam flavescens coloris, et aliquando diversis locis sulphuretum praesertim ferri continentes. Pond. spec. est 4,10 — 4,70. In aqua et acidis dilutis non solvitur sal, neque odore neque sapore praeditus est. Quando pulvis subtilissimus cum carbone in crucibulo tecto validissimi ignis vim experitur, massa residua ab addito acido hydrochlorico diluto decomponitur, acidum hydrosulphuricum expellitur, dum liquor filtratus et cum acido sulphurico diluto commixtus praebet sedimentum album.

Eligantur frusta albissima, quae metallorum connubia, veluti ferri, cupri, aut plumbi, aut massas vitreas, ad chalybem scintillantes non continent, et quae cum acido nitrico diluto tractata neque effervescunt, neque praebent solutionem, quae ammoniâ saturata ab admixto sulphureto ammonii praecipitatur.

## SULPHAS FERROSUS CUM AQUA.

FERRUM SULPHURICUM. SULPHAS OXYDULI FERRI.

*VITRIOLUM FERRI. VITRIOLUM VIRIDE.*

E variis mineris, praecipue vero e bisulphureto ferri in officinis technicis obtinetur. Sunt massae crystallinae, informes, vel rhombicae, prismaticae, aliquando pellucidae, coeruleo-virides, interdum minus pellucidae, coloris magis flavo-viridis et pulvere flavo vel fusco sparsim obiectae. Sapore distinguuntur styptico acidulo; acidam sal ostendit reactionem, in aqua non plane solvitur, sed relinquitur

plerumque sedimentum floccosum, rubiginosum. Solutio est flavo-viridis, quae in aëre intensiorem mox accipit colorem et caeteras salium ferroso-ferricorum proprietates, jam supra pag. 5. indicatas, ostendit. Sal ipse in aëre albo, flavo et fusco pulvere tegitur. Calore in aqua crystallisationis solvitur; et intensiore calore decomponitur relicto oxydo ferrico.

Plerumque sulphatem cupricum, zincicum, magnesium, manganosum, et subinde aluminicum varia proportione continet. Sal cupricus in eo detegitur ope laminae ferreae, in solutione aquosa positae, quae cupro obtegatur, vel addita multa ammonia, qua liquor a sedimento separatus in aëre mox coeruleum accipit colorem. Hic postremus liquor evaporatus non relinquat pulverem album, qui calore intenso vel flavus fiat vel albus remaneat. Sulphas ferrosus cum abundante portione hydratis kalici solutionis calefactum non praebet liquorem, qui a praecipitato separatus, cum acido hydrochlorico saturatus post additionem solutionis carbonatis kalici sedimentum album et floccosum deponat.

### SULPHAS ZINCICUS CUM AQUA.

SULPHAS ZINCI. ZINCUM SULPHURICUM.

*VITRIOLUM ZINCI. VITRIOLUM ALBUM.*

Obtinetur e zinco sulphurato nativo, quod ope caloris et aëris cum oxygenio jungitur, aqua solvitur, et quae solutio evaporatur et ita tractatur, ut in massam crystallinam granularem concreseat.

Prostat in conis aut horum fragmentis albis, granularis structuræ et sæpe extrinsecus coloris flavi aut fusci,

saporis metallici, acerbi. In aqua facile solvitur, plerumque tamen relinquit floccos flavescentes. Aëre color mutatur et fit flavescens et fuscus. Caeterum habet proprietates salium zincicorum, supra pag. 6. jam descriptas.

Sulphas zincicus venalis continet alios sales, nempe sulphatem ferroso-ferricum, magnesium, cupricum, manganosum, aliquando etiam acidum arsenicosum. Propterea ejus solutio in aqua non limpida est, sed turbida, acido hydrosulphurico colore fusco-nigro praecipitatur, addita solutione cyaneti kalico-ferrosi accipit colorem coerulescentem, mox in aëre intense coeruleum; propter eandem causam ab addito hydrate kalico non omne sedimentum solvitur, et cum zinco puro et acido sulphurico puro diluto tractatus expellit nonnumquam etiam hydrogenium arsenicale, quod ductum per tubum vitreum aliqua loco candentem deponit arsenicum.

## SULPHAS CADMICUS CUM AQUA.

### SULPHAS OXYDI CADMI.

Venalis prostat in crystallis prismaticis, rhombicis, albis, pellucidis, saporis acerbi, metallici, in aëre lentissime aquam crystallisationis amittentibus, calore in hac aqua solutionem subeuntibus et proprietates salium cadmicorum, jam pag. 7. descriptas, exhibentibus. Plerumque parvas zinci et ferri salis portiones continet, quorum prius agnoscitur, si solutio, addito acido sulphurico, ab acido hydrosulphurico decomponitur, a sedimento flavo liberatur et evaporata zinci salem relinquit; posterius autem ope cyaneti kalico-ferrosi detegitur. Rejiciatur sal, qui cum acido hydrosulphurico non nisi parvam deponit sedimenti flavi portionem, in ammonia insolubilis, ideoque cum aliis salibus commixtus est.

## SULPHAS CUPRICUS CUM AQUA.

CUPRUM SULPHURICUM. SULPHAS OXYDI CUPRI.

*VITRIOLUM CUPRI. VITRIOLUM COERULEUM.*

Obtinetur in officinis technicis praesertim e sulphureto cuprico naturali aut arte parato. Prostat in crystallis prismaticis, rhombicis aut massis informibus, intense coeruleis, saporis acerbi, metallici, actionem acidam in coeruleam chartam probatoriam declarantibus. Ab aëre sicco aquam crystallisationis amittit, et pulvere albo obtegitur. Calore in aqua sua solvitur, et pulverem album, deinde intensiore calore oxydum nigrum relinquit. In aqua plerumque non totus solvitur, sed flocci flavescentes aut fusciscentes in solutione coerulea suspensi tenentur. Solutio praebet notas salium cupricorum, pag. 11. jam descriptas. Sulphatem ferroso-ferricum semper et subinde etiam sulphatem zincicum continet: quorum prior indicatur sedimento floccoso, viridescente, mox fusco, quod remanet post additionem multae ammoniae; posterior inveniri potest in solutione salis cuprici acidi facti, cum acido hydro-sulphurico abundante tractata, et a sedimento nigro separata, quippe quae cum solutione hydratis kalici saturata praebet sedimentum album, in majore hydratis kalici portione solubile.

## SULPHAS ALUMINICO-KALICUS CUM AQUA.

SULPHAS ALUMINAE ET POTASSAE. KALI  
ALUMINOSO-SULPHURICUM.*ALUMEN CRUDUM.*

Variis modis hoc sal obtinetur, ex alumine nativo

solutione et crystallisatione; porro e carbonis fossilis speciebus, quae aluminam et sulphuretum ferri continent, vel e saxis aluminico-scistosis aut lapidibus aluminiferis, qualia primum ignis vim, deinde aëris actionem subire coguntur, et aqua tandem tractantur. Minore copia alumen in officinis paratur tractatione massarum argillacearum cum acido sulphurico, et admixtione sulphatis et carbonatis kalici.

Plerumque frustra sunt informia, et rarius sal crystallos octaëdricas refert. Sal pellucidus, non coloratus, sapore styptico dulci praeditus est. Quandoque sunt frustra minora, rosacci coloris, et pulvere albo tecta. Ab aqua solvitur, et solutio est limpida, non colorata, actionem acidam declarans. In sicco aëre aquam crystallisationis amittit et pulvere albo tegitur. Aucto calore in sua aqua solvitur, intumescit, aquam perdit et massam albam spongiosam relinquit. Solutio in aqua, addita ammonia, praebet sedimentum album, floccosum, quod minime a carbonate ammonico, facile autem a solutione hydratis kalici solvitur. Solutio salis cujusdam barytici ex aluminis solutione deponit sedimentum ponderosum, insolubile.

Fere omnes aluminis species majorem minoremve sulphatis ferroso-ferrici copiam continent, quapropter earum solutiones additione cyaneti kalico-ferrosi coeruleo colore tinguntur, et coeruleum deponunt sedimentum. Nonnullae species etiam sulphatem cupricum continent, quod colore coeruleo, quem addita multa ammonia liquor assumit, vel ope acidi hydrosulphurici detegitur.

Alumen Romanum genuinum, e lapidibus aluminiferis factum, ubi aqua solvitur, paucillum terrae rubrae insolutum relinquit, sed solutio limpida est et pura. Spuriae aluminis Romani species, quibus arte color tributus est, valde impurae sunt, et praebent solutionem, quae sat magnam subinde salis ferroso-ferrici portionem continet. Utrum alumen ammoniacum sit necne, detegitur hydrate calcico, quo ammonia expellitur.

## NITRAS KALICUS.

KALI NITRICUM. NITRAS POTASSAE.

*NITRUM VENALE.*

Sal in quibusdam fodinis naturalibus Asiae praesertim, Europae etiam atque Americae, magnâ saepe copiâ obvius et ab incolis variis nominibus vernaculis designatus.

Exstant tamen et officinae propriae, *nitriariae* dictae, in quibus e variis miscelis corporum animalium putrescentium, cinerum, humi, per congruum tempus sibi relictis, nitrates formantur, qui ope aquae crystallos Nitri crudi largiuntur. Utroque tamen in casu, permultis corporibus heterogeneis, salibus aliisque permixtus invenitur nitras kalicus.

Optimae notae nitrum superiore seculo nostras officinas, in quibus ablutione et crystallisatione purgabatur, mercaturae tribuisse constat; nostro vero tempore nitrum crystallisatum dictum ex Angliâ praesertim adfertur; impurum tamen est et imprimis chloreto natrico aliisque salibus inquinatum, ita ut ulteriore depuratione omnino indigeat.

Nitras kalicus venalis bonae notae sequentibus instructus sit dotibus: sint crystalli albissimae, nitentes, pellucidae, siccae, prismaticae, hexangulares apicibus pyramidalibus plerumque hexagonis; manibus calefactae fracturam subeuntes, non nisi parvam aquae copiam ex aëre attrahentes, saporis pungentis salsi, paululum amari, refrigerantis; aquâ facile solubiles; in pulverem redactae cum admixtis corporibus inflammabilibus, carbone praesertim aut phosphoro, in igne laete detonantes.

Aquae crystallinae fere expers est, admodum parvâ jacturâ igitur calore jam modico funditur; intensiore igne decomponitur acidum nitricum, ita ut gas oxygenium expellatur, relicto nitrite kalico.



## CARBONAS KALICUS.

KALI CARBONICUM. SUBCARBONAS POTASSAE  
VENALIS.

## ALCALI VEGETABILE.

Obtinetur combustione et incineratione multarum plantarum, et cinerum sic formatorum elixatione, lixivii evaporatione et massae salinae calcinatione; unde pristinis temporibus nomine *salis absynthii*, *cardui benedicti* in officinis pharmaceuticis inveniebatur.

Qui autem venalis prostat, plerumque in Europae regionibus septentrionalibus, e ligno duriori, Quercus praesertim, Pini aliarumque arborum, parari solet. Calidus adhuc vasis ligneis includitur et affertur specie glebarum duriorum, saporis salsi, alcalini, coloris cinerei albescens, plerumque magis minusve in coeruleum vergens, in aëre liquescentium et additis acidis effervescentium.

Ejusmodi carbonas kalicus venalis constat plerumque tribus quartis circiter partibus e sale puro, unâ quartâ parte ex aliis salibus, sulphate praesertim, silicate ac chloreto kalico, interdum et carbonate natrico exsiccato aut chloreto natrico fraude immixto, aliisque corporibus heterogeneis. Multum igitur inter se differre solent venales species; in universum eligantur massae fragiliores, in aëre humido facile deliquescentes, aquae frigidae pari pondere maximam partem solubiles.

Qui ex Americâ nomine *paerlasch* affertur, majoris est albedinis, sulphate et silicate kalico Europaeis speciebus plerumque magis refertus, aliis tamen quisquiliis minus inquinatus, hinc in universum praeferendus. Abstineas tamen ab illis, etiam ex Americâ nonnumquam advectis speciebus, quae maximam partem ex alienis salibus con-

stantes, humiditatem aëris aegrius attrahunt et aquâ frigidâ difficiliter solvuntur.

Carbonas kalicus venalis, ut ad usus chymicos et pharmaceuticos adhibeatur, depuratione omnino eget.

## CARBONAS NATRICUS CUM AQUA.

NATRUM CARBONICUM. SUBCARBONAS SODAE  
VENALIS.

### ALCALI MINERALE.

Ex combustionem et cinerum calcinationem diversarum specierum plantarum, praesertim maritimarum, glebae obtinentur salinae, coloris plerumque nigrescentis aut coerulescentis, saporis alcalini, quae *Sodae*, *Natri*, *Barillae* nomine, variis ex Europae regionibus advehuntur. Magis minusve carbonate natrico abundant, pro varietate plantarum, e quibus originem ducunt. Optima habenda *Alicantina*, quae ex Hispania, ut etiam alia species, quae ex Francia meridionali affertur.

Constant tamen hae massae minimâ tantum pro parte ex carbonate natrico, et chloreto natrici saepe multo majorem copiam continent, et interdum sulphuretum natricum multasque partes heterogeneas; in universum igitur ad usus chymicos et pharmaceuticos improbandae sunt, praesertim cum nostris temporibus multae exstant officinae, in quibus, chymica operatione, e chloreto et praecipue e sulphate natrico, additis carbone et carbonate calcico, melioris notae carbonas natricus magnâ copiâ paretur, qui tamen, utpote aliis salibus etiamnum inquinatus, reiterata crystallisatione semper est depurandus.

Prostat hic sal plerumque formâ crystallorum aut massarum crystallinarum irregularium. Eligantur crystalli

regulares, siccae, nitidae, pellucidae; aquâ facile solvantur, atmosphaerae calore fatiscant, majore autem calore in aquâ crystallisationis fundantur.

## CARBONAS CALCICUS.

CALX CARBONICA. SUBCARBONAS CALCIS.

### *CRETA ALBA.*

Ingentes massas cretaceas, e quibus littora imprimis Britanniae constant, quae tamen in multis etiam aliis regionibus inveniuntur, utrum ad regnum fossile, proprie ita dictum, an vero ad animalcula microscopica, in unum conferta et conglomerata, referri oporteat, etiamnum disputatur inter viros doctos, hujus rei peritos, ideoque dubium est, atque quaestionem praebet, non solvendam in Codice pharmaceutico.

Affertur creta alba frustis difformibus, majoribus interdum, in quibus diffractis silices variae magnitudinis haud raro observantur. Alba est, opaca, saporis expers, aquâ insolubilis; cum acidis valde effervescit; et calore satis intenso acidum carbonicum emittit, relicto oxydo calcico.

Ad usus pharmaceuticos eligantur frustula albissima, facile friabilia, digitos polluentia et in plerisque acidis fere tota solubilia.

## CARBONAS ET HYDRAS MAGNESICUS.

MAGNESIA CARBONICA. SUBCARBONAS MAGNESIAE.

### *MAGNESIA ALBA.*

In quibusdam Europae, Angliae praesertim et Germaniae

regionibus, quae fontibus abundant, sulphatem et chloretum magneticum continentibus, ex horum salium decompositione, carbonatis kalici aut natrici ope, carbonas magneticus in propriis officinis magnâ copiâ parari solet. Hac in operatione, licet facillime instituatur, haud tamen negligenda est justa salium proportio, determinata aquae ad solutionem adhibendae copia, debita pulveris praecipitati ablutio, et congrua tandem methodus in illius exsiccatione, ut eximiae albedinis et levitatis obtineatur.

Qui ex Angliâ affertur, formâ placentarum quadrangularem longitudinalium, Germaniae speciebus plerumque ob meliores dotes praefendus est. Eligatur carbonas magneticus, qui niveae est albedinis, levissimus, haud multum cohaerens, et leni jam frictione in pulverem dilabens. Sit praeterea saporis expers, aquâ tam calidâ quam frigidâ fere insolubilis, acidis dilutis, hydrochlorico imprimis sub effervescentia solubilis, quae solutio neque acidi oxalici, neque bicarbonatis kalici, neque chlreti barytici solutionibus turbetur.

## CARBONAS ET HYDRAS PLUMBICUS.

CARBONAS PLUMBICUS. SUBCARBONAS PLUMBI.

*PLUMBUM SUBCARBONICUM. CERUSSA.*

Variae licet in usu sint methodi ad hujus salis praeparationem, in universum tamen in officinis propriis, tam indigenis quam exteris, ex plumbo metallico et acido acetico diluto conficitur. Metallum nempe oxydatur ejusque oxydum acido carbonico, ex acidi acetici decompositione nato, in carbonatem plumbicum mutatur, qui cum variis hydratis plumbici portionibus cerussam constituit.

Propter subacetatē plumbicum tamen saepe admixtum, praesertim autem ob multiplicem hujus salis adulterationem, non semper bonae notae invenitur.

Sit massa albissima, plerumque in conii formam compressa, cohaerens, friabilis, aut pulvis albus, ponderosus, aquā insolubilis, facile tamen ac totus acidis nitrico et acetico dilutis sub effervescentia solvendus. Acido hydrochlorico ad saturationem usque affuso, pulverem praebet albissimum, qui, probe exsiccatus, alcohole absoluto ne minima quidem pro parte solvatur. Sedimentum in solutione nitricā affusa hydratis kalici solutione ortum, in hujus excessu penitus solvatur.

## BI-BORAS NATRICUS CUM AQUA.

### NATRUM BORACICUM. SUB-BORAS SODAE.

#### *BORAX.*

In variis regionibus hic sal nativus invenitur, in Indiā orientali praecipue, tum et in Americā meridionali, ne Europae quidem exceptis quibusdam regionibus. Prostat nominibus vulgaribus *Tinkal*, *Pounxa* aliisque, sub formā massarum aut glebarum crystallinarum, coloris plerumque e flavo virescentis, interdum grisei, tactu quasi pinguium.

Pristino tempore Venetiis praesertim officinae aderant, in quibus hae massae impuriore propria quadam encheiresi depurari solebant, qualis depuratio deinde et in nostratium officinis instituebatur et passim adhuc instituitur. Cum vero nostris temporibus acidum boricum, in nonnullis Italiae lacubus et in vaporibus, qui in Toscana e nonnullis locis exsurgunt, repertum, ex eorum aquis, evaporationis ope, permagnā copiā obtineatur, hoc plerumque

et carbonate natrieo ad boracis praeparationem uti solent.

Bi-boras natrieus aut salium naturalium depuratione, aut arte paratus, sequentibus instructus sit proprietatibus. Crystalli sint prismatieae aut irregulares, deecolores, semipelucidae, saporis quasi dulcescentis, deinde ingrati alealini; calore fatiscant parumper in superficie, majore absque erepitatione in aqua crystallisationis fundantur et intumescant; igne intensiore massam vitream et pellucidam relinquunt. Earum solutio aquosa diluta a solutione carbonatis kalici aut natriei puri, aeida facta solutione nitratis argentici aut nitratis barytici vix turbetur.

### BI-TARTRAS KALICUS CUM AQUA.

KALI BI-TARTARICUM. SUPERTARTRAS POTASSAE.  
CRYSTALLI TARTARI.

#### *CREMOR TARTARI.*

Quae ex uvarum succo fermentatione obtinentur vini variae species, magnam tartari crudi sic dieti eopiam continent, et in vasorum, in quibus asservantur, parietes formâ massae crystallinae durioris, coloris grisei aut rubescentis, sponte deponunt. Constat hic tartarus erudus maximam partem ex bi-tartrate kalieo, tum etiam tartrate caleieo, et partibus alienis extractivis, a quibus in propriis officinis Italiae praesertim et Franeiae meridionalis depuratus, crystallorum tartari nomine vulgo eognitus est.

Optimae notae bi-tartras kalicus potissimum ex Italia adfertur, et minimam tartratis caleiei copiam admixtam, quae ope crystallisationis non plane separari potest, si excipias, purissimus hic habendus est.

Crystalli sunt prismatieae aut massae crystallinae minus

regulares, albissimae, duriores, saporis acidi, in aëre immutabiles, aquae bullientis partibus quindecim, frigidae vero centum et nonaginta plane solubiles. Solutio nec acido hydrosulphurico, nec cyaneti kalico-ferrosi solutione coloretur; quod in solutione chloreti barytici oritur sedimentum, acido nitrico puro plane sit solubile.

Sal in igne destruitur, ita ut e decomposito acido tartarico acidum carbonicum generetur, quod alcali jungitur, itaque carbonas kalicus cum carbone intermixto relinquitur.

### ACETAS PLUMBICUS CUM AQUA.

ACETAS PLUMBI. PLUMBUM ACETICUM VENALE.

#### *SACCHARUM SATURNI.*

Plures exstant officinae propriae, in Francia imprimis ac Germania, quin etiam nostrâ in patriâ, in quibus hic sal ex acido acetico et plumbo metallico, vel hujus oxydo aut carbonate plumbico, permagnâ copiâ paratur.

Affertur massis crystallinis aut crystallis prismaticis vel irregularibus, nitentibus, albescens, in aëre calido fatiscentibus. Rarius adulteratur, ad usus tamen pharmaceuticos depuratione omnino indiget. Solvatur nempe aquae purae debitâ copia, addantur acidi acetici nonnullae guttulae, filtretur solutio et evaporatione in crystallos cogatur.

Crystalli sint decolores, nitentes, pellucidae, aciculares apicibus plerumque rhomboidalibus, saporis subdulcis, acris, metallici, acidum acetikum aliquantulum redolentis, aquâ depuratâ plane solubiles, e qua solutione si plumbi oxydum acidi sulphurici ope praecipitatur, et sulphas plumbicus filtri ope separatur, fluidum limpidum leni calore admoto in vapores omnino abire requiritur.

## INDEX RERUM MERCABILIIUM.

## 2. E REGNO VEGETABILI.

|                       |                                                                                                               |                                                                                                        |
|-----------------------|---------------------------------------------------------------------------------------------------------------|--------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| E Graminearum ordine. | Saccharum officinarum.                                                                                        | a Saccharo officinarum<br>L.                                                                           |
| Liliacearum           | » Radix Allii.                                                                                                | ab Allio sativo L.                                                                                     |
| Coniferearum          | » Terebinthina communis.<br>laricina.                                                                         | a Pini speciebus.<br>Larice europaea Link.                                                             |
|                       | Pix liquida et solida.                                                                                        | ab iisdem arboribus,<br>siccac destillationis opc.                                                     |
| Morearum              | » Fructus Mori recentes.                                                                                      | a Moro nigra L.                                                                                        |
| Ex Oleinearum         | » Oleum olivarum.                                                                                             | ab Olea europaea L:                                                                                    |
| Ampelidearum          | » Passulae majores.<br>minores.                                                                               | a Viti vinifera L.<br>» » var. apyrena.                                                                |
| E Myristicearum       | » Nucca Moschatae.                                                                                            | Myristica fragrans<br>Thunb.                                                                           |
|                       | Macis.                                                                                                        | » » »                                                                                                  |
|                       | Ol. Nucum Mosch.<br>expressum.                                                                                | » » »                                                                                                  |
| Ribesiaearum          | » Ribis nigri.<br>» rubri.                                                                                    | a Ribis nigro L.<br>» rubro L.                                                                         |
| Cruciferearum         | » Radix armoracia.<br>Semen Sinapeos nigrae.                                                                  | ab Armoracia rustieana<br>Fl. de Wett.<br>a Brassica Melanosinapi<br>Koch.                             |
| Linearum              | » Oleum Lini.<br>Farina »                                                                                     | Lino usitatissimo L.                                                                                   |
| Rosacearum            | » Fructus Rubi idaci re-<br>eentes.                                                                           | Rubo idaeo L.                                                                                          |
| Ex Amygdalearum       | » Mala Cydoniorum.<br>Nuclei amygdalarum dul-<br>cium.<br>» » et amararum.<br>Fructus Prunorum recen-<br>tes. | Cydonia vulgari Pers.<br>ab Amygdalo communi<br>L.<br>ejusque varietate amara.<br>a Pruno domestica L. |



## CORPORA E REGNO VEGETABILI.

*Praecepta de legendis et servandis plantis medicatis  
earumve partibus.*

Qualescunque plantae aut partes plantarum, in usum medicum destinatae, eo colligendae sunt tempore aut ea anni periodo, qua ad legitimum pervenerunt incrementi gradum, et qua maxime abundant elementis, a quibus pendet vis medicata. Quod quidem fieri vix potest, nisi rationem habeamus patriae atque stationis, quam singulae occupant ex lege naturae.

Quae integrae adhibentur plantae annuae in pleno legendae sunt vegetationis vigore. Radices autem plantarum annuarum atque biennium, ut plurimum, colligantur autumnis: contra pleraeque perennium radices tempore verno legendae sunt, exceptis nonnullis, quas autumnis colligi praestat. Postremo hoc anni tempore colligantur quoque et ligna et cortices; folia autem instante anthesi; gemmae et plerique flores ante plenam efflorescentiam; fructus denique, tam carnosus quam naturâ sicciores, tum etiam semina, eo legantur tempore, quo rite maturaverunt.

Singulae plantarum partes, si opus est, depurentur, i. e. a sordibus adhaerentibus aut ab alienis admixtis liberentur, evitata omni earum laesione, et aqua non in usum vocata praeter necessitatem. Deinde herbae, radices, aliaeque partes singulares, ab aqua, quam continent, in aprico, in umbra vel ope caloris arte producti, liberentur, tum etiam ab humiditate, quam attrahere possunt, immunes praestentur aëre saepius renovato aut etiam luminis vi. Tandem in capsulis et cistis bene clausis, aut in lagenis

epistomio vitreo vel charta obturatis serventur et toties commutentur novis; quoties opus erit ex norma, pro pharmacis singulis constituenda.

Atque haec pauca generalia sunt quae praecipari possint. Specialia, ubi opus erit, indicabuntur, si de herbis medicatis singularibus sermo erit.

## PLANTAE CELLULARES APHYLLAE.

---

### ALGAE.

SPHAEROCOCCUS CRISPUS AG.

CHONDRUS CRISPUS LYNGB.

*LICHEN CARRAGHENICUS. FUCUS CRISPUS.*

*ULVA CRISPA.*

Frons membranacea, dichotome-ramosa, crispa, ramis elongatis, basi tenuioribus, apicem versus dilatatis, tuberculis mediae frondi immersis, subterminalibus, uno latere concavis; aut laciniis brevibus basi latioribus utrimque mammillosis. Massa sicca cornea, fere pellucida, albido-flava, raro violacea. Odor fatuus, sapor mucilaginosus, vix subsalsus. Propter admixtas saepe species affines, massa est polymorpha. Colligitur ad littora maris rupestris Magnae Britanniae, praesertim Hiberniae.

Ab aqua ebulliente mutatur in materiam gelatinosam, cujus proprietates medium tenent inter mucum vegetabilem et acidum pecticum, sed quae chymica compositione ad mucum vegetabilem proxime accedere videtur.

## LICHENES.

## CETRARIA ISLANDICA ACH.

LICHEN ISLANDICUS L., PARMELIA ISLANDICA SPR.

*LICHEN ISLANDICUS.*

Thallus erectus, canaliculatus, membranaceus aut subcartilagineus, lacunosus, apice olivaceo-fuscus, basi albido-sanguineus, vel uno latere grisco-albus, laciniatus, dentato-ciliatus, laciniis multifidis, fertilibus vero latioribus et rotundatis. Apothecia scutelliformia, plana, appressa, margine oblique-adnato frondi, inferius vero libero. Massa sicca fragilis, ad tactum rudis, strepitans, humectata tenax, flexilis, inodora, mucilaginosa, amara. Abundat hic lichen terrestris in locis apricis borealis, nec deest in montosis altioribus mediae Europae. Absint alii Lichenes, Musci, cact.

Alcoholis ebullientis ope ex Lichene Islandico extrahitur materia amara cetrarinum dicta; idem fit infusione frigida cum exigua portione kali. Decoctum aquosum Lichenis Islandici continet praeterea saccharum, dextrinum, lichenatam kalicum et calcicum, imprimis tamen amyllum vulgare cum propria materie amylacea, gelatinosa; fere magis quam tertia pars lichenis insolubilis est in aqua ebulliente, constans quippe e cellulis et vasis.

## PLANTAE VASCULARES CRYPTOGRAMAE.

---

### FILICES.

#### LASTREA FILIX MAS PRESL.

POLYPODIUM FILIX MAS L., ASPIDIUM FILIX MAS SW.,  
NEPHRODIUM FILIX MAS R. BR.

#### *RADIX FILICIS MARIS.*

Caudex horizontalis plus minus subterraneus, palmaris, pedalis, pollicem et ultra crassus, cujus superficiei obtuseangulatae, subtereti, in sicco statu vulgo aliquantulum depressae, insident frondes nondum evolutae, aestivatione circinatae, aut frondium lapsarum bases superstites, subarticulatae, cunctae oblique sursum directae. Reliquiae illae frondium, bulborum instar incrassatae, plura centimetra longae, 5 — 10 mm. crassae, angulatae, paululum curvatae, imbricatae, intus ex albido-virescentes, extrinsecus squamis paleaceis, emarcidis, fusco-ferrugineis, oblongis tectae sunt, intermixtis fibrillis radicalibus descendentes. Odor ingratus, sapor primum subdulcis, tum amaro-adstringens, demum rancidus.

Planta perennis Europae. Radix, ablatis fibrillis et frondium partibus non medullosis, effodiatur in sylvis montosis, ubi frondes e sporangiis emittunt sporas maturas. Non ultra annum servetur. Quae caret proprio odore, sapore et interno colore viridi, ad usum non valet.

Principia activa videntur residere in resinosa materia, quae una cum materia pingui solida et alia liquida, tum etiam acido tannico adest in infuso aethereo, quod nomine Olei Filicis maris usitatum est.

*Filicis species nondum satis cognita.*

PENGHAWAR JAMBIE.

*AGNUS SCYTHICUS. FRUTEX TARTAREUS.*

Rhizoma speciei filicis, ut videtur, arborescentis, nondum certo a botanicis indicatae, magnitudinis valde diversae, variis ludens formis et nonnumquam animalis quadrupedis speciem simulans (1), unde antiquioribus pharmacologis *agni* nomine dicebatur. Integrum rhizoma pilis aureofuscis, sericeis, nitidis, longis, tubuloso-cellularis structurae, densissimis, pellem quasi lanosam referentibus obtectum adest. Praeterea adsunt petiolorum partim abscissorum bases 2—3—4, vel lapsarum frondium cicatrices. Nec sapor est, neque odor. Videntur plures afferri sub eodem nomine species filicum. Patria incerta est. Nam, quamvis ex insula Java stirpem vulgo afferri sciamus, tamem ibi spontaneam esse non constat. Contra in Cochin-China indigenam esse, auctor est Loureiro.

Laudatur ejus vis adstringens. Chymica compositio ignota est.

## LYCOPODIACEAE.

LYCOPodium CLAVATUM L.

*PULVIS LYCOPODII.*

SEMEN LYCOP. POLLEN LYCOP.

Pulvis levissimus, subtilissimus, sporis constans subglo-

---

(1) Cf. Loureiro, fl. Cochinch. II. 829—31.

bosis, aut angulato-globosis, uno latere planis, circiter  $\frac{3}{100}$  mm. diametrum habentibus, sine odore et sapore, ochroleucus, tactu pinguis, aquae innatans, nec facile cum aqua miscendus, igni inspersus laeta flamma cum strepitu deflagrans.

Planta perennis sylvarum ericetorumque Europae.

Coniferarum pollen, qui admisceri huic pulveri a nonnullis perhibetur, microscopicis diversarum specierum notis et absentibus ante dictis notis microscopicis pulveris Lycopodii detegitur; amyllum vero et sulphur exploratione chymica dignoscuntur.

Praeter cellulysin, insunt oleum pingue et saccharum.

## PLANTAE VASCULARES MONOCOTYLEDONEAE.

---

### GRAMINEAE.

TRITICUM REPENS L.

ACROPYRUM REPENS PAL.

### RADIX GRAMINIS.

Graminis caudex subterraneus perennis, repens, subramosus, ex albo-flavescens, longissimus, tenax; in recenti statu teres, succo plenus; in siccato obtuse-quadrangularis, striatus, nodosus, nodis remotis, squamosis et fibrillosis, fibris capillaribus. Sapor gratus, mucilaginosus, dulcis.

Crescit in agris et pratis. Primo vere legatur radix succulenta sine radiculis.

Continet radix magnam copiam materiae dulcis, quae in crystallinam formam reduci potest; haec substantia multum

convenit cum mannita. Praeterea habet materiam saponaceam, aqua solubilem. Evaporatione decocti aquosi 100 partium rad. recentis, obtinentur 17½ partes extracti sicci.

### SECALE CEREALE L.

#### *SECALE CORNUTUM.*

##### CLAVUS SECALINUS.

Fructus Secalis cerealis L. monstrosus, propter innatum ovario parvum fungum parasiticum (Sphaceliam segetum Lev.) mole auctus, teres, subincurvus, aut cornutus, sursum attenuatus, tota longitudine ad apicem nonnumquam flavescens sulcatus, transverse subtiliter rugosus, rugis irregularibus, a 2½ — 3 cent. longus, purpureo-niger: compages interior alba, farinacea; odor nauseosus; sapor ingratus, subdulcis, subacer.

Legendum Secale cornutum in agris ante messem; vitris bene clausis ab aëris et lucis accessu servandum, quotannis renovandum. Quod post messem in horreis colligitur, omni virtute medicata carere perhibetur.

Praeter principia constituentia communia omnibus vegetabilibus, adsunt materies extractiva simili in fungis materiei analogae et ergotinum, pulvis rubro-fuscus, solubilis in alcohole, insolubilis in aethere, principium, ut videtur, activum.

### MELANTHACEAE.

#### VERATRUM ALBUM L.

##### *RADIX HELLEBORI ALBI.*

Caulis subterraneus, simplex, biceps, raro multiceps, gravis, cylindricus aut fusiformis, apice obtuso, quandoque

incurvus, longitudinis diversae,  $1\frac{1}{2}$  — 2 cent. crassus, fibrillis elongatis, albicantibus vel nigris et appressis tectus, ut plurimum tamen resectis, crasse rugosus vel imperfecte annulatus. Fractura transversa aequalis; compages interior magis fusca et parte obscuriore cincta. Odor integrae radices debilis; sapor nauseosus, amarus, acerrimus, urens; pulvis sternutationem excitat. Planta perennis, floribus albis et viridibus varians, crescit in montibus Austriae, Helvetiae, Bavariae, aliarumque Europae et Asiae regionum.

Radix vix cum aliis commutatur.

Praeter gallatem veratrinicum acidum, inest materies pinguis, ex qua, saponificationis ope, separatur acidum sabadillicum.

### SABADILLA OFFICINARUM BRANDT.

VERATRUM SABADILLA L.

#### SEMEN SABADILLAE.

Capsulae tres connatae, calyce persistente instructae, 1 - 2, raro 4-spermae, oblongae, acutae, glabrae, obscure fusco colore praeditae, singulae capsulae ad apicem sutura hiantes, 1 cent. fere longae,  $\frac{1}{2}$  cent. fere latae. Semina nigro-fusca, nitida, oblonga, rugosa, parum compressa, saepe angulata, sub-alata, basi latiora, apice acuta, in nonnullis basi impressa, intus alba, dura. Sapor in capsulis nullus, in seminibus amarus, acerrimus, fere causticum in faucibus efficiens sensum, diu persistentem.

Crescit planta in Andibus Mexicanis. Non improbabile est semen etiam ab aliis speciebus affinis colligi.

Elementa therapeutico sensu maxime notanda sunt veratrinum et duae resinae (quarum altera solvitur aethere,



altera non solvitur) cum partibus pinguibus et extractivi generis.

## COLCHICUM AUTUMNALE L.

### *RADIX SIVE BULBUS COLCHICI RECENS.*

Bulbus ovato-cordatus, magnitudinis fere nucis juglandis, constans ex parenchymate denso, carnosus, succulento, albo, altero latere convexo, altero plano et ibi media in parte a juniore bulbo et scapo impresso, tunicisque paucis laxe incumbentibus, tenuibus, siccis, rubro-flavescentibus, extimis fuscis. Odor acer, nauseosus, sapor farinaceus, dulcis, acerrimus, amarus, irritans.

In pratis humidis Europae mediae lege mense Junio et Julio. Tunicis fuscis orbatu bulbi usui sunt.

Vires medicatae videntur esse tribuendae substantiis nondum bene cognitis, quas materiae extractivae nomine indicare solent, mixtis cum resina, pinguedine quadam, et principiis constituentibus vegetabilium communibus.

### *SEMEN COLCHICI.*

Semina parva, subrotunda, obtusa, rugosa, ladia, umbilico magno, testâ durâ, nucleo albuminoso, embryone subcylindrico, minuto, ab umbilico remoto; inense Majo colligenda.

Inest principium peculiare colchicinum.

## LILIACEAE.

## ALOË SPICATA THUNB.

ET SPECIES AFFINES.

## GUMMI ALOË.

## ALOË. SUCCUS ALOËS INSPISSATUS.

1°. *Aloë lucida Socotrina*, ad quam proxime accedit, cuique fere aequiparatur *Aloë lucida Capensis*, frusta exhibet irregularia, lucida, vitri instar splendentia, obscure ex viridi fusca, subpellucida, margine fusco rubro, diaphano, odore omnino proprio et sapore valde amaro, aromatico, ingrato, fracturâ resinosâ, splendente praedita. Pulverem praebet aurei coloris. In spiritu vini tota, in aqua maximâ parte est solubilis. Aethere vix solvitur. Solutio aquosa alcalium saliumque ferricorum ope colorem accipit multo intensiorem vel obscuriorem. Quae Capensis vocatur, non minus splendet, at colore gaudet fusco-atro subviridescente, est subdiaphana, graveolens, peramara, nauseosa, pulverem praebet magis flavescentem seu citrinum. In spiritu vini tota solvitur, in aqua maximam partem.

2°. *Aloë hepatica* prostat sub forma massarum vix splendentium, opacarum, superficie rimulosa et subporosâ, colore subfusco-hepatico insignium, margine obscuriore, concolore, odore minus intenso, sapore amaro, nauseoso praeditarum. Pulvis est rubro-flavus vel croceus. In spiritu vini non plane solvitur, nec etiam aqua.

Cave, ne sit adulterata succo liquiritiae, colophonio, pice, caet. In priori casu solubilitas in aqua est aucta, saporque infusi minus intense amarus. In altero casu

infusum aquosum frigidum multo plus quam 40 partes centesimas resinosas relinquit; harum solutio alcoholica multo perfectius, aquae ope praecipitando, decomponitur, quam solutio aloës pura.

Rejiciatur *Aloë caballina*, nigra, impura, opaca, plus minusve tenax, varii generis quisquiliis commixta.

### URGINEA SCILLA STEINH.

SCILLA MARITIMA L.

#### *RADIX SCILLAE RECENS.*

Bulbus globosus, ovato-globosus, magnitudine pugni et ultra; exteriore parte tunicatus, tunicis fusco-rubris vel albis, imbricatis, scariosis, basi succulentis; intus squamatus, squamis carnosus, succo albo vel fusco, aut rubescente mucilaginoso repletis, partem centalem circumdantibus; rhizomate discoideo, superius convexo, inferius fibrillis radicalibus instructo. Bulbus recens incisus exhalat odorem acrem, lacrymas moventem. Succus eximio acori illique caustico, cutim rubefacienti et vel in vesicas attolenti amaritiam jungit. Serva in arena loco frigidiore; cave a bulbis inanibus vel intus putrescentibus.

#### *SCILLA SICCATA.*

Constat tunicis interioribus formae diversae, griseis, flavescens, vel rubro-fuscis, parallele-nervosis, nullum odorem, at vero saporem amarum, minus quidem acrem habentibus, ponderosis.

Frusta leviora insipida rejiciantur. Servetur siccata scilla, ob vim valde hygrosopicam, in vitris exacte clausis.

Crescit in omni Europa Australi ad littora maris, unde et recens et sicca adfertur.

Principium characteristicum materies acris, amara (scillitinum), saccharo, mucro vegetabili, acido tannico et oleo volatili juncta.

## IRIDEAE.

### CROCUS SATIVUS L.

#### *CROCUS. STIGMATA CROCI.*

Stigmata terna cum unius styli exigua parte, obscure-crocea, tubuloso-involuta, 2 centimetra longa, sursum crassiora, truncata, dentibus quatuor argute crenatis, pigmento aurantio ditissima, odore fragrante et sapore proprio aromatico.

Planta bulbosa Orientis, in Europa meridionali et alibi in hortis frequenter culta.

Rejice crocum odore et pigmento vix praeditum, in charta maculam pinguem relinquentem. Qui intermisceri dicuntur flores Carthami tinctorii L., Calendulae officinalis L., Scolymi hispanici L., dignoscuntur absentia odoris, tum macerationis ope facile ut flosculi Compositarum plantarum agnoscuntur.

Elementa maxime notanda sunt oleum volatile stearopteno junctum et materies colorans, polychroita dicta.

## SMILACEAE.

### SMILAX SYPHILITICA HUMB. ?

#### *RADIX SARSAPARILLAE HONDURAS.*

Radix constans fibrillis e communi basi tuberoso-nodosa, lignosa, multicipite caulis fruticosi profectis. Quaevis

fibrilla plures pedes et saepe vel ulnas longa, calamum scriptorium crassa, teres, varie torta; epidermis striata, magis minusve rugosa, sordide aut griseo-fusca, tenuis; sectio transversa sub epidermide in peripheria exhibet stratum cellulare, album, farinaceum, facile ab interiore parte lignea secedens, friabile: sequitur pars lignea tenacior, fusco colore tincta, vasis constans porosis et fibrosis, majoribus interstitiis interpositis, quapropter forma cernitur porosa. Centrum amplum occupat contextus cellularis albus, quasi medullam simulans et amylo refertus. Sapor primum vix notandus, demum vero ingratus amarus. Afferitur ex America calidiore.

Principia constituentia praecipua sunt sequentia: parva quantitas olei volatilium, smilacinum, quod ex solutione alcoholica duci potest in crystallos amari nauseosique saporis, solubilis in aqua ebulliente; praeterea materia acris, resinosa. Amylum ultra dimidiam partem radicis constituit. Insunt denique materies extractivae cum aliis principiis, qualia vegetabilibus plerisque competunt.

### SMILAX MEDICA SCHLECHT.

#### *RADIX SARSAPARILLAE DE VERA-CRUZ.*

Radix constans fibrillis e communi basi nodosa caulis fruticosi, multicipitis, aculeati, profectis; quaevis fibrilla plures saepe ulnas longa, pennam anserinam crassa; exteriora strata desiccatione valde contracta, unde profundius et irregulariter sulcata et angulata, hinc illinc tumefacta, fissa, cinereo-grisea, pulverulenta. Sectio transversa sub epidermide exhibet stratum corticale fuscum, fragile, tenuius, tum vero substantiam interiorem ligneam, duram, valde tenacem, ex albo-flavescentem, quae non admittit fracturam; absente corpore medullari, vel perexiguo. Sapor

fere ut in praecedente. Virtute medicata haec radix priori secunda esse perhibetur. Smilax medica Schlecht. regno Mexicano est indigena, unde radix per Vera-Cruziam in mercaturam solet introduci.

Radices ne sint nimis vetustae, fragiles, exesae vermibus, mucoribus obsessae.

### SMILAX CHINA L.

#### *RADIX CHINAE VERAЕ SIVE ORIENTALIS* SIVE *PONDEROSA*.

Tubera oblonga, Solani tuberosi tuberibus similia, ponderosa, 6 — 12 cent. longa, 4 — 6 crassa, subramosa, compressa, irregulariter rugosa. Stratum exterius tenuius obscure fuscum. Parenchyma internum medullare vix fibrosum; in aliis frustis durum, corneum, in aliis minus durum et suberosum, rubro-flavescens, in centro paullo obscurius, fractura transversa granulosum. Sapor subadstringens, subamaro-acer, salivam pallide rubram tingens; pulvis ruber.

Crescit in locis incultis Sinae et Japoniae.

### ORCHIDEAE.

#### ORCHIS MASCULA L. MORIO L. MILITARIS L., FUSCA JACQ.

ET ALIAE SPECIES ORIENTALES DE QUIBUS MINUS CERTO CONSTAT.

#### *RADIX SALEB.*

Tubera subovato-compressa, subglobosa aut irregularia sulcato-gibbosa, magnitudinis diversae, fere inter cent. 1 — 2 longitudinem, et 1 — 2 cent. crassitiem variantis, basi

latiore cicatrisata et desiccatione saepius contracta, griseo-flava, dura, corneo-subpellucida, inodora, fere sine sapore, in ore lubrica et in mucilaginem intumescencia, saepius perforata et filo eatenatim juneta.

Afferuntur ex Oriente et Europa australi.

Tubera vetusta, pulla, cariosa, mucoribus obsessa, rugosa rejiciantur.

Continet mucum vegetabilem et amyllum.

## ZINGIBERACEAE.

### ZINGIBER OFFICINALE ROSC.

AMOMUM ZINGIBER L.

#### *RADIX ZINGIBERIS* (s. *Z. ALBI*.)

Caudices subterranei, plano-compressi, polymorphi, simplices, ramosi, subpalmati, diversae longitudinis et crassitiei, ponderosi, tenaces, epidermide rugosa, cinerea teeti, cademque ablata griseo-nigri, structurae internae fibroso-cellularis ibique coloris albido-flavescentis, resinoso-punctati; fractura transversa fibrosa est, odor peculiaris, aromaticus, sapor similis et acerrimus, fragrans.

In India orientali frequenter cultae plantae radix sicca in Europam affertur.

Insunt oleum aethereum et resina aeris.

### ELETTARIA CARDAMOMUM WHITE.

AMOMUM REPENS L., ALPINIA CABDAMOMUN ROXB.

#### *SEMEN CARDAMOMI MINUS.*

Semina numerosa, saepe cohaerentia, formae inaequalis, angulatae, unius lineae diametrum habentia, rugosa, griseo-fusca, quandoque nigra, intus alba, odore et sapore

grata ab oleo aethereo fragrantissimo, valde aromatica, calida, in capsulis sordide flavescentibus, ovatis, coriaceis, sulcatis, lineatis, triquetris, trilocularibus, trivalvibus, 1 — 1½ fere cent. longis, ½ cent. latis, acuminatis.

Crescit in India orientali, in primis in Malabaria. Colitur in insula Java.

Principium proximum activum est oleum aethereum.

### ALPINIA GALANGA SW.?

#### *RADIX GALANGAE MINORIS.*

Rhizoma (caudex subterraneus) ramosum, rarius simplex, cylindricum, curvum, geniculatum, basi latiore oblique abscissa fibrosum, coloris cinnamomi, apice angustius, subconicum, 1 — 7 cent. longum, 1½ — 2 cent. crassum, per longitudinem subtilissime rugoso-striatum, annulis transversis albidis, caeterum colore obscure-fusco; fracturâ propter fibras grosse exstantes medullam tenuiorem cingentes radix inaequalis, rubro fusca; odor et sapor ut in Zingibere, sed aciores. Hic illic protuberant ex annulis fibrillae crassiores ac breves, obtusae, aut tenuiores, filiformes. Galanga Asiae tropicae indigena vix confundi potest cum rhizomate crassiore, inodoro, parum aromatico Alpiniae nutantis Roxb. nec magis cum rhizomate Cyperi longi L.

Chymice dignoscitur oleo aethereo, principio resinoso, acri et acido tannico.

### AROIDEAE.

#### ACORUS CALAMUS L.

#### *RADIX CALAMI AROMATICI.*

Caudex subterraneus repens, simplex, raro ramosus,



cylindricus, depressus, digitum crassus, incomplete et late annulatus, flavo-vel griseo-fuscus, in parte inferiore numerosis obsitis radicum cicatricibus; fractura aequalis; recentis color in strato exteriori ruber, in substantia interiori, quae minus dura, albida, porosa, — quae autem aëri admota est, ea habet colorem rubrum. Odor valde aromaticus, cui similis sapor, simul tamen amarus, subacer, diu persistens, salivae secretionem excitans. Colligenda radix a plantis indigenis autumnis ad ripas aquarum nostrarum dulcium et in paludibus, in frusta 6 - 10 cent. longa, ablatis fibris dividenda, integro cortice, modico calore siccanda.

Rejice radices insipidas, inodoras.

In hac radice continentur materies medicatae extractiva amara, oleum aethereum, resina acris.

## PALMAE.

### ARECA CATECHU L.

#### CATECHU. SUCCUS CATECHU. TERRA JAPONICA.

Succus catechu non tantum acquiritur ex Areca Catechu, Palmâ Indiae orientalis, verum etiam ex Mimosa Catechu L. (Acacia Catechu Willd.), arbore familiae Mimosearum.

Sunt glebae irregulares, placentaeformes, coloris fusco-rubri, fragiles, durae, fracturâ nitentes, ex stratis pallidioribus, hinc inde magis obscuris, constantes. Catechu odore caret, saporem habet adstringentem, deinde dulciusculum; in aqua maximam partem, in spiritu vini fere totum solubile. Solutio liquore chloridi ferri turbatur colore nigro-viridi, non coeruleo-nigro. Tartaro emetico non praecipitatur. Ichthyocolla et acido sulphurico prae-

precipitatum multum producitur. Pulvis sit coloris *chocolatae*. Absint quisquiliae arenosae, lignosae, caet.

Ne commutetur cum Gutta Gambir, quae est extractum Uncariae Gambir et *U. tomentosae*. Sunt cubi leviores, friabiles, nigro-fusci, fractura magis terreâ, pallidiore, sapore peradstringente. Haec species vix solvitur in aqua frigida, fere tota in aqua ebulliente. Est solutio obscure-rubra, spissiuscula, turbida; tum ichthyocollâ, tum acido sulphurico praecipitatum efficitur sat magnum.

## PLANTAE VASCULARES DICOTYLEDONEAE.

---

### CONIFEREAЕ.

#### JUNIPERUS COMMUNIS L.

##### *BACCAE JUNIPERI.*

Baccae sive Galbuli pisi magnitudinem habentes, nigri, e squamis (carpophyllis) carnosis connatis compositi, apicibus subgibbosi, seminibus tribus in parenchymate nigro carnoso, triangularibus, testa externa ossea oleo aethereo plena instructis, intus albuminosis albisque. Odor balsamicus, aromaticus, cui similis sapor; qui etiam resinosis, subdulcis. Arbusculae vel fruticis Europaei biennes et maturi fructus colligantur; rejiciantur virescentes aut vetustiores.

Elementa proxima activa sunt peculiaris resina et oleum aethereum.

*Ab eadem planta habetur*

##### *OLEUM JUNIPERI.*

Ex baccis maturis Juniperi communis L. distillationis

ope obtinetur oleum, quod, dum recens est, colorem habet vel nullum vel leviter flavescens, vetustum vero obscure fuscum solet esse; est spissius, saporis acris, amari, camphorei, odoris baccarum; rubro colore tingit chartam exploratoriam; cum iodio detonationem facit. Parum solvitur aqua nec facile etiam ab alcohole; constat duobus oleis diversis. Gravitas specifica in his diversa; olei magis volatilis et decoloris est 0,839; olei vero minus volatilis et fuscus est 0,878. Adulteratio cum oleo terebinthinae. hujus dignoscitur odore et majore, quam tempore contrahit, spissitudine.

### JUNIPERUS SABINA L.

#### *HERBA SABINAE.*

Herba sabinæ constat ramulis junioribus, obscure viridibus, foliolis minimis, magis vel minus arcte imbricatis, plerumque tetrastichis, vel tristichis,  $\frac{1}{2}$  - 1 -  $2\frac{1}{2}$  mill. longis. Color siccatae herbae fusco-viridis, vel fuscus. Odor juniperinus et terebinthinaceus; in recenti herba fortior quam in siccata. Sapor amaro-acer.

Frutex Europae australis cultus in hortis.

Principia proxima characteristicum sunt oleum aethereum et acidum tannicum, quod salia ferrica coeruleo colore tingit.

### PINUS SYLVESTRIS L.

#### RESINA PINI.

*RESINA COMMUNIS. R. FLAVA. R. ALBA.  
R. BURGUNDICA.*

Ex variis Pini L. speciebus, quales sunt P. sylvestris L., Pinaster Willd., Abiës L., caet., elicitorum resina Pini,

quae colore caeterisque proprietatibus varietates quasdam admittit.

Prostat in glebis majoribus irregularibus vel placentis depressis, nonnumquam granulosis. Recentior resina est albo-flava, subdiaphana, mollior, tenax, graveolens. Vetustior est lutea vel sub-aurantiaca, durior, imo fragilis, minus graveolens; leni autem calore mollescit, odoremque spargit terebinthinaceum. In spiritu vini tota solvitur, in aqua est insolubilis.

Rejiciatur resina, quae particulis lignosis aut aliis ejusmodi quisquiliis est mixta, quae colore praedita est obscuriore, sordido, et odore fere caret.

### COLOPHONIUM.

Est residuum distillationis terebinthinae communis, leni calore ab aqua liberatum.

Resina est flavo-albida, vel obscure-fusca, subnigra (Colophonium album et nigrum nonnullis dictum), pellucida vel subdiaphana, fragilis, nitens, odore et sapore vix praedita, at terebinthinaceo in calore aucto. Pond. = 1,07-1,08. Liquescent ad 135°, colorem nanciscitur succini, fere aurantiacum. In alcohole, aethere, oleis aethereis solvitur, non solvitur in aqua. Oleum petrae partem colophonii solvit, alteram vero partem insolutam relinquit.

Particulae lignosae, arenosae, caet. ne adsint. Apparent ex fracturâ inaequali, minus nitente, et insolubilitate in alcohole.

### PINI L. DIVERSAE SPECIES.

#### OLEUM TEREBINTHINAE CRUDUM.

Habetur distillatione aquosa terebinthinae communis et

aliarum terebinthinae specierum. Est oleum aethereum valde limpidum, decolor, vel flavescens, odoris ingrati, saporis amari, acris, pungentis. Quod ab aëre mutatum et subfuscum factum est, pauxillum resinae continet et chartam exploratoriam laccae colore tinctam, rubram facit. Solvitur qualibet quantitate alcoholis absoluti, aetheris et diversarum olei specierum, tum et in decupla portione spiritus vini rectificatissimi; igni admotum facillime magna flamma accenditur. Inflammatur etiam admoto acido nitrico fumante et acido sulphurico concentrato. Coniungitur cum chlorio, bromio, iodio. Gravitas specifica est 0,85 - 0,89. Repetita destillatione cum aqua ex hoc oleo obtinetur oleum terebinthinae rectificatum.

## PIPERACEAE.

### CUBEBA OFFICINARUM MIQ:

PIPER CUBEBA L. FIL.

#### SEMINA CUBEBAE. PIPER CAUDATUM.

Baccae globosae magnitudinis piperis nigri, griseo-fuscae, ex desiccatione pulpae elevato-reticulatae et rugosae, in pedicellum 5-8 mm. longum basi contractae. Testa seminis, quae cum exsiccata pulpa baccae arcte cohaeret, albido-grisea est; membrana interior seminis grisea, sordide lutea aut rubescens, in interiore compage albicans oleosa. Odor gratus, aromaticus; sapor amarus, subcamphoratus, multo minus acer quam in pipere nigro.

Frutex scandens insulam Javam inhabitans, ubi colitur. Continent oleum aethereum et resinam acrem.

## CUPULIFERAE.

QUERCUS INFECTORIA OLIV.,  
ET ALIAE SPECIES NONDUM RITE INDICATAE.

*GALLAE. GALLAE QUERCINAE.*

Tumores globosi, duri, ponderosi, quos in quercuum multarum ramis novellis excitat animal insectum (*Diplolepis Gallae tinctoriae* Oliv.); 1 - 1½ - 2 centim. longi, ½ - 1 centim. lati, sursum squamoso-tuberculati, fusci, subvirescentes, coerulescentes, basi cicatrisati aut subpedicellati, intus saepius griseo-flavescentes, ductu sive canali ab animali insecto excavati; saporis adstringentis. Optima gallae habentur ex Asia Minori; Alleppicae quae dicuntur colore coerulescente distinctae. Europaeae sunt viliores. Quae pallidae, vel albae et simul leviores, perforatae, non verrucosae, non adstringentes rejiciantur.

Principium proximum activum acidum tannicum.

QUERCUS ROBUR WILLD. Q. PEDUNCULATA  
WILLD.

*CORTEX QUERCUS.*

Cortices tubulosi; ½ - 1 metr. longi, 1 - 3 cent. lati, 1½ - 1 - 2 mm. crassi, quandoque compressi, subincurvi; epidermis griseo-argentea, nitens, cortici laxè adhaerens, tuberculis elevatis subjacentis strati hic illic transverse soluti, rugosa, in vetustis corticibus rimosa; libri sive interioris strati superficies grosse fibrosa, in recenti color flavescens, in vetusto cinnamomeus; fractura fibrosa; sapor valde adstringens, amarus. Cortex verno tempore

legendus ex truncis junioribus. Species utraque indigena.

Inest acidum tannicum, quod salia ferrica coeruleo colore tingit.

### MORI SPECIES?

#### *RADIX LOPEZIANA.*

Radix lignosa, ponderosa, quandoque ramosa, longitudinis diversae, 3 - 10 cent. crassa, constans ligno duriore flavescente, in nonnullis segmentis partim denudato et cortice fibroso, fusco, 2 - 3 mm. crasso, cum strato extimo fungoso, aurco, nonnumquam detrito. Sapor corticis amarus, demum subacer, diu persistens.

Origo botanica perquam dubia. Patria Malacca?

Principia proxima, quibus vis medicata debetur, incognita.

### CANNABINEAE.

#### CANNABIS SATIVA L.

#### *SEMEN CANNABIS.*

Nuculae parvae, 2 - 3 lin. longae, ovato-compressae, obtusae, nitidae, bivalves, indehiscentes, basi hilo carpico notatae, monospermae. Semen pendulum, testa tenuis, fragilis, apice hilo colorato instructa; embryo ex-albuminosus, carnosus-oleosus, albus, inodorus, dulcescens.

Orientis indigena planta, in Europa culta.

Testa mucum vegetabilem, nucleus oleum pingue continet.

## SALICINEAE.

SALIX ALBA L. ET PLURES ALIAE SALICIS SPECIES.

*CORTEX SALICIS ALBAE.*

Cortex convolutus, vix lineam crassus, per longitudinem facile findendus, caeterum tenax. Epidermis in juniore cortice e viridi-fusca, hic illic squamuloso-griseo-argentea, rugosa et castaneo-tuberculata; in vetustis epidermis grisea est et rimosa, stratum corticis exterius rufum, fractura fibrosa, superficies interior laevis, cinnamomea. Sapor mucilaginosus, amaro-adstringens.

In locis humidis colligatur cortex, quo tempore gemmae florales prorumpunt, a ramis 2-3-ennibus; in umbra siccandus.

Inest acidum tannicum, quod salia ferrica viridi colore tingit.

POPULUS NIGRA L. ET ALIAE SPECIES.

*GEMMAE POPULI.*

Gemmae florales et foliaries, 1-2 pollicares, conicae, formatae e squamis arcte imbricatis, inaequalibus, externis resinoso-fuscis, interioribus albo-virescentibus, balsamici odoris et saporis.

Colligantur Aprili et Majo mensibus, ex plantis indigenis et cultis, antequam flores et folia proruperint; cante siccentur.

Insunt oleum aethereum, resina, cera, principium gummoso-extractivum.



## POLYGONEAE.

RHEUM AUSTRALE DON.?

R. EMODI WALL. ET ALIAE RHEI SPECIES.?

*RADIX RHEI SINENSIS*, SIVE *INDICI*, SIVE  
*TARTARICI. RADIX RHABARBARI.*

Optimae rhei speciei e Sina oriundae radix electa constat frustis decorticatis et semi-decorticatis, ponderosis, duris, densis, conicis, rarius plano - elongatis, 5 - 9 cent. longis, 3 - 6 latis, foraminibus transverse pertusis, saepius convexo-concavis, altera parte extrema latioribus, altera angustioribus, utrisque margine subrotundato - obtusis, pulvere denso, pulcherrime flavescente obtectis, et hoc detrito griseis.

Fractura inaequalis, rimosa, quandoque referens cavitates irregulares. Sectionis transversae structura prope marginem radiata, alba aut flavescente materie radiis fuscis interposita, medium versus (nucis moschatae instar) marmorea, venis fuscis irregularibus, quasi in fundo albido crystallino conspicuis. Madefactum hoc rheum aurantium induit colorem; manducatum stridet inter dentes et croceo colore salivam tingit. Odor peculiaris, ingratus; sapor amarus, adstringens. Pulvis est coloris lacte flavi.

Segmenta decorticata sunt praeferenda; quae corticem habent non ideo improbanda. Quae multis majoribusque pertusa sunt foraminibus, quae leviora, spongiosa sunt et nigrescentia, aut quibus tandem sapor est magis nauseosus quam amarus. omnino rejiciantur.

Hujus loco quoque haberi potest Radix Rhei Moscovitici (a Rheo palmato L.?) e Russia allata Asiaticae originis. Sunt segmenta magnitudinis admodum diversae et formae

indefinitae; ut plurimum tamen cylindrica, truncato-conica et planiuscula; postrema majori pretio habita; textura est magis fungosa, quam dura, albido-aut rubro-venosa, majoribus et latioribus foraminibus perforata, cortice privata. Utraque fractura cum longitudinalis tum transversa inaequalis est et adspectu marmorea. In pulverem rubro-flavum hoc rheum facile vertitur. Ponderus specificum non magnum; odor peculiaris, nauseosus; sapor ingratus, amarus, sub-adstringens. Rheum Moscoviticum animalibus insectis prae reliquis rhei speciebus dilectissimum, tum etiam per excellentiam hygroskopicum.

Utraque species continet principium amarum Rhei (Rheinum) et materiam crystallinam, inodoram, saporis expertem, coloris intense flavi (acidum Rhabarbari), et acidum tannicum.

## LAURINEAE.

### CINNAMOMUM ZEYLANICUM NEES.

#### *CORTEX CINNAMOMI ZEYLANICI ET JAVANICI.*

Cortices longissimi, fragiles, in tubos convoluti, superficie glabri, crassitie chartae lusoriae; tenuioribus plerumque ternis, senis vel octonis majori immissis. Stratum corticale e flavescenti-rubellum, fibris longitudinalibus, irregularibus, albidis notatum. Libri color internus obscurior et superficies minus aequalis; transversa ejusdem sectio radiorum medullarium vestigia referens. Sapor dulcis, suaviter aromaticus, parum calidus; vis adstringens.

Crescit arbor in insula Zeylanica. Ex ea in varias regiones tropicas est translata. Quod ex Java adfertur cinnamomum est optimae notae, attamen saporis minus calidi.

Principium proximum characteristicum est oleum aethereum gratissime aromaticum et acidum tannicum, quod salia ferrica viridi colore tingit.

Cortex majori crassitie, colore magis obscuro aut acriore sapore insignis, improbandus est. Cinnamomum Sinense facile a Zeylanico et Javanico distinguitur tubulorum majore crassitie, iisque non in semet invicem contentis, sapore magis acri omnisque suavitatis experte. Hinc Zeylanico et Javanico cortici vix substituendum vel iis commiscendum est.

### OLEUM CINNAMOMI.

Est oleum aethereum flavum, quod temporis vi colorem contrahit pulchre rubro-flavum vel subfuseum; odore praeditum est grate cinnanomeo et sapore primum subdulci, deinde acri, aromatico proprio; facilius spissescit deponitque crystallos, solidescit  $0^{\circ}$ , iterumque fluit  $+ 5^{\circ}$ . Facile solvitur alcohole; pond. spec. est  $= 1,035$  ad  $1,090$ .

Hujus olei species distinguuntur variae, potissimum ab origine petita, ut sunt Zeylanicum, Javanicum. Odore et sapore majorem minoremve gratiam habente praecipue a se invicem distinguuntur; characteres vero verbis denotari vix possunt. Sinense, quod debetur Cinnamomo aromatico Nees; saporem habet magis acrem. Ab hac specie omnino est abstinendum.

Oleum Cinnamomi servandum est in vasculis clausis, quia aëris vi metamorphosin subit, imo recens destillatum differt a vetustiore.

### CINNAMOMUM CAMPHORA NEES.

CAMPHORA OFFICINARUM. C. BAUH. LAURUS CAMPHORA L.

*CAMPHORA. CAMPHURA. CAMPHORA RAFFINATA.*

Materia sui generis, camphora dicta, acquiritur, statu

erudo, maximam certe partem, ex dicta planta Japonica.

Camphora sublimatione depurata prostat forma placentarum convexo-concavarum, quae constant massulis subcrystallinis, granulosis, albis, nitidis, diaphanis, tactu subtenacibus et pinguisculis. Odorem refert proprium, valde penetrantem. Pond. spee. = 0,985 - 0,996; saporem aerem aromaticum habet stimulo suo caloris sensum excitantem, deinde natura sua volatili, sensum frigoris in ore relinquentem. In vulgari aëris calore volatilis est; fluit 137° C., ebullit vero 175° et tota quanta immutata avolat, ita ut sublimatione possit in crystallos eogi. Accensa flammam concipit pellucidam, sub aliqua deflagratione, multumque praebet fuliginis. In aqua vix solvitur, facile autem in spiritu vini, alcohole, aethere, oleis aethereis pinguibisque. Quinque partes alcoholis p. s. 0,806 sex camphorae partes solvunt, temperaturâ vulgari. Iodium eum camphora connubium fuseum, in aqua et alcohole solubile efficit. Coetâ eum acido nitrico, nascitur acidum camphoricum, quod aqua solvitur.

Haud facile in pulverem redigitur, nisi adhibeatur paululum spiritus vini aut alcoholis.

Cave ne sordibus sit inquinata materies.

Servetur in vasis bene clausis, nec solis radiis exponatur.

## LAURUS NOBILIS L.

### *FOLIA ET BACCAE LAURI.*

Folia sempervirentia, brevi-petiolata, lanceolata vel ovata, acuta, coriacea, venosa, vel fere costato-vel reticulato-venosa, nervo medio flavescente, integerrima, glabra, margine plana vel undulata, supra intense-viridia, nitentia, infra opaca, pallidiora, odore et sapore aromatica, aëria. Continent folia oleum aethereum sui generis.

Baccae recentes oblongo-globosae, coeruleo-nigrae, cerasi fere magnitudinis, in sicco statu minores, obscure-fuseae, rugoso-reticulatae. In testa tenui nucleus e flavescenti-fuscus, oleosus. Odor aromaticus, sapor amaro-acer. Continent oleum aethereum et pingue. Arbor Orientis et Europae australis.

## OLEUM LAURINUM.

### *OLEUM LAURI UNGUINOSUM*

Quod a Lauro nomen petiit oleum, exprimendo et coquendo cum aqua, ex Lauri baecis recentibus paratur, in Europa meridionali. Pharmacopola autem oleum hoc ipse parare potest ex baecis siccatis, aquae vaporibus ante expositis.

Est oleum aethereo-unguinum, viride, aut flavo-viride, consistentia unguentum mollius aemulante, granulatum; odore praeditum laurino fortiore, sapore pungente, amaro. Totum solvitur in aethere, pro parte in vini spiritu.

Abstinendum ab oleo, quod sabinæ aliarumve plantarum odorem spargit, et a miscela quae conficitur ex adipe, sevo, oleo lauri aethereo, coloraturque curcumâ et pigmento indico.

## NECTANDRA PUCHURY N. ET M.

OCOTEA PUCHURY MAJOR MART.

### *FABAE PICHURIM MAJORES.*

Cotyledones circiter 4 cent. longi, 1½ lati, utraque extremitate rotundati, externe convexi, interne plano-concaviuseuli aut late et profundius sulcati, fusco-nigri, intus sordide-flavescentes, corticem ligni sassafras olentes, hujus et nucis moschatae mixtum saporem referentes.

Arbor indigena regionum ad flumen Amazonium in America sitarum.

Habent oleum aethereum et pingue.

### SASSAFRAS OFFICINALIS NEES.

#### *CORTEX CUM LIGNO SASSAFRAS. CORTEX SASSAFRAS.*

Prostant vulgo lignum radice cum ejusdem cortice et ipse cortex a ligno solutus. Sunt segmenta priora variae formae, magnitudinis et crassitiei.

Corticis a ligno separati frusta planiuscula, aut imperfecte tubulosa, 5-10 cent longa, 1-3 cent. lata, 1-2 mm. crassa, ferruginea, tactu mollia, friabilia, spongiosa, saepius detrita, late nigro-vel albo-maculata, intus fusca vel sordide nigro-fusca, grosse fibrosa. In frustis caulinis fissurae atque rimae irregulares et epidermis superstes, saepius griseo-flava et nitens; structurae ipsius internae color fusco-niger. Odor fragrans, foeniculum redolens, qualis etiam sapor, qui demum amarus. Lignum ipsum pallide-griseum aut flavo-fuscum, odoris et saporis minus calidi; una cum cortice rasuram sassafra officinarum efficiens. Lignum cum cortice e caule et ramis, iisdem partibus ex radice desumptis postponatur.

Arbor indigena imperii Mexicani et Brasiliae.

Principium maxime efficax est oleum aethereum.

### DAPHNOIDEAE.

#### DAPHNE MEZEREUM L.

#### *CORTEX MEZEREI.*

Cortices longi, convoluti, tenues, tenacissimi, epidermide

viridi-fusca aut flavescēte, post desiccationem oblique-rugosa; strato corticali tenui, membranaceo, arcte conjuncto cum libro valde reticulato fibroso, albido, nitente. Odor fere nullus, at sapor acerrimus, causticus, diu persistens; cutim et internarum partium membranas acore suo rubefaciens et in vesiculas attollens.

Fruticulus montium sylvestrium Europae meridionalis et mediae, in hortis frequenter cultus, a quo cortex colligitur primo vere ex caule ramisque fortioribus antequam alabastra explicantur; siccatus in fasciculos conjungitur. Saepius renovandus.

Principia propria huic cortici sunt daphninum quod quibusdam cum asparagino prorsus convenire censetur, et resina acris.

## ARISTOLOCHIEAE.

### ARISTOLOCHIA SERPENTARIA L.

#### *RADIX SERPENTARIAE. SERPENTARIA VIRGINIANA.*

Rhizomata lignosa,  $1\frac{1}{2}$  - 3 cent. longa,  $1\frac{1}{2}$  - 1 cent. crassa, flexuosa, griseo-fusca, vestigiis turionum abscissarum, nonnumquam foliis et capsulis complanato-sphaericis, polyspermis, sexlocularibus (inertibus) instructa. Fibrae radicales circiter 5 - 10 cent. longae,  $1\frac{1}{2}$  - 1 millim. fere crassae; basi parumper ramosae, parallelae, aut inter se invicem contextae, sordide-flavae, aut griseo-fuscae, intus albae et medio rubrae. Tota radix fragilis, levissima, aromatica, resinosa, fragrans, camphoracea, ingrate-amara.

In his characteribus optimae radices notae; his absentibus, aut minus manifestis, vilior radix habenda.

Stirpis perennis regionum montosarum sylvestrium Virginiae, Carolinae, Pennsylvaniae indigenae plures viden-

tur esse varietates ; immo diversas species affines nondum rite cognitae radici *Serpentariae officinarum* admixtas esse, probaret radicum et foliorum iis adhaerentium inspectio.

Partes essentielles proximae huic radici characteristicae sunt oleum aethereum, resina mollis et substantia extractiva amara, ulterius indaganda.

## VALERIANEAE.

### VALERIANA OFFICINALIS L.

#### *RADIX VALERIANAE.*

Rhizomata 1 - 3 cent. longa, teretia vel oblonga, saepius praemorsa, nigro-fusca, intus (in juniori statu) versus peripheriam referentia corticem flavescens, annulo flavescens-fusco distinctum, substantiam mediam albam, lignosam ; adhaerentibus vestigiis caulium. Fibrae radicales varia directione inflexae, numerosae, 5 - 15 cent. longae, tenues, odoris camphoracei, foetentis et cum urina felium domesticarum comparati, saporis subdulcis, aromatici, acris, amari, nauseosi.

Radix colligenda in locis siccioribus ex plantis 2 - 3-ennibus, antequam folia proruperint; cito siccanda. Minus medicata quae crescit in locis humidis paludosisque.

Principia proxima prae reliquis notanda sunt oleum aethereum, acidum valerianicum et materies extractiva amara.

## COMPOSITAE.

### INULA HELENIUM L.

#### *RADIX HELENII. ENULAE. INULAE.*

Radix ramosa, cylindrica, crassa, curvata, ponderosa,



fragilis, in strato corticali 2 - 3 lin. crassa, in lignoso tenacior (in recenti statu carnosa), peripheriam versus radiata, porisque intus praedita; odor ingratus, sapor amaro-acer, diu in ore persistens.

Frusta per longitudinem sectae et siccatae radice fusiformia, basi 2 - 2½ cent. lata, 8 - 10 cent. longa, ad partem extremam attenuata, extrinsecus contracta, rugosa, fibrillarum abscissarum reliquiis notata, intus media parte lignosa elevata. Stirps Europae vulgaris, frequenter culta. Legatur radix vere aut autumnis. Cito siccetur.

Propriam habet olei aetherei (stearoptenon) speciem, resinam acrem mollem, inulinum et principium extractivum amarum.

#### ANTHEMIS NOBILIS L.

##### *FLORES CHAMOMILLAE ROMANAE.*

Involucra hemisphaerica squamis imbricatis, oblongo-ovatis, margine membranaceis, pellucidis, subtilissime ciliatis. Flosculi heterogami: discoidei, androgyni, flavescens, infundibuliformes, numerosi, limbo erecto, quinquefido; radiati foeminei, 12 - 18, albi, oblongo-lanceolati, basi angustiores, apice tridentati, dentibus rotundatis quorum medius longior. Achaenia obovata, altero latere tricostata, nuda. Receptaculum conicum, oblongum, paleaceum, paleis fere flores aequantibus, duplicato-serratis, dorso pilosiusculis. Odor penetrans, non ingratus, sapor aromaticus, amarus.

Plantae perennis Europae australioris; cultura frequenter flosculi disci omnes aut plerique in ligulas convertuntur, seminibus aborientibus. Qui flores in officinam vulgo recepti, tamen propter olei aetherei minorem copiam, floribus normalibus habentur secundi. Flores Chamomillae Romanae vetusti inodori, et sordido colore praediti rejiciantur.

Flores Pyrethri Parthenii Smith, qui subinde his floribus

intermisceri dicuntur, facile distinguere licet receptaculo nudo, magnitudine minore et odore diverso, magis nauseoso.

Habent flores Chamomillae Romanae oleum aethereum et materiem extractivam amaram.

### MATRICARIA CHAMOMILLA L.

#### FLORES CHAMOMILLAE VULGARIS.

Involucra hemisphaerica, squamis linearibus, imbricatis, margine et apice albido-membranaceis, non scariosis. Flores heterogami: qui in disco androgyni, parvi, infundibuliformes, numerosi, margine plani; flosculi radiati foeminei, 12 - 13, albi, reflexi, tridentati. Achaenia oblonga, quadrangularia, costata, pallide-fusca, pappo coroniformi, brevi, integro instructa, receptaculo ovato-conico, intus cavo insidentia. Odor aromaticus, qualis etiam sapor, qui simul subamarus. Planta annua in arvis viisque Europae, nobis indigena, florens Augusto mense.

Intermixti nonnumquam flores Anthemidis arvensis L. a floribus Matricariae Chamomillae L. differunt: absentia odoris, achaeniis obconicis, receptaculo paleaceo, meduloso (non cavo). Anthemidis Cotylae L. flores differunt: odore nauseoso, sapore acri, capitulis majoribus, achaeniis ovatis, receptaculo paleaceo, meduloso.

Continent flores oleum aethereum et materiam extractivam amaram.

### ARTEMISIA VAHLIANA KOSTEL.

ARTEMISIA CONTRA VAHL. HERB. ET AUCT. PLURIM. NON LINN.

### ARTEMISIA PAUCIFLORA STECHMANN.

#### SEMEN CINAE s. SANTONICI.

SEMEN CINAE LEVANTICUM. SEMEN CONTRA.

Semini Cinae Levantico, optimo, electo sive in granis

dicto, in mēreatura duae insunt subspecies, quarum altera constituit semen cinae halepense, altera semen cinae rossieum sive moscoviticum.

a.) Semen cinae halepense constat capitulis nondum apertis,  $1\frac{1}{2}$  -  $2\frac{1}{2}$  mm. longis,  $\frac{3}{4}$  - 1 mm. crassis, fusco-viridibus, propter involucellorum imbricatorum nervos exstantes angulatis, resinoso-, et fuseo-glanduliferis, basi et marginibus subtilissime lanatis.

b.) Semen cinae rossieum s. moscovicum constat capitulis clausis, 1 - 2 mm. longis,  $\frac{1}{2}$  -  $\frac{3}{4}$  mm. crassis, flavo-viridibus, angulatis, involucellis subtilissime impresso-glanduloso-punctatis et saepius stellato-minutissime lanatis. Haec subspecies verosimiliter oriunda ab *Artemisia pauciflora* Stechmann, maximam partem semen Ciniae Levanticum constituit. Utrisque odor ingratus, aromaticus, sapor aeer aromaticus, amaro-nauseosus. Electum optimumque ex his seminibus habetur semen Ciniae separatis sordibus ex aliis vegetabilium partibus intermixtis. Continent santoninum, oleum aethereum et materiam extractivam amarum.

Huic semini Ciniae Levantico secundum est, quod vulgo semen Ciniae Barbaricum s. Africanum vocatur et quod ab *Artemisia Sieberi* Bess. (*A. glomerata* Sieber. herb. flor. palaest non Ledebour) et *Artemisia Lereheana* Stechmann oriundum putant. Hujus seminis, pro diverso eolore, tres distinguuntur varietates, flavo-grisea, albo-grisea, fusea.

Prior frequentissime obvia, ideoque de industria memoranda, constat maxime frustulis ramulorum, tum vero etiam capitulis  $\frac{1}{2}$  - 1 mm. longis, quorum involucella sunt villosa fusca, glanduloso-punctata. Ad *Artemisiam Sieberi* Bess. referenda? Sapor et odor in his uti et in reliquis varietatibus, quae rarius obviae sunt, minus fortes

sed analogi saporis et odoris seminis Levantici. Barbaricum tamen semen arceatur ex officinis.

### ARTEMISIA VULGARIS L.

#### *RADIX ARTEMISIAE SIVE ARTEMISIAE VULGARIS.*

Rhizomata obliqua, rugosa, cylindrica, deorsum angustiora, 10 - 16 cent. longa, circiter 1 cent. crassa, simplicia, striata, intus alba, extrinsecus obscure fusca, fibris crassioribus, ramosis, rugosis obsessa, quarum transversa sectio monstrat epidermidem tenuem, substratum corticale crassius fuscum, albidum, ab interiore parte circulo fusco distinctum, medullam vero albam. Fractura est inaequalis. Odor in siccata radice ingratus, valerianam redolens; sapor ingratus, dulcis, acer. Indigenae nobis plantae radix colligenda vere primo aut exeunte autumnno, ab adhaerente arena sordibusque sine aquae usu depuranda, in umbra modico calore siccanda, saepius renovanda.

Principia proxima prae reliquis notanda sunt oleum aethereum, resina acris, mollis, saccharum glucosum, materies gummoso-extractiva, acidum tannicum.

### ARTEMISIA ABSINTHIUM L.

#### *HERBA CUM SUMMITATIBUS ABSINTHII.*

Folia petiolata, incana, dorso subtomentosa, radicalia tripinnatifida, laciniis lanceolatis, dentatis, obtusis; caulina alterna, inferiora bipinnatifida, superiora pinnatifida laciniis lanceolatis, acutiusculis; floralia (bractae) integra, lanceolata. Florum capitula in racemis paniculatis,

globosa, secunda, nutantia; flosculi flavi, in receptaculo villosa. Odor aromaticus, sapor amarissimus.

Planta perennis Europae mediae et australis, nobis in locis demissis spontanea; Julio et Augusto mensibus legenda herba; siccata saepius renovanda.

Principia proxima peculiaris sunt materiae extractiva, maxime amara (absinthinum) et oleum aethereum.

### TANACETUM VULGARE L.

#### FLORES ET SEMINA TANACETI.

Flores discoidei androgyni, tubulosi, quinquefidi; in margine pauci foeminei, trifidi, aurei. Achaenia vix linearia, oblonga, striata, griseo-fusca, brevique margine membranaceo coronata. Odor est nauseosus; sapor similis et simul amarus.

Planta perennis, nobis vulgaris, Augusto florens, seminibus maturis colligenda.

Continent oleum aethereum, materiam extractivam amaram et acidum tannicum quod salia ferrica viridi colore tingit.

### ARNICA MONTANA L.

#### FLORES ET RADIX ARNICAE.

Capitula majora, involucri squamae 20-24 aequales, biseriales, lineari-lanceolatae, acutae, exteriores tomentosae, pilis articulatis, apice purpurascens, ab interiore parte glabrae, striatae, nitentes, in apicis margine tomentosociliatae. Flores flavi; corollulae disci numerosae, androgynae, infundibuliformes, margine quinquefido; marginales ligu-

latae, foemineae, 16 - 20, tridentatae. Achaenia elongata, quinquangularia, brevissime pilosa; pappus sessilis, pilosus, scaber; receptaculum convexum, foveolatum, inter foveolas pilosum. In recentibus floribus odor nauscusos, aromaticus; in siccatis debilior; sapor amaro-acer.

Continet resinam acrem materiamque extractivam acrem et oleum aethereum.

Plantae perennis Germaniae et reliquae mediae Europae pascua montana sylvestria amantis, Junio Julioque mense florentis legantur flosculi bene evoluti sine involucribus et receptaculis; celerrime siccentur.

Qui cum floribus Arnicae montanae L. quandoque misceri videntur aliarum plantarum flores, sic ab his distinguendi. Capitula Hypochaeridis maculatae L. habent involucria imbricata, flosculos omnes androgynos, ligulatos, quinquedentatos, cum pappo stipitato, plumoso, et receptacula paleacea non pilosa. In Inula dysenterica L. sunt involucria imbricata et receptacula nuda. In floribus Doronici Pardalianches L. et D. scorpioidis L. ligulae radii achaenia nuda habent.

Radix Arnicae has fere notas habet:

Rhizomata levia sunt, obliqua, fusco-nigra, 3 - 7 cent. longa, subcylindrica, cicatrisata,  $\frac{1}{2}$  cent. fere crassa, nonnumquam ramosa, praemorsa cum vestigiis caulium et partium foliacearum, transversa sectione externe fusca, tum flava, medio porosa; fibrillae 3 - 10 cent. longae, simplices, cylindricae,  $1\frac{1}{2}$  mm. crassae, curvatae, tenaces, fusco-flavescentes. Odor parum aromaticus, gratus; sapor amaro-acer, aromaticus, nauseosus, diu persistens. Vere primo colligenda radix et cito sicca.

Continet resinam acrem, oleum aethereum, et acidum tannicum, quo sales ferrici viridi colore tinguntur.

Admisceri dicuntur plures radices ab aliis plantis petitaе. Inter has radix Inulae dysentericae L., quae admodum crassa, grisea, ubicumque valde fibrosa, nodosa, insipida;

maxime vero radix *Solidaginis virgaureae* L. interesse solet, quae multo crassior, durior, lignosa, coloris flavescens, multis fibris obsita, intus aequalis, alba, medio medullosa, nonnumquam cava, in recenti statu valde aromatica, in siccato fere inodora.

### CALENDULA OFFICINALIS L.

#### FLORES CALENDULAE. HERBA CALENDULAE.

Capitula heterogama; involucri hemisphaerici squamis lineari-lanceolatis, glandulosis, pilosis, biseriatis. Flores discoidei tubulosi, masculini; radiati ligulaeformes, femini et fertiles, in receptaculo nudo, omnes aurantiaci; achaenia biseriata, incurva, muricata. Odor est valde aromaticus; sapor subamarus, subadstringens.

Plantae Europae meridionalis, frequenter cultae flores legantur plane explicati.

Herba calendulae, sive canlis herbaceus, erectus, patentiramosus, glanduloso-pilosus, et folia remote-dentata vel integerrima, inferiora oblongo-spathulata, sessilia, superiora basi amplexicaulia, rotundata, oblonga et lanceolata, carnosula, griseo-viridia, in statu recenti habent odorem fortem, ingratum, saporem balsamico-resinosum, amaro-subsalinum. Herbae siccae odor et sapor debiliores. Inest materies glutinosa, calendulinum dicta, una cum materia resinosa et extractiva amara.

### CNICUS BENEDICTUS GÄRTN.

CENTAUREA BENEDICTA L.

#### HERBA CARDUI BENEDICTI.

Folia saepius spithamea, oblonga, 2-4 cent. lata, amplexicaulia, subdecurrentia, semipinnatifida, margine

ciliata et denticulato-spinosa, inferiora duplicato-sinuata, superiora sinuata vel runcinata, acuta, in recenti statu profunde-viridia, reticulato-venosa, villosa-sublanuginosa, subviscosa; in sicco statu griseo-viridia, inodora, saporis fortiter amari diuque persistentis.

Plantae annuae, in Europa frequentur cultae, herba colligatur ineunte mense Julio, instante anthesi. Rejice herbam obscure fusco colore indutam, non valde amaram.

Insunt materies extractiva amara et diversa principia salina.

LAPPA MAJOR GÄRTN., MINOR DC.,

TOMENTOSA LAM.

ARCTIUM LAPPA L.

*RADIX BARDANAE.*

Radix ramosa, cylindrica, carnosae, in sicco statu digitum crassa, nigro-fusca, profunde et longitudinaliter rugosa, parumper torta; interior compages laxa, fibrosa, spongiosa, albida, circumdatur annulo corticali densiore resinoso. Fractura externi strati aequalis, interni inaequalis fibrosa. Odor radice siccae debilis, sapor ingratus, mucilaginosus, vix amarus, tandem subacer.

Legenda radix Bardanae primo vere aut sero autumnis, in frusta longiora secanda, prompte siccanda; vetusta, cava, lignosa rejicienda.

Principia propria inulinum, materies extractiva amara et acidum tannicum.

LACTUCA SCARIOLA L.

*HERBA LACTUCAE VIROSAE, s. SYLVESTRIS,*  
s. *SCARIOLAE.*

Plantae annuae et biennis in locis incultis, in muris et



ad vias Europae mediae spontaneae habitus aemulatur Lactucam virosam L., floretque inde a mense Julio ad mensem Septembrem.

Haec species notatur foliis verticalibus, nervo medio carinato-setoso-aculeatis, ovali-lanceolatis, basi sagittatis, runcinato-pinnatifidis vel sinuato-incisis, laciniis obtusis, utraque pagina concoloribus, foliis caulinis superioribus sagittatis, floralibus sagittato-cordatis, acuminatis, integris; floribus erectis, pyramidalibus; achaeniis utrinque 7-striatis, anguste marginatis, apice setoso-villosis, rostro albido fructus longitudinem aequante. Herba recens lactescens, nauseoso-amara, acris, graveolens propter succum narcoticum; colligatur instante anthesi ex stirpe adulta in locis apricis; cito siccanda; siccata herba est inodora.

Principia chymica proxima characteristicum sunt materies valde amara (lactucinum), resina acris et substantia extractiva amara.

Lactuca virosa L. quaecumque facile confunditur, differt a dicta specie praecipue foliis horizontalibus, radicalibus ovali-oblongis, obtusis, integris, decurrentibus, caulinis inferioribus oblongo-lanceolatis, sinuatis et undulatis. Utrique speciei aequalia sunt loca natalia.

Sonchi palustris L. herba cum Lactucae Scariolae herba si commutatur, facile ab eadem distinguitur: caule angulato, fistuloso, sursum pilis nigris obsesso, nervo medio ad dorsum inermi, inflorescentia umbellata irregulari, involucre et pedicellis pilis nigris obsessis.

Constat Lactucam Scariolam L. non solum primum esse adhibitam, sed etiam fere ubivis in officinis esse obviam.

## LACTUCA SATIVA L.

### *LACTUCAE SUCCUS INSPISSATUS. LACTUCARIUM.*

Qui instante ac durante anthesi in caule Lactucae

sativae abundat succus viscidus, albus, lacteus, sponte aut solis calore induratus, Lactucarii nomine cognitus, ob eximias narcoticas vires inter praestantiora medicamina referendus, in officinis itaque pharmaceuticis praesto habendus est. Ut obtineas, caulis superficies incisionibus longitudinalibus vulnretur, et quae deinde exstillant guttulae lactae congruâ encheiresi colligantur. Collectus ita succus deinde calore solari exsiccetur et in vase clauso servetur.

Vulgo prostat specie glebarum duriuscularum attamen fragilium, dentibus sub masticatione aliquantulum adhaerentium, saporis amari, coloris in superficie e flavo fusciscentis, ac si diffingas, albidum aut subgriseum, odoris fere nullius.

Aquâ aut alcohole commixtum, liquorem lacteum praebet, nec tamen his menstruis totum solvitur. Optimae notae habetur ex Angliâ allatum, Lactucarii Anglici titulo asservandum; quod vero in Galliâ aut indicatâ methodo aut succi expressi induratione paratur et illinc, Lactucarii Gallici aut Thridacis nomine adfertur, utpote multo minoribus viribus medicatis praeditum, non adhibeatur.

### TARAXACUM DENS LEONIS DESF.

LEONTODON TARAXACUM L.

### HERBA RECENS ET RADIX TARAXACI.

Folia juniora tomentosa, perfecta glaberrima, inaequaliter- et acute-runcinata, lobi triangulares, lanceolato-dentati, saporis amari.

Rhizoma in plantis annosioribus multiceps, digiti, in junioribus calami scriptorii crassitiem aequans, fusiforme, 10 - 20 et quod excurrit centim. longum, saepius ramo-

sum; in recenti statu griseo-flavum, fuscum, in sicco obscure-fuscum, rugosum; stratum corticis annulo rubello segregatum a parte centrali, sublignosa, flavescente; interius carnosum, densum, ochroleucum, ante anthesin succo in primis lacteo plenum. Fractura aequalis, sapor amarus, dulciusculus, mucilaginosus.

Tota planta lactescens, perennis, indigena, primo vere colligenda.

Principia proxima characteristicam sunt saccharum glucosum, materies extractiva amara, et inulinum, salesque kalici et calcici.

## RUBIACEAE.

### CEPHAËLIS IPECACUANHA WILLD.

#### *RADIX IPECACUANHAE. I. FUSCAE ET GRISEAE SIVE ANNULATAE.*

Radix plantae Brasiliensis simplex aut subramosa, 5-12 cent. longa, 3-5 lineas crassa, flexuosa, nodoso-articulata, sive annulata annulis approximatis, colore obscure griseo-fusco, intus albo-cinereo. Massa corticalis dura, facile ab interiore separanda, decidua; interior lignosa, tenax, cui quasi filo adhaeret cortex moniliformis; odor fatuus, in contusa radice nauseosus; sapor in strato corticali ingratus, amarus, acer, in ligno vero, quod iners, vix ullus. Radix rarius adulteratur.

Principium activum est emetinum.

CINCHONAE L. DIVERSAE SPECIES NONDUM  
CERTO INDICATAE.

*CORTEX PERUVIANUS.*

*CINCHONA LANCIFOLIA* MUT.

ANGUSTIFOLIA RUIZ.

a.) *CORTEX PERUVIANUS REGIUS. CHINA  
REGIA. CALISAYA.*

Cortices sunt plani vel tubulosi. Frusta plana sunt formae irregularis, quodammodo concava, diversae longitudinis, latitudinis et crassitiei, fere solo alburno constituta. In corticibus tubulosis notantur plerumque epidermis, cortex, liber et in robustioribus quoque pars alburni. Rugae et fissurae longitudinales atque rimae transversae frequentes; postremae fere circulares eaeque maxime characteristicae margine elevato crassiore, vel post corticem deciduum in ipso etiam alburno impressionibus conspicuae. Color lacteus, leucophaeus, aut (absente epidermide) fuliginosus, vel hepaticus, caeterum propter Lichenes admodum varius; in frustis planis cinnamomeus vel ferrugineus, interiore facie concolore, aequali, haud fibrosa. Fractura utriusque formae in alburno in primis fibrosa, ipsius strati corticalis transverse diffracti color castaneo-resinosus; pulvis cinnamomeus. Odor est corticis quercini ad coria praeparanda adhibiti. Sapor subacidulus (ut in omnibus corticis peruviani speciebus) amarus, aromaticus, adstringens, diu persistens. Adfertur ex Nova Granada e sylvis prope Santa Fé de Bogota.

Ad chininum parandum hic cortex est aptissimus.

## CINCHONAE SPECIES NONDUM COGNITAE.

## b.) CORTEX PERUVIANUS FUSCUS.

1. CHINA HUANUCO. CORTEX PERUVIANUS  
GRISEUS. CHINA GRISEO-FUSCA.

CORT. PERUV. FUSCUS PH. BELG. EX PARTE.

Tubi sub-convoluti (1), convoluti, integri, spirali modo torti, subcomplanati aut per longitudinem divisi; integri circiter  $\frac{1}{2}$  -  $3\frac{1}{2}$  cent lati, cortice 1 - 5 mm. crasso; externe rugis fissurisque longitudinalibus, saepius etiam fissuris transversis subtilioribus margineque planis, haud circularibus (raro nullis), adpectu saepe tessellato; colore variat inter lacteum et leucophaeum, absente epidermide in tubulis tenuioribus et mediocribus, saepe est capreolatus; et cycaceus, in crassioribus vero e rubro cinnamomeus. Facies interior in tubulis tenuioris et mediocris diametri satis laevis, in crassioribus saepe inaequalis, grosse fibrosa, ferruginea aut cinnamomea. Fractura chinae huanuco raro est aequalis, plerumque quodammodo inaequalis, quin tamen sit fibrosa; color fracturae fere idem qui internus, sectio transversa resinae praesentiam manifestat. Pulvis cinnamomeus. Odor subdulcis, huic soli cortici

---

(1) Scriptoribus de cortice peruviano formae diversae tuborum his fere terminis artis solent indicari:

*China subconvoluta* dicitur illa forma tuborum, ejus margines ad se invicem proxime accedunt aut se invicem attingunt.

*China convoluta* dicitur, ejus margines sibi invicem ineumbunt, quae igitur vere convolvitur.

*China involuta* est, ejus uterque margo involvitur, ita ut quisque tubus duos tubulos vel cylindros constituat.

peculiaris. Sapor acidulus, adstringens, subaromaticus, demum amarus, haud ingratus, persistens.

Inter cortices fuscus optimus solet haberi.

Crescit in provinciis Peruviae Huanuco et Huamalies.

b.) CORTEX PERUVIANUS FUSCUS.

CINCHONA CONDAMINEA HUMB. ET BONPL.  
ET C. SCROBICULATA HUMB.

2. CHINA LOXA. QUINQUINA DE LOXA.  
LOXA CORONA.

CORTEX PERUVIANUS FUSCUS. PH. BELG. EX PARTE.

China plerumque involuta (numquam plana aut nuda); epidermis numquam plane abest; caeterum universe constat e cortice et libro. In corticibus tenuioribus et mediocribus cortex proprie dictus  $\frac{1}{3}$ , in crassioribus  $\frac{1}{5}$  -  $\frac{1}{6}$  diametri partem facit; in tenuioribus et mediocribus fissurae transversae plerumque non valde remotae, circulares, quae tamen in tenuioribus quandoque deficiunt, qui contra fissuris longitudinalibus notantur; in crassioribus transversae, magis remotae, saepius abruptae; nonnumquam etiam superficies inaequalis, valde rugosa. Color characteristicus rubiginosus; alii colores, si adsunt, producuntur a Lichenibus, quod valet de colore saepe schistaceo, leucophaeo, aliis.

Facies interior laevis, cinnamomea vel ferruginea. Fractura aequalis, in exteriori strato badia, resinosa, reliqua cinnamomea; odor corticis quercini ad coria praeparanda adhibiti; sapor adstringens, acidulus, demum amarus, haud stimulans. Pulvis cinnamomeus.

Adfertur ex provinciis Loxa, Huancabamba, Jean de Bracomoros.

## CINCHONAE SPECIES?

c.) *CORTEX PERUVIANUS RUBER. CHINA RUBRA.*

Constat segmentis planis iisque irregularibus, aut saepe plano-convexis variae diametri et crassitiei, tubisque subconvolutis, convolutis, involutis, laud raro spiralibus. Tubi tenuiores et mediocres habent rugas canaliculatas longitudinales, approximatas. In crassioribus tubis et in segmentis planis hae rugae saepius sunt elevatae, verrucosae, granulares. Fissurae autem tuborum crassiorum et segmentorum planorum longitudinales saepius vel in ipso albarno vestigiis elevatis dignoscuntur. Fissurae transversae in cortice peruviano rubro rariores. Color in tubulis tenuioribus et mediocribus variat inter griseo-fuscum, glandaceum et rubro-fuscum; in tubis crassioribus in badium transit, in detritis corticibus est fusco-ruber. Alburni facies fibrosa, in crassioribus tubis et segmentis planis grosse-fibrosa et ideo inaequalis; color rubro-fuscus; sectio ipsius strati corticalis badia, reninosa, micans; fractura in crassioribus segmentis fibrosa. Pulvis rubro-fuscus. Odor corticis quercini ad corium praeparandum adhibiti, sapor grate-amarus, aromaticus, stimulans, non diu persistens.

Cortex adulteratus, tinctus, fracturae caractere praesertim dignoscitur. Haec praestantissima China ex Cinchona Peruviae nondum satis certo indicata habetur.

## CINCHONA CONDAMINEA MUTIS?

d.) *CORTEX PERUVIANUS FLAVUS. CHINA FLAVA DURA ET FIBROSA. CHINA AMERICANA.*

CORTEX PERUVIANUS REGIUS SEU FLAVUS. PH.

BELG. EX PARTE.

Segmenta plana et tubulosa. Tubi variae crassitiei et

diametri, subconvoluti, convoluti, involuti. Frusta plana canaliculata vel curvata, circiter  $1\frac{1}{2}$  -  $2\frac{1}{2}$  centim. lata, 3 - 5 mm. crassa, raro epidermide integra praedita, saepe detrita, mollia, subspongiosa, fissuris et lineis tenuibus irregularibus notata. Idem fere valet de tubulorum superficie; utrisque color ochraceus, qualis etiam facies interior, quae aequalis aut fibrosa; fractura tam longitudinalis quam transversa perquam fibrosa; in longitudinem cortex plerumque obliqua directione diffrangitur. Pulvis coloris variantis inter cinnamomeum et ochraceum. Odor vix similis odori corticis coriariorum. Cortex americanus magis lignum quam chinam sapit, estque parum amarus et adstringens. Ex Nova Grenada a stirpe nondum certo indicata.

Corticis Peruviani plures a scriptoribus pharmacologis admittuntur species, non semper indubiis notis a se invicem distinctae, nedum ad species Cinchonarum tuto referendae; omnes tamen majori minorive eorundem principiorum efficacium copia insignes. Sunt haec principia: resina, acidum tannicum, chininum, cinchoninum, acidum chinicum calci junctum, amyllum aliaque principia vegetabilium proxima, plerisque aliis plantis etiam communia. Duorum principiorum alcaloideorum dictorum in tribus corticibus primariis ratio sic fere indicari potest.

|              |            | Cinch. |   | Chinici. |
|--------------|------------|--------|---|----------|
|              |            | —————  |   | —————    |
| Cort. fuscii | 100 partes | 3,0    | — | 0,2      |
| » regii      | »          | 0,3    | — | 3,3      |
| » rubri      | »          | 1,0    | — | 3,0      |



## LONICEREAЕ.

## SAMBUCUS NIGRA L.

*CORTEX INTERIOR, FLORES ET BACCAE  
SAMBUCI.*

Cortex ramorum vere collectus, ablata epidermide e viridi-albus, odoris ingrati, saporis primum dulcis, tum acris, salini, amari, valde ingrati; in sicco statu convolutus, rasuram referens.

Flores parvi, recentes lactei, corollis rotatis quinquefidis, laciniis reflexis; siccati sordide sulphurei, aromatici, mucilaginoso-amari, tempestate sicca legendi cum pedicellis; cito siccandi. Qui vitiosi sunt odoris et coloris, rejiciantur. Oleum aethereum eorum est elementum maxime medicatum.

Baccae sunt nigrescentis coloris, succo violaceo scatent, odoremque habent peculiarem, ingratum, saporem amaro-acidulum, dulcem. Continent principia activa saccharum et acidum malicum.

## OLEINEAE.

## FRAXINUS ORNUS L.

*MANNA.*

Manna, succus saccharinus inspissatus, vel sponte stillat, vel ex vulneribus Fraxini Orni, potissimum varietatum quas *Garganicam* et *cordatam* vocant, effluit.

Manna, cancellata siye canaliculata prostat sub forma frustorum oblongorum, plus minusve convexo-concavorum, quasi e lamellis sibimet impositis constantium, siccorum, parum glutinosorum. Color est albo-lutescens. Electa,

sive in lacrymis, est magis granulosa vel formae irregularis, subglutinosa, albida. Sapor est dulcis, melleus, rancedinem quamdam relinquens, cum simili fere odore. In aqua et spiritu vini calido solvitur. Refrigerio ex solutione spirituosa deponitur massa crystallina, quae ex mannitâ maxime constat.

Non est admittenda Manna cruda, in sortis, crassa dicta, quae impurior, sordida, fusca, frustulis coerulecentibus mixta, unguinosa, humida, deliquescens.

Sulphas natricus et magnescicus admixtus agnoscitur, quando mannae solutione in aqua pura additur solutio chloreti barytici.

## LOGANIACEAE.

### STRYCHNOS NUX VOMICA L.

#### *NUCES VOMICAE.*

Semina depresso-orbiculata,  $2\frac{1}{2}$  cent. diametrum fere habentia, 3 mm. crassa, margine rotundata, basi umbilicata, cinereo-sericea, intus albidiora, cornea, nucleo facile in duas lamellas dividendo, inodora, amarissima, venenatissima, ob tenacitatem vix in pulverem contundenda et non nisi post plenam desiccationem in hanc formam redigenda.

Arbor Indiae Orientalis.

Principia alcaloidea habent strychninum et caniraminum (Brucinum).

## GENTIANEAE.

### GENTIANA LUTEA L. - ET PURPUREA L?

#### *RADIX GENTIANAE LUTEAE, s. RUBRAE.*

Radix simplex, vix ramosa, subcylindrica, a basi ad

apicem attenuata, a palma ad pedem longa, basi saepius 3 cent. lata, in statu sicco rugosa, valde contracta, arcissime annulata, per longitudinem sulcata; flexilis, vix frangenda; color e cinereo-flavescente et nigro mixtus. Transversa sectio flavo-rubella, aut fusca monstrat stratum externum corticale 3-4-5 mm. latum, densius, obscurius, resinosum, massam vero internam radiatam et hic illic porosam.

Radix Gentianae verosimiliter etiam oriunda ex alia Gentianae L. specie, una cum specie indicata montes altiores frigidioresque praesertim Helvetiae inhabitans, verno tempore a stirpibus annosioribus legenda. Quae nimis lignosa, intus cariosa aut excavata, non est adhibenda.

Principium activum est materies extractiva amara et gentianinum.

#### ERYTHRAEA CENTAURIUM PERS.

##### HERBA s. SUMMITATES CENTAURII MINORIS.

Caules herbacci, simplices, quadrangulares, foliis oppositis, inferioribus ovato-obtusis, superioribus ovato-oblongis, quinque-nerviis, glabris, lacte viridibus. Flores corymbosofastigiati, calyce tubuloso, subquinquefido, corollâ roseâ, infundibuliformi, quinquefida, laciniis ovalibus. Herba amarissima materie extractiva amara dives.

Planta indigena loca arenosa amans et regiones dunarum apricas, sub anthesi sine caulibus crassioribus legenda.

#### MENYANTHES TRIFOLIATA L.

##### HERBA TRIFOLII FIBRINI s. AQUATICI.

Folia recentia succulenta, longe petiolata, petiolis basi

vaginantibus, ternata; foliolis ellipticis aut obovatis, obtusis, laete viridibus, integerrimis aut subrepandis, crenatis, crenis obsolete-glandulosis, inodoris, peramaris.

Plantae indigenae pascua paludosa et fossas amantis folia legenda sunt sub anthesi vel etiam hac peracta.

Herba tota principio amaro extractivo praedita.

## LABIATAE.

LAVENDULA VERA DC.

L. SPICA ET ANGUSTIFOLIA L.

*LAVENDULA. FLORES s. SPICAE*  
*LAVANDULAE s. LAVENDULAE.*

Folia sessila, oblongo-linearia vel lanceolata, integerrima, juniora cano-tomentosa, margine revoluta. Spicae interruptae. Verticilli 6-10-flori, floribus brevi-pedicellatis, bracteis ovatis, acuminatis, membranaceis; omnibus floribus fertilibus; corollis supremis, calyce brevioribus, cum bracteis obsolete. Calyces ovato-ventricosi, coeruleo-violacei, tomentosi, quinquedentati, dente supremo angustiore, appendiculato. Corolla violacea, calyce duplo longior. Lavendula habet odorem gratum, aromaticum, eundemque et simul camphoreum saporem, ab oleo aethereo pendentes.

Planta perennis Europae australis.

MENTHA PIPERITA HUDS.

*HERBA MENTHAE PIPERITAE s. PIPERITIS.*

Folia opposita, petiolata, ovata, ovato-lanceolata, cordato-ovata, brevi-acuminata, argute-serrata, subglabra, inferne

ad costas sparsim subhirta, supra pulchre viridia, dorso pallidiora, utrimque punctis olcosis adspersa, odoris et saporis fragrantis, aromatici, peculiaris, demum refrigerantis. In siccato statu magis aromatica herba, quam in recenti.

Spicae oblongae, cylindricae, inferne interruptae, dentibus calycum glabris, ciliatis, purpurco-violaceis, corollis parvis, violaceis.

Planta perennis Europae, cultura eximie varia, florens mensibus Augusto et Septembri. Herbam lege ante anthesin.

Continet mentha piperita oleum aethereum et acidum tannicum, quod salia ferrica viridi colore tingit.

Mentha viridis L. quacum possit commutari, ab hac differt: foliis sessilibus, lanceolatis, atque sapore et odore minus aromatico.

#### MENTHA SYLVESTRIS L. VAR. CRISPA.

##### *HERBA MENTHAE CRISPAE.*

Folia opposita, subsessilia, sub-amplexicaulia, ovato-cordata, vel cordato-subrotunda, brevi-acuminata, undulato-crispa, rugosa, grosse elongato-serrata, serris varia ratione curvatis, supra glabra, infra ad costas sparsim subhirta, caeterum subtus incana, rugosa, parallele-venosa, oleoso-punctata; odore et sapore calida, balsamico-aromatica.

In sicco statu magis aromatica quam in recenti.

Varietas perennis hortorum cultura nata; eodem tempore quo *M. piperita* Huds. colligenda.

Principia activa eadem huic, quae praecedenti speciei.

#### SALVIA OFFICINALIS L.

##### *HERBA SALVIAE.*

Folia opposita, petiolata, ovato-lanceolata, auriculata,

argute - crenata, rugosa, crassiuscula; in juniore statu utrâque paginâ albo-griseo-tomentosa, serius supra fere glabra, viridia, infra sparse - subtomentosa; tota stirps (imprimis tamen var. foliis angustioribus) aromatica, amaro-adstringens. Folia plantae perennis Europae australis in hortis cultae, sub anthesi legenda.

Praecipua principia activa sunt oleum aethereum, materies extractiva amara et acidum tannicum.

### ROSMARINUS OFFICINALIS L.

#### *HERBA ET FLORES ROSMARINI s. ANTHOS.*

Planta suffruticosa, caule ramoso, 2-6 pedali; ramis divaricatis, tetragonis, cinereo-vel albo tomentosis. Folia sempervirentia, sessilia, opposita, linearia, integerrima, obtusa, revoluta, pagina superiore obscure-viridia, glabra, inferiore reticulato-venosa, tomentosa; verticilli racemosi, pauciflori. Bractee albo-tomentosae, pedicellis breviores; flores plerumque albo-coerulescentes, pauci, bracteis contenti; calyx subtomentosus, rubellus; tota stirps, exceptis corollis, camphoreo-aromatica, fragrans, saporisque aromatico-acris.

Folia sine caulibus aut ramorum partibus colligenda. Planta Europae australis et Africae, in hortis culta.

Principium activum est oleum aethereum.

### MELISSA OFFICINALIS L.

#### *HERBA MELISSAE CITRATAE.*

Herba perennis, caulibus 1-2 pedalibus, erectis, obtuse-quadrangularibus, sulcatis, glabris sive subtomentosis;

ramis oppositis, erecto-patentibus, strictis, foliis longe petiolatis, ovatis, grosse- et obtuse crenato-serratis, rugoso-venosis, subluspidis, supra obscure-, infra pallide-viridibus; sapor aromatico-amarus, diu persistens, subacer, odor citratus.

Crescit in Europa meridionali, in hortis frequenter ad usum culta, ante anthesin legenda.

Principia activa sunt oleum aethereum, materies extractiva amara et acidum tannicum, quod salia ferrea viridi colore tingit.

## ORIGANUM MAJORANA L.

### *HERBA MAJORANAE.*

Caulis erectus, herbaeus, obsolete-tetragonus, ramosus,  $\frac{1}{2}$  - 1 pedalis, castaneus; folia petiolata, subrotunda, ovata vel obovata, integerrima, obtusa, venosa, pubescentia, viridia, griseo-viridia, tenera, grate camphoreo-aromatica.

Herba frequenter culta, sub anthesi legenda.

Continet haec planta oleum aethereum.

## ORIGANUM VULGARE L.

### *HERBA (HERBA ET SUMMITATES) ORIGANI SIVE ORIGANI VULGARIS.*

Caulis obtuse-quadrangulares, purpurascens, villosi, paniculato-trichotomo-ramosi; folia opposita, petiolata, ovata, acuta, integra, scabriuscula, superne fere glabra, infra pubescenti-glanduloso-pellucido-punctata. Spicae 3-5, tetrastichae, bracteatae. Flores singuli bracteolis ellipticis,

acutis, eglandulosis, calyce longioribus, purpurascensibus suffulti. Calyces purpurei, pubescentes, aut glabri, glandulis minimis, flavescensibus, resinosis punctati. Corollae rubellae, obscure rubrae vel albae, tubo corollae calyce duplo longiore, staminibus exsertis.

Europae incola stirps et nobis indigena antheseos tempore legenda.

Oleum aethereum habet et acidum tannicum.

### THYMUS VULGARIS L.

#### HERBA THYMI.

Caules ramosi, erecti vel adscendentes; folia subsessilia, rhomboideo-vel oblongo-ovata; quae prope flores linearia, obtusa, integerrima, revoluta; subtus tomentosa; flores capitato-verticillati. Calyx tubuloso-campanulatus, ciliatodentatus; corollae faux villis densis clausa.

In locis incultis Europae frequens species, quo tempore floret legenda.

Continet oleum volatile.

### MARRHUBIUM VULGARE L.

#### HERBA MARRHUBII ALBI.

Folia opposita, petiolata, perquam varia: subrotundo-ovata aut ovalia, rugosa, subtomentosa, basi attenuata, decurrentia, obtusa, inaequalia, acute serrato-crenata, subtus leviter incano-tomentosa, odore aromatico, mosciato, sapore acri, salino-amaro praedita.

Herbae Europae multum cultae folia sine caulibus ante anthesin legenda.

Partes constituentes activae sunt materies extractiva amara et oleum aethereum.



## GALEOPSIS OGHROLEUCA LAM.

G. GRANDIFLORA EHRH.

*HERBA GALEOPSISIDIS.*

Caulis obtuse-quadrangularis, erectus, simplex vel ramosus, 2 pedalis, adpresse-pilosus, geniculis non-incrasatis; folia opposita, lata, ovali-lanceolata, acuta, inferiora longe-petiolata, superiora et axillaria decrescentia, brevius petiolata, fere sessilia, utrimque subsericeo-pilosa, et flavescenti-viridia, subtus pallidiora, tactu mollia, basi integerrima, supra basin obtuse et grosse serrato-dentata; in ramis quae obvia sunt, ovato-lanceolata. Verticilli multiflori, remoti, in ramis aut supremo caule magis approximati; in caulibus indivisis sibi vicini. Bractee angustae, lineares, acuminatae, pilosae, non glandulosae, calyce campanulato, viscoso-piloso, quinque-dentato vel et aristato, flavescenti-viridi breviores. Corolla calycem multum superans, ochroleuca.

Contusa planta odorem exhalat peculiarem balsamicum; saporem subsalsum, amaricantem habet.

Plantam indigenam lege florentem ablata radice.

Principia propria activa sunt resina amara, principium extractivum amarum et acidum tannicum.

## ASPERIFOLIAE.

## SYMPHYTUM OFFICINALE L.

*RADIX CONSOLIDAE MAJORIS. s. SYMPHYTI.*

Radix perennis, fusiformis, ramosa, saepe pedem longa, nigra, in recenti statu carnosae, succulenta, alba, fragilis;

in sicco rugosa, nigra, intus obscure-flavescens, cornea, fere inodora, mucilaginosi et subadstringentis saporis.

Plantae indigenae radix autumnno legenda.

Continet praecipue mucum vegetabilem, et acidum tannicum quod salia ferrica viridi colore tingit.

## CONVOLVULACEAE.

### CONVOLVULUS PURGA WENDER.

IPOMAEA PURGA HAYNE.

### *RADIX JALAPPÆ* s. *JALAPÆ*.

Plantae Mexicanae radix globosa, irregulariter pyriformis, raro oblonga, pugni magnitudinem vix superans, incisa, fissa, varie sulcata, irregulariter tuberculato-rugosa, aspera, sordide griseo-fusca, nigro- et ferrugineo-maculata; epidermis valde tenuis, substantia interna stratis concentricis saepe griseo-fuscis, circulis resinosis distinctis composita. Massa radiceis dura, sed mallei ictu dissiliens et intus puncta resinosa, nitentia offerens; pulvis e flavescenti griseo-fuscus. Odor proprius, debilis, calore et frictione auctus, subempyreumaticus. Sapor dulcis, nauseosus, demum valde acer, diu perdurans.

Radix levis, cariota vermibusque exesa, vel intus pallida, farinosa rejiciatur.

Habet resinam propriam.

### CONVOLVULUS SCAMMONIA L.

*SCAMMONIUM (SCHAMMONIA).*

*GUMMI-RESINA SCAMMONIÆ.*

Species qua uti oportet est Scammonium Aleppense seu Haleppense. Est radiceis plantae indicatae succus lac-

teus induratus, gummoso-resinosus. Prostat in massis amorphis, variae magnitudinis, satis compactis, griseo-viridescentibus vel cinereis, nonnunquam subflavescentibus, intus obscurioribus, opacis, subceraceis, vix nitentibus, parum porosis, friabilibus. Odorem habet ingratum et saporem laud notandum, deinde nauseosum, amaricantem, gutturalem. Pulverem praebet griseum, qui cum aqua lactescit et emulsionem constituit albido-viridescentem. Alcohole pro parte tantum solvitur.

Rejiciatur pro usu medico Scammouium Smyrnaeum, quod colligitur ex *Pleriploca Secamone* L.; itidem *Sc. Mospeliense* seu *Gallicum* ex *Cyancho mospeliaco*; denique *Sc. Antiochiacum*. Prostat prima harum specierum sub forma placentarum, magis compactarum, duriorum, non porosarum vel poris majoribus insignium, nigrescentium. Fractura est magis nitens, odor vix ullus, sapor blandior. Cum aqua ebulliente grumosam quasi massam constituit. Altera exhibet massas smyrnaeis crassiores et minores, omnino nigras, solidas, fracturâ aequabili. Videtur non tantum esse succus induratus, verum etiam saepius miscela arte parata.

Pessimum est antiochiacum, constans massis minoribus, cariosis, fusco-nigris, subfarinosis, friabilibus. Arte ex scammouiae farina aliisque haec species parari fertur.

*Resina Jalappae* ad hunc non pertinet locum, sed est memoranda inter praeparata.

## SOLANEAEE.

### DATURA STRAMONIUM, L.

#### HERBA ET SEMINA STRAMONII.

Folia plantae annuae Europaeae, multum cultae, perquam

venenatae, longe-petiolata, ovata, acuminata, inaequaliter sinuato-dentata, circiter 8-12 cent. longa, 5-7 cent. lata, supra obscure-viridia, infra glabra, venosa, narcotici odoris, amaro-salini saporis; sub anthesi legenda.

Semina compressa, reniformia, rudia, rugosa, obscure-fusca, opaca, non nisi contusione facta narcoticum odorem spirantia; sapore subamaro-oleoso praedita.

Principium peculiare est daturinum, alcaloideum.

## SOLANUM DULCAMARA L.

### *STIPITES DULCAMARAE.*

Plantae perennis indigenae caules annui, 3-4 pedes longi, decumbentes, laxi, scandentes, volubiles, pennam anserinam crassi, angulati, in juniore statu virides, in adulto pulli; desiccatione rugosi, intus cavi, aut medulla spongiosa pleni. Recentes odorem habent ingratum, siccum nullum, saporem vero ingratum, amariusculum, demum valde stimulantem, subdulcem.

Ad sepes et inter frutices vulgaris plantae indigenae caules juniores, vere ante foliationem, aut post lapsum foliorum autumnis legendi.

Continet principium extractivum amarum et dulce, quo soluta tenetur substantia amara et dulcis, crystallina.

## ATROPA BELLADONNA L.

### *RADIX ET HERBA BELLADONNAE.*

Radix cylindrica, crassa, fusiformis, carnosae, nonnumquam bipedalis; in sicco statu valde contracta et corrugata, versus apicem attenuata et praemorsa. Plerumque constat

segmentis, 5 - 14 cent. longis, cylindricis, profunde sulcatis, ab insertione fibrarum crassiorum verrucoso-tuberculatis aut foveolatis. Color externus subflavescens, griseo-niger vel sordide albus maculis obscuris, ferrugineis vel nigris.

Color exterioris strati albus, interiore parte annulo resinoso notatus, a media parte lignosa, albo-flavescente, obsolete-radiata distinctus. Fractura substantiae medullaris junioris radice est aequalis; adultae fibrosa, hinc inde porosa, punctisque nitentibus subfuscis. Pondus specif. exiguum. Odor recentis radice ingratus; sapor initio subdulcis, fatuus, demum amarus, acer, fragrans, in cortice praecipue residens.

Plantae perennis venenatissimae radix in locis nemorosis montosisque, verno tempore, a speciminibus annosioribus petenda. Quae nimis porosa radix, rejiciatur.

Folia ovata, acuta, integerrima, juxta petiolum decurrentia, brevi-petiolata, mollia, supra saturate-viridia, subtus pallidiora, brevissime pilosa, glandulosa, subviscida, sine odore, et sapore subacri, subadstringente, instante anthesi colligenda, celeriter siccanda. Cum radix, tum folia continent atropinum, alcaloideum principium.

## HYOSCYAMUS NIGER L.

### HERBA HYOSCYAMI.

Folia radicalia et caulina inferiora petiolata, superiora amplexicaulia, floralia utrimque 1-2 dentata, ovato-oblonga, profunde-sinuata, subpinnatifido-dentata, obscure-griseo-viridia, viscoso-hirsuta. Habent odorem ingratum narcoticum, saporemque amarum.

Planta fere in omni Europa, nusquam tamen magna copia obvia, hinc frequenter culta. Herbam tamen imprimis legere oportet a plantis spontaneis.

Principium proprium est hyosciaminum.

## SCROPHULARINEAE.

## DIGITALIS PURPUREA L.

*HERBA DIGITALIS PURPUREAE.*

Folia stirpis indigenae inferiora longe petiolata, in petiolum decurrentia; superiora sessilia, ovata, vel ovato-lanceolata, rugosa, mollia, subtus in primis grosse-reticulato-venosa, albida, leviter pubescentia, obtuse-crenata, aut duplicato-crenata, basi quandoque serrata; in recenti statu digitis contrita nauseosum odorem spirantia; in siccato inodora; sapore peramaro, acerrimo; instante anthesi a plantis biennibus, potissimum spontaneis, colligenda, petiolis (foliorum radicalium) et nervo primario ablati; caute siccanda et in vase bene clauso servanda. De elementis chymicis, a quibus repetenda sit vis therapeutica, etiamnum dissentiunt viri docti.

## GRATIOLA OFFICINALIS L.

*RADIX ET HERBA GRATIOLAE.*

Caudex subterraneus repens, simplex, pennam columbinam crassus, horizontalis, articulatus, ad articulos verticillato-fibrosus et squamosus, sordide-fuscus, intus laxe cellulosus, saporem habens nauseosum, amarum, acrem. Legatur Aprili mense aut autumno.

Caulis subtetragonus, glaber, geniculatus; folia sessilia, opposita, cruciata, subamplexicaulia, acuta, lanceolata, 3-5-nervia, a medio ad apicem subdentata, glabra. Herbam lege ante anthesin. Utraque pars a planta quantumtote spontanea, quae tamen non vulgaris, aut a culta stirpe legenda.

Continet resinam acrem, mollem et substantiam amaram, nondum satis notam.

## STYRACEAE.

### STYRAX BENZOIN DRYAND.

LAURUS BENZOIN HOUTT.

*Lithocarpus Benzoin Bl.*

RESINA BENZOËS

GUMMI BENZOËS. ASA DULCIS.

Succus arboris Indiae Orientalis induratus, qui vulgo forma placentarum prostat. Ubi granulosa est, quod rarius fit, grana sunt subglobosa, ochroleuca, vel flava nitore rubello, plerumque quasi pruina obducta, fracturâ lacteâ, friabilia.

Seu placentae seu glebae sunt variae diametri, foliis plantae endogenae cujusdam involutae vel etiam eorum impressione notatae. Est massa plus minusve granulata; frustula sunt albida, diaphana, fracturâ splendentia, mixta cum materia luteo fusca, opaca, cavernosa, subnitente. Saporem benzoe refert subacrem, odorem gratum balsamicum, maxime si incalcescit. Solvitur in alcohole et maxima pro parte in aethere.

Rejice placentas obscure coloratas, granis albis, amygdalinis orbatas, ligni frustulis, caet., mixtas, aegre in alcohole solubiles.

## ERICACEAE.

### ARCTOSTAPHYLOS OFFICINALIS WIMM. ET GRAB.

ARBUTUS UVA URSI L.

FOLIA UVAE URSI.

Folia brevi-petiolata, obovato-oblonga, cuneiformia,

obtusa, apice recurva, basi attenuata, in petiolum decurrentia, integerrima, coriacea, glabra, reticulato-venosa, supra obscure viridia, nitentia, infra pallidiora, amaro-adstringentia.

Plantae perennis in sylvis et ericetis Europae obviae folia non commutanda cum foliis Vaccinii vitis Idaeae L. quae sunt margine revoluta, pallide viridia, fusco-punctata, non reticulato-venosa.

Principia propria sunt acidum tannicum, gallaceum et materies extractiva amara.

## UMBELLIFERAE.

### PETROSELINUM SATIVUM HOFFM.

APIUM PETROSELINUM L.

#### *SEMEN PETROSELINI.*

Achaenia ovato-subrotunda, lateribus compressa, mm.  $1\frac{1}{2}$  longa, viridi-grisea, jugis quinque filiformibus aequalibus, lateralibus marginentibus instructa, valleeulis univittatis, commissura bivittata; albumine gibbo, convexo, antice planiuseulo; odore et sapore gratis, aromaticis.

Planta Europae ubivis culta.

Continet oleum aethereum.

### CARUM CARVI L.

#### *SEMEN CARVI.*

Achaenia oblonga, fusca, lateribus compressa, quinque jugis filiformibus, aequalibus, albis, lateribus marginantibus instructa. Commissura plana; levissime albo-striata, val-



leculae univittatae; albumen tereti-convexum, antice planiusculum. Odor aromaticus, sapor similis, amarusque.

Planta Europae frequenter culta.

Continet oleum volatile.

### PIMPINELLA ANISUM L.

ANISUM VULGARE GÄRTN.

#### *SEMEN ANISI.*

Achaenia latere contracta, ovata, subglobosa, parva, adpresse-pubescentia, griseo-viridescencia; stylopodio pulvinate styliisque reflexis instructa, quinquejuga, filiformia, aequalia, lateralibus marginantibus. Valleculae multivittatae, carpophoro libero, bifido; albumen gibbo-convexum, antice planiusculum; odor et sapor dulcis, aromaticus. Semen Alicantinum minus, sed aromate ditius.

Planta Orientis et Africae in Europa culta.

Continet oleum aethereum.

#### *OLEUM AETHEREUM ANISI.*

Obtinetur hoc oleum destillando e seminibus plantae cultae. Est fere decolor aut subflavum, spissiusculum, odore proprio, graveolente, sapore dulci, deinde aromatico. Pond. spec. 0,979, si est recens, 0,985, si vetustius. Chartam coeruleam non rubefacit. Temperaturâ 12° - 14° C. massam format crystallinam; stearopten fere quartam voluminis partem constituit, quod est friabile, potissimum ad 0° C. Miscetur oleum cum alcohole absoluto, quavis proportione, minori copia cum spiritu vini. Cum iodio non fulminat, sed massam format resinosa, duriusculam.

Rejiciatur, quod aëris contactu inveteratum, resinosa

acquisivit naturam et spiritu vini sat facile solvi potest. Adulteratum prostat cum spermate ceti et oleo olivarum. Haec fraus detegitur odore debiliore, solubilitate in alcohole pariter imminutâ, et maculâ unguinosâ quam in charta excitat, persistente.

### OENANTHE PHELLANDRIUM LAM.

#### *SEMEN PHELLANDRII s. FOENICULI AQUATICI.*

Achaenia cylindrica, ovato-oblonga, sursum attenuata, stylis longis, erectis, persistentibus coronata; jugis quinque, convexiusculis, obtusis, lateralibus marginantibus latioribusque; valleculae univittatae; commissura subconcava, bivittata, vittis medio divergentibus, saturatius coloratis; albumen convexum, subteres. Odor peculiaris, gravis. similisque sapor, qui insuper acer.

Planta indigena aquarum dulcium.

Semina Cicutae virosae L., Sii latifolii L., singulorum characteribus botanicis, tum maxime etiam odoris et saporis proprii absentia dignoscuntur.

Inest oleum aethereum.

### FOENICULUM VULGARE GÄRTN.

ANETHUM FOENICULUM L.

#### *SEMEN ET RADIX FOENICULI.*

Fructus pallide flavescens, ovato-globosus, convexo-planus, subteres; achaenia jugis quinque prominulis, acute-carinatis; valleculae univittatae; carpophorum bipartitum. Odor gratus, aromaticus, dulcis, sapor idem et anisatus.

Inest oleum aethereum.

Radix fusiformis, annosior ramosa, digitum crassa, annulata, fibrosa, griseo-alba, in sicco statu contracta, longitudinaliter rugosa, pallide-flava, odor et sapor dulces, aromatici. In officinis plerumque decorticata exstat.

Planta perennis Europae australis in hortis culta.

### ARCHANGELIA OFFICINALIS HOFFM.

ANGELICA ARCHANGELICA L.

#### *RADIX ANGELICAE.*

Rhizoma stirpis Europae praemorsum, 2 - 4 cent crassum, griseo-fuscum, basi fibris teretibus, longis instructum, flexuoso-profunde-sulcatum, annulatum. Epidermis fusca, compages corticalis tenuis, resinosa, ejusdemque coloris; parenchyma medullare sordide albo-flavecens, porosum, punctis obscuris resinosis; in recenti statu e vulnere succus flavus stillat; odor gratus, aromaticus, sapor dulcis, mucilaginosus, tum amarus, diu persistens.

Radix Angelicae optima colligitur a planta bienni. A radice Angelicae sylvestris L. distinguitur facile hujus magnitudine minori, fibris tenuioribus, colore griseo, odore plerumque debiliore.

Continet oleum aethereum, resinam mollem et materiam amaram.

### FERULA ASA FOETIDA LINN.

#### *GUMMI - RESINA ASAE FOETIDAE.*

Succus gummi-resinosus, lacteus, e vulnerata radice plantae Persicae effluens, indurescens aëris contactu. Rarius venalis prostat sub granorum forma, vulgo autem massas informes

refert. Massae seu glebae istae extrinsecus fuscae sunt, intus variegatae, ita ut quasi sint grunis conglutinatis, granis albidis, lutescentibus, roseisque mixtae. Sapor est acri-amaricans, odor foetens, alliaeeus, penetrans, persistens. Aestate est massa tenax, plus minusve elastica; hyemali vero frigore indurescit. Cum aqua trita lactescit; aleohole ultra dimidia[m] partem solvitur.

Praestat Asa foetida, quae plurima continet grana amygdaliformia. Rejieienda[m] massae obscure fuscae, nigrescentes, vix odora[e], glutinosae.

Serva in vasculis aut vesicis bene clausis.

#### DOREMA ARMENIACUM DON.

#### *GUMMI-RESINA AMMONIACUM.*

E caule vulnerato plantae indieatae Armeniacae et Persicae maxime colligitur Ammoniacum gummi; videtur autem hoc quoque esse derivandum ab Umbelliferis aliis nondum rite cognitis.

Forma granulata est optima. Prostat quippe forma, ut dicunt, lacrymarum non aut vix conglutinarum, albidarum, ochroleucarum, quae intus omnino sunt albae, durae, subnitentes, odore proprio ingrato, sapore acri, gutturali, nauseoso praeditae. Attamen frequentiores sunt panes vel placentae, quae massam exhibent irregularem, conglutinatione fragmentorum informium cum granis subrotundis, angulosive, flaveseentibus, intus albidis ortam. Quo copiosiora sunt grana, eo melius est medicamentum; quo mollior, obscurior et magis uniformis est massa, eo minoris est pretii.

Cum aquâ commisceri potest, ita ut emulsio fiat, nec tamen ab illa plane solvitur. In aliohole solvuntur fere  $\frac{3}{4}$  partes.

## GALBANUM OFFICINALE DON.

*GUMMI GALBANUM;*

Prostat hic succus induratus vel in granis, vel in massis.

Lacrymae sunt irregulares, oblongae plerumque, nunc discretae, nunc conglutinatae, magnitudine variae, colore maxime vario, luteo, rubello, subfusco, plus minusve diaphanae, opacae vel subnitentes.

In massis constat Galbanum ex glebis amorphis, sive conglutinatis, fusco-lutescentibus, quibus grana albidiora sunt intermixta. Ceream spissitudinem refert, tenax et glutinosum est; frigore fit fragilius, ita tamen ut difficulter in pulverem redigatur. Odor est balsamicus, penetrans, sapor resinusus, amarus. Alkohole pars quaedam solvitur. Cum aqua emulsionem praebet. Oleum aethereum continet majore copiâ.

Cave ab usu massae nigricantis, non granulosae, arenâ, ligni frustulis inquinatae.

## ANETHUM GRAVEOLENS L.

*SEMEN ET HERBA ANETHI.*

Plantae annuae Europae australis, multum cultae, passim efferatae achaenia dorso lenticulari-compressa; juga filiformia quinque, tribus acute-carinatis, lateralibus propter marginem dilatatum fere obsoletis; valleculae univittatae; vittae totam valleculam implentes. Odor fragrans. Sapor calidus, aromaticus.

Habent oleum aethereum. Herba constat foliis bipinnatis, foliolis setaceo-trichotomis, aromatici odoris et saporis.

## CONIUM MACULATUM.

*HERBA CICUTAE.*

Caulis 3 - 6 pedalis, fistulosus, striatus, sulcatus, purpureo-maculatus. Folia petiolata tripinnata, omnia glabra, taetu mollia, obscure-viridia, infra pallidiora, saepe pedalia, alterna, petiolis maculatis, crassis, teretibus, striatis, fistulosis, subangulatis; superiora pinnato-pinnatifida, opposita, petiolis teretibus, subearinatis, leviter striatis, fistulosis, glabris, purpureo-maculatis, amplexicaulibus, vaginantibus; foliola ovato-oblonga, pinnatifida, laciniis ineiso-dentatis, glabris, opacis. Odor totius plantae foetidus, imprimis in siceo statu. Sapor acer, ingratus, amarus. Fructus (cujus characteres minime licet negligere, quamvis herba colligi debeat ante fructificationem) est diachaenium fere ovatum,  $1\frac{1}{2}$  mm. longum, et latitudinis fere ejusdem, lateribus compressum. In singulis achaeniis costae quinque, aequales; undulato-crenatae, laterales marginantes; valleeulae striatae; nigro-virides.

Plantae indigenae (non cultae) folia sine stipitibus aut petiolis legenda, ex speciminibus biennibus ineipiente anthesi. Siccata herba obscure griseo-viridis.

Continet conium et oleum aethereum aere.

Evitanda non infrequens eum aliis Umbelliferis confusio. Anthriscus sylvestris Hoffm. habet caulem juniorem subpubescentem, quales etiam petiolos, qui subtrigoni sunt. Chaerophyllum temulum L. habet caulem retrorsum hispidum. Chaerophyllum bulbosum L. internodia caulis infima habet retrorsum setoso-hispida et petiolos foliorum inferiorum non teretes, glabros.

## CORIANDRUM SATIVUM L.

*SEMEN CORIANDRI.*

Diachaenium globosum; carpella arcte cohaerentia, plano-convexa, flavescenti-fusca, grate aromatici odoris et saporis.

Planta annua Europae australis, in hortis culta.

Principium activum est oleum aethereum.

## MENISPERMAE.

## COCCULUS PALMATUS DC.

*RADIX COLUMBO.*

Segmenta orbicularia vel ovata, aut irregularia, in maxima diametro 3 - 5 cent., in minima 3 - 4 cent. lata,  $\frac{1}{2}$  - 1 cent. crassa, extrinsecus fusca, transverse rugosa, in utraque superficie medio contracta, sordide-flavescentia; stratum exterius  $\frac{1}{2}$  fere cent. crassum, ab interiori contextu radiato circulo nigro distinctum. Fractura satis aequalis; sapor peramarus, mucilaginosus; trituratione radice pulvis obtinetur amylaceus. Principium proprium est columbinum, valde amarum, una cum gummi et amylo.

Ex planta perenni sylvarum regionis Mosambique et Oïbo Africae orientalis.

Columbo spuria, quae nonnullis dicitur haberi a Frasea Walteri Mich., a scriptoribus pharmacologis descripta, raro obvia; constat frustis semicylindricis vel obtuse-conicis, vel disciformibus, centro impressis, sectione transversa ex duobus stratis manifeste distinguendis, cortice

et medulla, compositis. Cortex 1-2 mill. crassus, obscure-aurantius, porosus vel rimulosus; stratum medullare rubescens vel flavescens, versus centrum subtilissime striatum. Gravitas specifica exigua est. Sapor primum dulcis, tum amarus debilis. Pulvis pallide fusco-flavus.

Radix Bryoniae flavo infecta colore, structura et habitu toto nimis a Columbo differt, quam quae huic possit intermisceri.

## MYRISTICAE.

### MYRISTICA FRAGRANS THUNB.

#### *OLEUM MACIS. OL. MACIDIS DESTILLATUM.*

Ex arillis nucum moschatarum destillatione acquiritur oleum citrini vel straminei coloris, macidis saporem et odorem fragrantem aromaticum eximie referens. Quod bonae notae est, rubro colore tingit chartam exploratoriam. Gravitas specifica est 0,931-0,947. Oleum terebinthinae si oleo macidis adulteratione est admixtum, utriusque olei notis dignoscitur.

## RANUNCULACEAE.

### ACONITUM NAPELLUS L.

#### *HERBA ACONITI NAPELLI.*

Folia petiolata, inferiora majora, superiora minora, pedato-partita, lobis pinnatifidis, laciniis integris, bi-trifidisque, lacinulis linearibus, lanceolato-linearibusve, in recenti statu obscure-viridia, utrimque subnitentia, rigida. Recen-



tibus contritis odor ingratus, sapor amarus, diu persistens, os labiaque adurens; siccatis etiam amarus, minus vero urens. Variat, pro diversa statione, haec species monticola Helvetiae et Germaniae.

Legenda sunt folia brevi ante anthesin, aut hac incipiente.

Principium peculiare huic plantae est aconitinum, materies volatilis acris, et acidum tannicum quod salia ferrica viridi colore tingit.

Aconitum, difficile plantarum genus, pluribus constat speciebus, nondum bene a se invicem distinctis. Praeterea propter stirpes mutationi perquam obnoxias magna confusio in hortis, nec minor in libris notatur. Cavendum a commutationibus cum aliis Aconitis, quorum characteres sic fere diagnostica phrasi propositos admittere licebit:

In *A. CAMMARO* L. (*A. Stoeckiano* Reich.) folia sunt pedato-quinquepartita; galea est fornicato-conica, subcompressa, apice subnutante, nectariis supinis, rostro acuto, minuto.

In *A. ALTIGALEATO*, HAYNE (*A. variegato* L.), folia sunt pedata, septempartita, lobis singulis subtrifidis, laciniis integris, bi-trifidisve, lacinulis late lineari-lanceolatis, galea oblonga, quodammodo conica, apice subnutante, rostro elongato, nectariis erectis.

In *A. NAPELLO* L., praeter characteres indicatos, est galea patula vel clausa, calcar capitatum vel obtusum, vix uncinatum.

## PAPAVERACEAE.

### CHLIDONIUM MAJUS L.

#### *HERBA CHLIDONII MAJORIS.*

Folia profunde-pinnatifida, mollia, superiore pagina

opaco-viridia, inferiore glauca, reticulato-venosa; foliola (lacinae) alato-petiolata, ovata, obtusa, sinuato-lobata, lobo terminali obovato-rotundato, trilobo, lateralibus oppositis, oblique rotundato-ovatis, basi non raro auriculatis, petiolo communi trigono, canaliculato, alato, sparse hispido. Folia odorem ingratum, fortem habentia, succo luteo, amaro-salino, immo fere caustico plena, mense Maio, a planta spontanea indigena, instante anthesi legenda, citissime siccanda. Principia praecipua sunt chelidonium, sanguinarinum utrumque alcaloidem, et principium colorans flavum chelidoxanthinum.

### PAPAVER RHOEAS L.

#### *FLORES PAPAVERIS RHOEADOS.*

Petala obovata vel rotundata, latiora quam longa, nitentia, coccinea, basi macula nigro-violacea instructa; recentia odorem ingratum, narcoticum; siccata vero nullum spirantia; saporem mucilaginoso-amaricantem habentia; cito siccanda.

Planta indigena in arvis admodum vulgaris, a Papavere dubio L., cujus petala floribus Papaveris Rhoeados sine noxa intermisceri videntur, pilis pedunculorum adpressis caeterisque characteribus botanicis in P. dubio conspicuis, distinguenda.

Inest principium colorans et mucus vegetabilis.

### PAPAVER SOMNIFERUM L.

#### *CAPITĀ ET SEMINA PAPAVERIS ALBI.*

Capsulae plantae annuae orientalis in Europa cultae, flavescentes, (in sicco statu) chartae crassioris consistentiam

habentes, subgloboso-depressae, sub stigmate sessili, radiato poris dehiscentes; dissepimentis imperfectis incomplete-multiloculares, inodoraе, amaro-nauseosae. Seminibus nondum plane maturis colligendae, potissimum ex varietate seminibus albis. Continent quantitatem admodum variam morphini et principii volatilis.

Semina albido-pruinosa, reniformia, minutissima, reticulato-venosa, dulcia, continent oleum pingue.

## PAPAVER SOMNIFERUM L.

### OPIMUM.

Est succus lacteus e pericarpis plantae immaturis, vulneratis stillans, exsiccatus, valde compositus et proportione partium constituentium mire variabilis. Sunt hujus generis species variae, quarum optima habetur:

Opium smyrnaeum, turcicum, levanticum, nonnullis quoque constantinopolitanum dictum. Prostat sub forma glebarum vel placentarum subrotundarum, voluminis varii, inde a pugillo ad caput infantile, quarum superficies foliis papaveris obvoluta est et carpellis Runicis (orientalis KOCH) conspersa, a quibus in cistis ab omni parte cingi solent. Superficies est subglabra, si non dura, saltem compacta; interna massa est plus minusve mollis, ita ut scindi possit et diffrangi. Praeterea interne esse debet homogeneous, non cavernosum, elasticum, ita ut digiti impressio pro parte deleatur, opacum, frictione subnitens, cerae quasi splendorem referens. Color variat inde a subfusco ad nigrescentem; optimae sunt glebae coloris chocolatae, etiamsi haec plus epidermidis capitum continere soleant, quam nigrae. Odor fortis, nauseosus, papaveraceus, qui praecipue percipitur in statu recentiori et si opium calefiat vel inter digitos fricetur. Sapor est nauseosus, acer,

amarus, qui quoque persistit, si odor vetustate jam maximam partem sit deperditus. Saliva, opio masticato, viridescit et valde spumat. Pond. spec. = 1,336 - 1,363, in statu sicciore. Pulvis est fusco-flavus, facile confluens in massulas vel granula.

In genere 100 opii partes continent 45 partes in aqua solubiles, rarasissime minus quam 40, aliquando vero 52; deinde partes 32 in aqua non solubiles, et partes 23 aquae. Solutio sit fusca, satisque limpida, si major aquae copia adhibeatur.

Spiritus vini fere easdem insolutas relinquit materias, eademque portione, quam aqua; quod tamen minime valet de alcohole.

Solutio aquosa cencentrata alcalium solutionibus valde turbari debet. Princeps vero criterium est, ut de praesentia constet acidi meconici et morphinae. Solutio quippe praecipitetur acetate plumbico, praecipitatumque decomponatur acido sulphurico diluto; deinde neutralisatio fiat cum ammonia et denique appareat, admixto liquore choreti ferrici, color ruber, proprius qui est meconatis oxydi ferri. Altero loco, liquor concentratur, et precipitatio fiat parvâ ammoniae quantitate; post ablutionem cum aqua, misceatur cum pulte amyli et addatur acidum iodicum. Morphinae praesentia jam apparet amyli colore violaceo.

Abstinendum est ab omni opio vilioris notae, quocunque veniat titulo. Rejiciantur glebae molliores, conglutinatae, quarum interstitia saepe mucore sunt tecta. Oleo nonnumquam inquinatae videntur suntque hoc in casu tactu pingues et solutio aquosa quasi emulsiva. Cavendum porro ab opio, quod sub dentibus stridet salivamque colore fusco obscuro tingit. Odor ne sit empyreumaticus. Denique cave ne opio utaris ex quo jam morphina fuerit extracta, quod notis supra indicatis est indagandum.

## FUMARIACEAE.

## FUMARIA OFFICINALIS L.

*HERBA FUMARIAE.*

Caulis erectus, diffuse-ramosus, angulatus, glaber; folia bi-tripinnata, infima longe-petiolata, summa sessilia; foliolis tripartitis, laciniis 2-3 fidis, lineari-oblongis, aut cuneiformibus. Racemi florales oppositifolii vel terminales, vulgo fructiferis breviores, floribus confertis; corollis fumariaceis roseo-purpureis aut violaceis; racemis fructiferis laxis, pedicellis elongatis, remotioribus; fructibus globosis.

Planta annua, indigena, succo multo, salino-amaro repleta, odorem narcotico-ingratum spirans, cum floribus aut sine iisdem aestate colligenda, cito siccanda. Inest principium amarum extractivum.

## CRUCIFERAE.

## COCHLEARIA OFFICINALIS L.

*HERBA COCHLEARIAE RECENS.*

Folia recentia radicalia longe-petiolata, subrotunda, cordata, aut late ovata, in petiolum decurrentia, obtusa, integerrima, vel repanda; caulina alterna, sessilia, sagittata, amplexicaulia, oblonga, subsinuata, utroque vel alterutro latere unidentata. Flores albi. Planta tota contrita est odoris valde acris, ejusdem et simul salini saporis. Inest oleum aethereum, acre. Colligenda vere spontanea, ad aggeres nostros littoraque maris.

## VIOLARIEAE.

## VIOLA ODORATA L.

*FLORES VIOLARUM.*

Petala obovata, obtusa, rotundata, obscure-purpurea aut violacea, unguibus pallidioribus, venis obscurioribus; petalo supremo (sede infimo) recto, basi in calcar obtusum elongata; lateralibus oppositis, rectis; duobus infimis (sede supremis) majoribus et reflexis. Odor peculiaris, suavis, aromaticus; sapor dulcis, demum subacer. Petala plantae indigenae, frequenter cultae, lege sine calycibus. Inest principium colorans et odoriferum.

## VIOLA TRICOLOR L.

*HERBA JACEAE S. VIOLAE TRICOLORIS.*

Caulis ascendens, angulatus, simplex vel ramosus, folia petiolata, ovata, vel ovato-oblonga, serrato-crenata, obtusa, inferiora obovato-cordata, superiora basi carinata, in petiolum decurrentia. Stipulae magnae, lyrato-pinnatifidae, laciniis lateralibus linearibus, terminali multo majori, plerumque crenato; sepala lanceolata, acuta; corollae calyce duplo longiores, tricolores, violaceo-coeruleae, albae, flavae; petala lata, obtusa, duo media supra unguem valde barbata; stigma magnum, glabrum, urceolatum; sapor plantae mucilaginosus, acer. Planta annua, indigena vulgaris, saepe culta, varias referens formas, sub anthesi legenda sine radice, cito siccanda. Principium activum incognitum.

## CUCURBITACEAE.

CITRULLUS COLOCYNTHIS SCHRAD.

CUCUMIS COLOCYNTHIS L.

*COLOCYNTHIDES. FRUCTUS S. POMA  
COLOCYNTHIDIS.*

Pepo magnitudinis pomi mediocris, globosus, obscure-luteus, glaber; pericarpio coriaceo, tenui, in sicco statu spongiosus, plerumque decorticatus, albus, sexlocularis, levissimus, inodorus, amarissimus; seminibus compressis, obovatis, badio-nigris, numerosis, intus albis, dulcibus. Inest principium resinosum, valde ingratum.

Ex Oriente afferuntur.

## CARYOPHYLLACEAE.

SAPONARIA OFFICINALIS L.

*HERBA ET RADIX SAPONARIAE OFFICINALIS.*

Folia ovato-lanceolata, connata, sessilia, integerrima, trinervia, scabra, hirta.

Caudex subterraneus elongatus, cylindricus, calamum scriptorium digitumve crassus; nodoso-geniculatus, rubellus; cortice in transversa sectione albido-grieseo, mediâ parte circulo a reliquo ligno distincto; fractura inaequalis. Sapor subdulcis, demum acer, irritans, diu persistens.

Radix plantae perennis indigenae vere, herba vero aestate ante anthesin legenda. Radix vix cum radice Lychnidis dioicae L., propter ejus formam cylindricam aut fusiformem et directionem haud repentem confundi poterit.

Principium activum inest saponinum.

## MALVACEAE.

## ALTHAEA OFFICINALIS L.

*RADIX, HERBA ET FLORES ALTHAEAE.*

Radix carnosae, fusiformis vel cylindrica, fibris crassioribus instructa, pallide-alba, intus flavescens. In sicco statu constat frustis 10-12 cent. longis, 1-2 cent. crassis, passim epidermide grisea, tenui instructis, longitudinaliter rugosis, albis; fractura granuloso-fibrosa; sapor subdulcis, mucilaginosus. Ab annosioribus indigenis vere legenda, dum folia radicalia prodeunt. Folia sunt petiolata, utrimque molliter tomentosa; inferiora cordata, superiora ovata, indivisa aut subtriloba, serrata.

Flores dignoscendi calyce exteriori 6-9 fido, interiori 5-fido, corolla malvacea. Singulis fere partibus inest mucus vegetabilis, amyllum, saccharum.

## MALVA ROTUNDIFOLIA L.

*HERBA MALVAE.*

Caules prostrati, adscendentes. Folia longe-petiolata, inaequaliter serrata, vel duplicato-crenata, subrotundocordata, obsolete-angulata, caulina sub-5-7 loba; summa 5-7 loba, lobis obtusis, basi fere truncata. In floribus calyx interior 3-phyllus, interior trifidus; corollae pulchre coeruleae, petalis calyce 2-3-plo longioribus. Sapor herbaceus, mucilaginosus. Planta indigena vulgaris.

Habet principium mucilaginosum.



## BUTTNERIACEAE.

## THEOBROMA CACAO L.

*SEMINA CACAO.*

Semina ovato-subcompressa, fere amygdalaeformia, fusca, oleosa, simulque sub-amaricantia fruticis Americani. Caracasana optima. Continent oleum pingue.

*BUTYRUM s. OLEUM CACAO.*

E seminibus cortice orbatis Theobromatis Cacao, in mortario calido in massam adiposo-unguinosam tritis, in linteo sacco inter laminas ferreas calefactas iteratim expressis, massa oleosa obtinetur, quae refrigerata sistit butyrum sive adipis formam valde solidam, manu calida emolliendam, odoris seminum, coloris, in puriore statu albi, saporis mitis adiposi. Pond. spec. 0,91; vix rancida fieri solet, nisi alia pinguedine adulterata. Parum solvitur alcohole calido, facili vero negotio in aethere et oleis aethereis. Principia proxima sunt elainum et stearinum.

## TILIACEAE.

## TILIA GRANDIFOLIA EHRH.

T. EUROPAEA L.

## TILIA PARVIFOLIA EHRH.

T. EUROPAEA L VAR  $\gamma$ .

*FLORES TILIAE.*

Pedunculi 3-6 flori, bracteis oblongis, obtusis, pelu-

cidis, flavescens, pulchre reticulato-venosis ad medium usque adnatis; flores flavi, calycibus pentasepalis, lanceolatis; aestivatione valvatis; petala quinque hypogyna, spatulata, sepalis longiora; parapetala quinque petalis opposita; stamina plurima submonadelphia, corollam longe superantia.

Arbores Europae frequenter cultae, quarum flores suaveolentes (in sicco statu tamen inodori) subdulcis, subamari saporis mense Junio legantur.

Inest oleum aethereum, saccharum et acidum tannicum, quod salia ferrica viridi colore tingit.

## AURANTIACAE.

### CITRUS AURANTIUM L.

#### *FOLIA, FLORES, CORTICES AURANTIORUM.*

Petioli obovato-vel obcordato-alati, cum limbo articulati; folia ovato-oblonga, coriacea, pellucido-punctata, glabra, subserrato-crenata, glanduloso-punctata, odoris grati, aromatici, saporis ejusdem atque subamari. Inest principium amarum et aethereum.

Flores carnosus, niveus, calyce quinque-dentato, dentibus ovato-acutis, corolla pentapetala, petalis lanceolatis, sub-concavis. Odor penetrans, cui similis sapor, qui etiam amarus. Flores siccati sordidi, parum odori. Inest oleum aethereum.

Cortices Aurantium pericarpia sistunt siccata, ablata substantia interiore medullosa insipida; segmenta sunt elliptica, extrinsecus sordide-fusca, fulvo-aurantiaca, glanduloso-punctata, odorem habentia gratum aromaticum saporemque amarum. In corticibus Aurantium Curasaviensibus a varietate ejusdem speciei, praesertim in

insula Curacao culta, color obscurior, viridis, substantia durior, minus spongiosa, sapor et odor magis fragrans; hi usitatiores. Habent oleum aethereum et principium extractivum amarum.

Arbor Indiae Orientalis et Sinae, frequenter culta in Europa aliisque terrae partibus.

### CITRUS MEDICA RISSO.

#### FRUCTUS CITRI RECENTES.

#### CORTEX CITRI EXTERIOR.

Pericarpium ex usitatissimo fructu segmenta, epidermide rugosa punctata, alutacea, citrina, odoris aromatici, saporis amaro-aromatici; interior substantia spongiosa sine odore et sapore rejicienda.

Arbor Orientis, in Europa meridionali frequenter culta. Insunt oleum aethereum et materia extractiva amara.

## MELIACEAE.

### CANELLA ALBA SWARTZ ET MURRAY.

WINTERANIA CANELLA L.

#### CORTEX CANELLAE ALBAE.

Cortices tubulosi, diversae crassitiei, vel planiusculi latique tam ramorum quam caulis; superficies exterior fusco-flavescens; hic illic maculis albido-flavis adspersa, quandoque transverse rugosa, saepe detrita, quo fit ut in eodem segmento vel tubulo variae saepe deprehendantur colorum mutationes. Interior superficies flavo-albida;

fractura recens parumper marmorea. Odor quasi mixtus ex aromate caryophyllorum, piperis et cinnamomi. Sapor primum grate aromaticus, amarus, demum fragrans.

Ex Iamaica, Cuba, aliisque insulis Americae vicinis.

Inest oleum aethereum, principium extractivum amarum et resinosum.

## POLYGALEAE.

### POLYGALA AMARA L.

#### *RADIX ET HERBA POLYGALAE AMARAE.*

Radix in juniore planta fere filiformis, exigua, in annosiore subtortuosa, subfibrosa, fusca, obliqua vel fere recta, saepius multiceps; caules subadscendentes, plurimi, basi simplices erecti, demum ramosi; ramis simplicibus vel denuo ramosis, ramulis arcuatis; folia integerrima, glabra, subcoriacea; inferiora rosulata, spathulata, obovato-vel lanceolato-, vel oblongo-spathulata; reliqua folia majora; flores coeruleo-albidi in racemis simplicibus, terminalibus, oblongis. Planta siccata viridis, tota amara.

Species admodum varians in plures varietates, imo vel (ex nonnullorum opinione) in alias species dividenda. In montibus collibusque et in pratis turfosis Europae mediae et australis indigena. Continet principium amarum, nondum satis cognitum.

Absit *P. vulgaris* L. quae habet folia infima sparsa, spathulata vel obovato-lanceolata vel lanceolata, reliqua lineari-lanceolata, breviora. *Polygonum aviculare* L. nimis saepe cum *Polygala amara* L. confusum, notis botanicis facillime potest distingui.

## POLYGALA SENEGA L.

*RADIX SENEGAE.*

Rhizoma multiforme, tortuosum, apice propter reliquias caulium, quamvis brevissimas, verrucoso-tuberculatum; in annosioribus crassioribusque speciminibus multiceps, griseo-fuscum; strato corticali fusco-resinoso, limite obscuriore et valde distincto a lignea eaque albida substantia sejuncto; in vetustis et in ipsis crassioribus fibrillis saepius nodi adsunt, aut superficies est subannulato-rugosa et transverse fissa, in tenuissimis forma subcomplanata cum margine altero prominente; substantia interiore admodum tenaci. Sapor irritans, acidulus, subacer.

Planta Americae borealis.

Inest principium acre, in aqua insolubile, nondum satis cognitum (seneginum).

## KRAMERIA TRIANDRA RUIZ. ET PAV.

*RADIX RATANHIAE.*

Rhizomata lignea plantae Peruviana, formae irregularis, crassa; rami diversae longitudinis (ad 20 cent. et quae excurrunt elongati),  $\frac{1}{2}$ -1 cent. crassi, cylindrici; cortex 1-2 mm. crassus, inaequalis, rugosus, friabilis, saepe detritus et tum nitidulus, rubro-fuscus, facile solubilis; interna facie cinnamomeus, saporis adstringentis, non ingrati; lignum e flavescenti-fuscum, fere iners. Inest acidum tannicum quod sales ferricos viridi colore tingit.

## EUPHORBIACEAE.

## RICINUS COMMUNIS L.

*SEMEN RICINI VULGARIS* SIVE*CATAPUTIAE MAJORIS.*

Semina rotundato-oblonga, elliptica, subcomplanata, strophiolata, grisea et obscure maculata, laevia, nitentia; endospermium album, tenerum, pellucidum continet nucleum album, oleosum, saporis mitis, demum subacris faucibus inhaerentis.

Planta Orientis, frequenter in Europa culta.

*OLEUM RICINI.*

Est oleum e seminibus expressum, pingue, spissum, vix tenax; subflavum, nonnumquam decolor; absque odore; sapore praeditum fere fatuo, miti, aliquantulum nauseoso, deinde vix gutturali. Pond spec. = 0,954. Frigore coalescit in massam albidam, grumosam. In alcohole solvitur.

Abstinendum est ab oleo quod aëris contactu rancorem contraxit. Hoc apparet ex tenacitate aucta, sapore acri, gutturali, persistente. Adulteratio cum oleis pinguibus minoris pretii, apparet horum insolubilitate in alcohole. Rejiciatur quoque oleum, quod sapore admodum pungente distinguitur, et quod leni calore vapores pungentes emittit, quandoquidem ejusmodi oleum cum oleo crotonis commixtum est.

## CROTON ELUTERIA SWARTZ.

*CORTEX CASCARILLAE.*

Cortices duri, graves, fragiles, 4-6 cent. longi, tubulosi, clausi vel plerumque subconvoluti, alii aliis suscepti vel dimidiati,  $\frac{1}{2}$  cent. griseo-fusci, laeves vel parum rugosi, transverse fissi, saepe lactei vel propter Lichenes varie maculati; odor aromaticus, qualis etiam sapor, qui simul amarus; fumus combusti corticis habet odorem moschi odori non plane dissimilem.

Frutex Jamaicae et aliarum insularum Indiae Occidentalis.

Inest oleum aethereum, principium resinosum et amarum nondum satis cognitum.

## TIGLIUM OFFICINALE KL.

CROTON TIGLIUM L.

*SEMINA CROTONIS TIGLII.*

Semina oblongo-ovalia, utrimque obtusa, 10-13 millim. longa, 6-7 millim. lata, sordide rubro-fusca, nigro et viridi-maculata; testa crustacea fragili et caruncula umbilicali sive raphe elongata instructa. Embryo intra albumen carnosum, copiosum rectus cotyledonibus foliaceis rectis praeditus; radícula umbilico proxima, supera. Solita temperatura semina inodora sunt, eadem vero aucta peculiarem et fragrantem spirant acorem. Sapor primum oleosus, tum vero acer, fere causticus, diu persistens.

Arbor insularum Moluccarum.

Semina eximie cathartica, jam dosi minori assumta periculosa, immo lethalia evadunt, propter oleum pingue, in quo solutum tenetur aliud oleum acre, sive aetheris sive pressionis ope extrahendum.

## JUGLANDEAE.

## JUGLANS REGIA L.

*CORTEX NUCUM EXTERIOR VIRIDIS,  
ET FOLIA RECENTIA.*

Sarcocarpia globosa, viridia, carnosae, ingratae olentia, acris, nauseosa, adstringentia, cutim viridi fusco colore et linguam fusco-nigrescente induentia.

Folia impari-crescente-pinnata; foliola ovalia, acuminata, integerrima vel subserrata, glabra, suaveolentia, amara, adstringentia.

Arbor Orientis, in Europa frequenter culta.

Continet materiam amaram, acidum tannicum et oleum acre, pingue.

## ANACARDIACEAE.

## PISTACIA LENTISCUS L.

*MASTICHE ELECTA.*

Mastiche, liquoris resinoso-oleosi forma ex trunco Pistaciae Lentisci L., arboris Europae meridionalis, imprimis insulae Chii, sive sponte, sive post factas incisiones stillans, aëre indurata constituit granula rotundato-compressa formae irregularis, quarum alia sunt majora, pleraque tamen pisi magnitudinem aequant; sunt coloris albi, flavicantis, vel flavo-viridescantis; extrinsecus pulvere quasi adspersa, scabra, friabilia, fractura splendens; odor gratus est, aromaticus; sapor est balsamicus, dulcis, subadstringens, stimulans. Manducata mastiche



mollescit, et constituit massam albam, quasi ceraceam, dentibus adhaerentem; calore liquescit; igne combusta odorem spargit balsamicum gratum; haud solvitur aqua; ab alcohole in duas partes separatur; quod eo solvitur masticinum dicitur; praeterea mastiche solubilis est in oleis. Pulvis albus est.

## RHUS TOXICODENDRON L.

### *FOLIA RHODIS TOXICODENDRI.*

Folia longe petiolata, ternata, membranacea, subpellucida, lutescentia; folia 8 cent. longa 3½ cent. lata, late oblique ovata, integerrima; lateralia subsessilia, medio longius petiolulata, attenuata, omnia glabra.

Plantae Americae borealis, nobis cultae, perquam venenatae, manibus tectis legantur folia adulta; prudenter siccentur et quovis anno renoventur. Distinguitur hic frutex a Rhoë radicante, quae R. Toxicodendri L. varietas est: foliis minoribus integerrimis vel subrepandocrenatis, subtus pilosiusculis, caule valde radicante.

Inest major quantitas acidi tannici et materies acris volatilis, nondum bene cognita.

## BURSERACEAE.

### BOSWELLIA SERRATA ROXB.

BOSWELLIA THURIFERA EJ.

### *OLIBANUM.*

*GUMMI OLIBANUM. OLIBANUM, THUS.*

*OLIBANUM INDICUM.*

Sunt grana vel massae formae variae, plus minusve

globosa, ex albedo lutescentia, vel et subrubella, subdiaphana, extrinsecus subpruinosa, tactu aspera, fragilia, fracturâ opacâ, aequali. Calefactum olibanum imperfecte funditur flammaque comburitur laete. Pulvis sit albidus. Odor balsamicus, proprius, qui maxime percipitur, si prunis injicitur olibanum. Sapor acer, subamarus. Pond. spec. = 1,22.

Cum aqua tritum lactescit, emulsionem praebens. Alcohole solvitur totum, vini spiritu pro parte.

Oleum continet aethereum, quod destillando cum aqua colligi potest.

BALSAMODENDRON MYRRHA EHRENB.  
ET BALSAMODENDRON KATAF KUNTH.

*MYRRHA.*

*GUMMI MYRRHAE. GUMMI-RESINA MYRRHA.*

Prostat Myrrha electa sive in granis et lacrymis, ex arboribus Arabicis elicita et aëre indurata, sub forma granorum vel massarum irregularium, variae diametri, ochroleucorum vel fuscorum rubrorumque. Est vulgo opaca, rarius diaphana, extrinsecus subpulverulenta, tactu omnino singularis, arida simulque subpinguis, fragilis fracturâ inaequali, vix splendente, venis vel striis albidioribus intermixtis. Pond. spec. = 1,36. Odore instructa est aromatico, balsamico, sapore balsamico, amaro. Calefacta intumescit odoremque spargit fortiolem penetrantem.

Cum aqua trita myrrha liquorem praebet flavo-lacteum; destillatione cum aqua colligi potest oleum aethereum decolor, myrrham redolens. Aqua solvit fere 70%; alcohol vero fere 30%. Aether nitricus alcoholicus fere solvit myrrham; item mixtura ammoniae et alcoholis.

Non admittenda est Myrrha sic dicta naturalis, in sortis, vel nova, orientalis quoque dicta, quae species sunt nigro-fuscae, imo nigrescentes, glutinosae, tenaces, intus non raro grana bene constituta, sparsa continentes, odore ingrato, subterebinthinaceo, sapore perquam amaro, nauseoso pungente.

Cave quoque, ne utaris Myrrhâ, cum Gummi arabico vel gummi cerasorum mixtâ, quod detegitur proportione aucta partium aqua solubilium.

AMYRIS PLUMIERI DE CAND.

AMYRIS ELEMIFERA L.

ET ICICA ICICARIBA DE CAND.

ELEMI.

GUMMI ELEMI. RESINA ELEMI. ELEMI  
OCCIDENTALE.

Ex his arboribus manat succus resinosus, sponte indurescens.

Sunt venales glebae solidae, diametri variae, foliis plantae cujusdam, forsan Chamaeropsidis, vulgo involutae, interne flavescens subviridescens, intermixtis granis magis citrinis, imo albidis, resinoso-nitentes; lamellulae tenuiores sunt fere diaphanae; corticis vel ligni particulae rarius sint intermixtae. Pond. spec. est 1,08 ad 1,10. Frigore materies fit fragilis; temperaturâ vulgari vix tenax, nec glutinosa est; liquescit leni calore, et si calefit aut cum corpore duro fricatur, in tenebris lucet. Facile inflammatur, odorem spargens balsamicum, foeniculo haud absimilem. Sapor est resinosus, balsamicus, subamarus, gutturalis.

Solvitur in alcohole ebulliente, dum sub refrigerio partes 24 $\frac{2}{3}$  resinae crystallisantur (elemiac nonnullis dictae), fere 60 $\frac{2}{3}$  solutae manent. Aqua vix quidquam solvit, nisi paucillum (2 $\frac{2}{3}$ ) extracti amari, si adfuerit.

Species altera Elemi vocatur orientale ab arbore Amyris Zeylanica REETZ (Balsamodendron Zeylanicum KUNTH.) derivanda. Sunt glebae majores, vulgo magis viscosae, ita ut digitorum impressiones facile accipiant, paululumque illis adhaereat massa. Tempore magis solideseit. Interne est massa satis homogena, albido-flava, vix viridescens, hinc inde frustulis fuscis nigrescentibusque mixta. Pond. spec. est 1,08. Odor est balsamicus, foeniculum redolens; sapor balsamicus, aeer. Quoad solubilitatem in alcohole ebulliente et insolubilitatem in aqua, a specie priore vix differt.

Abstineas a miscela quae Elemi loco venundatur, in alcohole frigido tota solubilis, quae resinam pini, terebinthinam, continet. Odor hoc in casu est terebinthinaceus, et deest vis phosphorescendi.

## SIMARUBACEAE.

### SIMARUBA AMARA HAYNE.

QUASSIA SIMARUBA WRIGHT.

### CORTEX SIMARUBAE.

Cortex radice arboris Jamaicensis, qui, qualis in officinis obvius est, segmentis constat longitudinis 10-20 cent. et quod excurrit, et crassitiei 2-3 mm., quorum superficies externa est hic illic gibboso-vel verrucoso-aspera, dum caeterum pellicula tenui albo-flavescente, nitidula obtegatur. Subiacet cortex ipse fibroso-laminaris, flavofuscus, intus satis aequalis; in segmentis radicalibus

spongioso - fibrosis fractura transversa facile instituitur, in reliquis vero cortex tenacissimus est; in cortice tan externo quam interiori sapor amarissimus. Principia propria sunt materies extractiva amara et satis magna muc vegetabilis copia.

### QUASSIA AMARA L.

#### *LIGNUM ET CORTEX QUASSIAE AMARAE.*

Frusta cylindrica, nonnumquam incurva, levia, 10-25 cent. et ultra longa, pro ramorum aetate variae crassitiei; lignum albo-flavum, tenacissimum, vix in pulverem redigendum, amarum, plerumque instructum cortice tenui, facile solvendo, 1-1½ mm. crasso, rugoso, extrinsecus sordide albo vel flavescente, ob Lichenes hic illic griseo-nigro, maculato vel punctato; corticis structura est grosse-fibrosa, interna superficies albo-, flavo-aut nigro-striata; cortex amarissimus est inodorus. Inest principium amarum.

Arbor Surinamensis, unde lignum et cortex nobis advehuntur.

Lignum et Cortex Quassiae ex *Picraena excelsa* Lindl. (*Quassia excelsa*, Swartz.) apud nos rarius obvia; vulgo constant segmentis crassioribus caeterum virtute medica Surinamensibus non cedunt.

### RUTACEAE.

#### RUTA GRAVEOLENS L.

#### *HEBBA RUTAE.*

Folia alterna et opposita, bipinnata, foliolis obliquis, lateralibus oblongis, terminalibus obovatis, carinatis,

latioribus, 3-6 mm. longis, obtusis, saepius ovalibus, omnibus glaucescentibus. Odor peculiaris, sapor amarus, aromaticus, acer, penetrans. Fruticis Europae australis, in hortis vulgaris, herbam lege quotannis renovandam.

Principia propria sunt oleum aethereum et materies extractiva amara.

## ZYGOPHYLLEAE.

### GUAIAACUM OFFICINALE L.

#### *LIGNUM GUAIACI.*

Arboris Indiae Occidentalis lignum durum, valde ponderosum, medium nigro-fuseum vel coeruleo-viride, exterius flavum, saporem habens subaerem, odorem, si fricatur vel calefit, aromaticum. Rasura utrumque referat colorem.

Inest principium resinosum et materies extractiva amara.

#### *GUAIAACUM.*

#### *RESINA GUAIACI NATIVA.*

Prostat, quae ex arbore sponte effluxit, indurata materia sub forma placentarum majorum, subglobosarum, solidarum, fragilem, superficie quasi pruinosa. Pond. spec. est 2,20 ad 2,22. Fractura est vitreo-nitens; color flavus, ex viridi et aliquando ex subfuseo-maculatus; sapor valde acer, gutturalis. Solida materies vix olet, liquata vero odorem spargit balsamicum, benzoin aemulantem. Inter dentes mollescit; aegre hoc accidit inter digitos. Facile in pulverem redigi potest, qui est albido-griseus, temporis tractu viridescens.

Alcohol solvit 80 $\frac{0}{0}$  hujus materiae. In aethere sulphurico solubilitas est multo minor. Oleum terebinthinae calidum plus solvit, quam frigidum, ita ut sub refrigerio pars praecipitetur. Sub evaporatione haec solutio fit coerulea, deinde amethystica, rosea, rubro-fusca, denique fusco-flava. Non solvitur in oleis pinguibus, facillime vero in liquore kali caustici.

Utrum resina haec adulterata sit colophonio, detegitur ope hydratis kalici. Guajacum purum praebet solutionem limpida, adulteratum vero solutionem opacam et turbida.

## DIOSMEAE.

GALIPEA OFFICINALIS HANC. ET G.  
CUSPARIA ST. HIL.?

### *CORTEX ANGUSTURAE VERAЕ.*

Cortex caulis et ramorum crassiorum constans segmentis plerumque planiusculis, minus frequenter tubulosis, diversae magnitudinis, 1-2-3 mm. crassis; stratum corticale extimum nonnumquam quasi argillaceum, flavum, spongiosum, ungue deterendum, aut (plerumque) sordide griseo-flavum, verrucoso-tuberculatum, in nonnullis etiam fissuris levioribus fere obsoletis subtessellatum; liber in segmentis planis saepe denudatus, aequalis, ochraceus vel obscure fuscus; superficies interior scabra; fractura rubro-fusca, satis aequalis, resinosa; sectio transversa valde nitida. Odor ingratus. Sapor grate aromaticus, fere urens et salivae secretionem promovens. In pulverem tritus colorem refert pulveri rhei haud dissimilem. Inest principium extractivum amarum et oleum aethereum.

Crescit utraque arboris species in America non procul a flumine Orinoco. Pseudo-Angustura venenatissima itidem americana, sed originis botanicae incertae, hodie vix amplius

verae angusturae intermiscetur vel eidem substituitur. Differt ab Angustura vera in primis: superficie corticis exteriore aurantia vel ferruginea, maculis nigris pustulisque cinereis et ochraceis instructa, superficie interiore griseo-nigra, sapore ingrato exquisite amarissimo.

BAROSMA CRENATUM KUNZE.

DIOSMA CRENATA L.

*FOLIA DIOSMAE CRENATAE* s.

*BUCCO.* s. *BUCHU.*

Folia brevi-petiolata, subcoriacea, crassa, supra fusco-viridia, subtus pallide-viridia, fere 3 cent. longa, 1 cent. lata, punctis pellucidis quasi perforata, oblongo-ovata, obtusiuscula, margine crenulata, glandula pellucida singulis crenulis interposita; odor peculiaris aromaticus, sapor aromaticus, adstringens, nauseosus. Fruticulus Africae australis.

Non commutanda folia sunt cum foliis Barosmatis serratifolii Wendl. (Diosmae serratifoliae Vent.) cui communis patria est cum priore specie. Sunt haec folia subsessilia, angustiora, lanceolata, margine serrata et subglandulifera, caetera eadem quae in B. crenato.

Continent folia Diosmatis crenati oleum aethereum, resinam, et principium extractivum (diosminum).

LINEAE.

LINUM USITATISSIMUM L.

*SEMEN LINI.*

Semina parva, fusca, ovata, oblonga, compressa,



nitida, glabra, in perispermiis mucilagine, in nucleo albo, farinaceo, oleo onusta, saporis fatui, ingrati, mucilaginoso-oleosi.

Planta annua, culta.

## MYRTACEAE.

### CARYOPHYLLUS AROMATICUS L.

#### OLEUM CARYOPHYLLORUM.

Est oleum recens vix coloratum, deinde flavescens, imo subfuscum, non valde volatile; odore instructum proprio; sapore aromatico, pungente. Pond. spec. = 1,055 ad 1,061. Non solidescit nisi ad -20°. Chartam coeruleam vix rubram reddit. Solubile est in alcohole, aethere et acido-acetico concentrato. Jungi potest cum alcalibus. Si pauxillum olei caute miscetur cum acido sulphurico puro, mox oritur color pulchre ruber, deinde purpureus; et post moram aliquam obscure violaceus. Haec coloris mutatio facile quoque observatur in solutione olei alcoholica, addito acido sulphurico. Acidum nitricum cum oleo mixtum exhibet massam incalescentem effervescentem, laete rubram, dum simul praecipitatur resina fusca. Caryophyllinae crystalli nitentes, sericeae, in aquâ insolubiles acquiruntur, si oleum caryophyllorum digeritur cum alcohole ebulliente et dein refrigerio committitur.

Adulteratio cum oleo terebinthinae, oleo amomi, oleo sassafras, detegitur caute destillando cum alcali, quo facto olea modo indicata in excipulum transeunt, remanente oleo genuino cum basi juncto. Si admixtum est oleum amygdalarum vel oleum ricini alcohole solutum, detegi potest calefactâ maculâ qua inquinavit chartam, quae quippe tota avolat, si oleum fuerit genuinum, pro parte vero

remanet, si adsit oleum pingue. Detegitur quoque destillando, transeuntibus oleo caryophyllorum et alcohole ad vas recipiens, remanente oleo pingui.

MELALEUCA LEUCADENDRON L.

MELALEUCA CAJEPUTI ROXB.

*OLEUM CAJEPUTI.*

*OLEUM WITTNEBIANUM.*

In India destillatione paratum oleum varium est, fere decolor aut flavescens, vulgo subviride, omnino pellucidum; odore instructum haud ingrato, camphoraceo, subrosmarineo, sapore aromatico, gutturali. In ore frigoris sensum relinqui bonitatis signum est. Pond. spec. = 0,927 ad 0,978. Ebullit ad 175° C. Tamquam acidum in chartam non reagit. Cum iodio non detonat. Ab acido nitrico non mutatur, nisi decoloretur; cum acido sulphurico flavescit, vix colorem fuscum accipit. Gas acidi hydrochlorici quantitatem absorbet magnam, dum color primo fit coeruleus, denique amethystinus; nec tamen sic massa oritur concreta camphorina. Destillatione instituta nil remaneat praeter resinae paucillum, quod combustum nullos relinquat cineres.

Rejiciatur oleum, cui color coeruleo-viridis, qui ex cupri praesentia est repetendus, quod facile detegitur commiscendo et conquassando oleum cum acido hydrochlorico diluto et deinde addendo solutionem cyaneti-kalico-ferrosi. Calefactum odorem ne spargat terebinthiaceum, neque ebulliat in minori caloris gradu.

## PUNICA GRANATUM L.

*CORTEX RADICIS GRANATORUM.*

Segmenta 3-10 cent. longa,  $1\frac{1}{2}$ -3 mm. crassa, semi-tubulosa, saepius tamen ex minoribus constantia fragmentis.

Facies exterior inaequalis, griseo-fusca, in aliis segmentis hic illic fissuris elevatis rimoso-tuberosa, in aliis epidermide inaequali oblecta; interna superficies, nisi adhaereat pars alburni, cinnamomea; fracturae longitudinalis et transversae aequalis color viridi-flavus, aut laete flavus; sapor adstringens; sub manducatione salivam flavo colore tingit. Arbor Orientis, frequenter culta in Europa meridionali, praesertim in Gallia, unde cortex adfertur. Vix potest cum aliis corticibus commutari, quin fraus facile detegatur. Principia maxime notanda sunt acidum tannicum, oleum pingue, amyllum.

## POMACEAE.

## CYDONIA VULGARIS PERS.

*SEMINA CYDONIORUM.*

Semina parva, circiter quatuor mm. longa, ovato-oblonga, plano-compressa, fere triquetra, rubro-fusca, in massa mucilaginoso contenta; spermodermis dura, cornea; nucleus albus, inodorus. Sub manducatione haec semina mucilaginem copiosam praebent. Semina Pyri et Mali haud confundenda cum Cydoniae vulgaris seminibus; utpote quae sunt magis ovato-compressa et endocarpiis nuda continentur. Principium constituens proprium mucilaginosum.

## ROSACEAE.

## ROSA CENTIFOLIA L.

*FLORES ROSARUM PALLIDARUM VEL  
INCARNATARUM RECENTES.*

Corollae plenae, incarnatae, in fundo rubrae, odoris suavis, saporis adstringentis, ante plenam expansionem legendae. Inest acidum tannicum, quod sales ferricos coeruleo colore tingit, et oleum aethereum.

Fruticulus cultus Europae, cujus plurimae sunt varietates.

## ROSA GALLICA L.

*FLORES ROSARUM RUBRARUM.*

Petala plana, expansa, ovato-rotunda vel obcordata, latiora quam longa, imbricata, obscure-purpurea, ungue flavescente, suaveolentia, sicca vix odora, saporis adstringentis; colligenda ante floris expansionem, cito siccanda, a luce et aëre arcenda. Principia propria eadem quae praecedentibus.

## GEUM URBANUM L.

*RADIX CARYOPHYLLATA.*

Caudex subterraneus praemorsus, multiceps, squamosus, obliquus, fere 5 - 7 cent. longus et  $1\frac{1}{2}$  - 2 cent. crassus, petiolorum vestigiis fibroso - excavatis brevibus et fibris

radicalibus tenuibus, fere filamentosis, longioribus, varia directione flexis et inter se mixtis obtectus, nigro-fuscus; fractura transversa valde fibrosa, sub cortice fuscam monstrat substantiam circularem, flavescens, demum massam fuscam. Siccata radix aspera est, valde fragilis. Odor debilis, quodammodo caryophyllaceus. Sapor aromaticus, adstringens, amaricans.

Legenda radix a planta spontanea primo vere, modico calore cito siccanda, quotannis renovanda.

Inest oleum aethereum et acidum tannicum, quod sales ferricos coeruleo colore tingit.

## AMYGDALAEAE.

### PRUNUS LAURO-CERASUS L.

#### *FOLIA LAURO-CERASI.*

Folia sempervirentia, crassa, coriacea, circiter 12-18 cent. longa, oblonga, vel ovato-oblonga, acuta, 4-5 cent. lata, supra obscure-viridia, nitentia, infra pallidiora, glabra, margine subrevoluto serratoque, serris valde remotis, nervo medio in pagina superiore elevato, in dorso obtuse carinato, basi 1-2 glandulosa; post contusionem odorem amygdalarum amararum spirantia, amaro-aromatica.

Fruticis Orientalis, in hortis frequenter culti, folia legantur adulta mense Junio et Julio.

Aquae ope e foliis parantur hydruretum benzoyli et acidum hydrocyanicum, quae destillatione praebent mixturem propriam Olei Lauro-Cerasi nomine cognitam, cujus solutionem sistit aqua cum foliis destillata.

## LEGUMINOSAE.

## GLYCYRRHIZA GLABRA L.

*RADIX LIQUIRITIAE. RAD. GLYCYRRHIZAE  
HISPANICAE.*

Radix repens plantae perennis Europae meridionalis, qualis in mercatura obvia est, constans segmentis variae longitudinis, 1-1½ cent. crassa, dura, cylindrica, deorsum attenuata, varice flexa, extrinsecus fusca, rugosa, intus flavescens, structurae radiatae; fractura grosse fibrosa; odor nullus, sapor dulcis amarus, subnauseosus. Inest glycyrrhizinum et resina acris.

## ASTRAGALUS CRETICUS L.

*GUMMI TRAGACANTHA.*

Ex frutice Cretico indicato et speciebus huic affinibus, ut sunt Astragalus verus Oliv., A. gummifer Labill., A. aristatus Herit., derivatur materies gummeo-mucosa concreta, Tragacantha dicta.

Electa prostat forma tabularum mirifice contortarum et striis insignium, quae indicant eas constare ex filis vermicularibus vel ex squamis latioribus inter sese conglutinatis; rarior est forma omnino vermicularis. Est materies alba, cornea, fere diaphana, inodora, insipida, fatua. Aëris vapores vix attrahit; hoc autem facto, fit subviscosa et aliquantulum tenax. In aqua valde intumescit, ita ut cum 50 ejusdem partibus fiat puls mucilaginoso, spissa. Amyli praesentiam iodium indicat; sit autem illius

proportio minima. Est insolubilis alcohole. Cineres post combustionem vix relinquit (2 ad 3%).

Abstinendum est a Tragacantha in sortis dicta et gummi Kutera constante ex frustis ochroleucis, fuscis, arenam aliasque quisquillas continentibus, vel ex glebis irregularibus concretis, squamisque imbricatis. In aqua haec intumescit quidem sed massam format minus floccosam, magis compactam, striis albidis intermixtam.

Confectio ex amylo, quam Tragacanthae loco venundari ajunt, detegitur eo, quod in aquâ frigidâ non intumescat et iodio omnis materies valde coloretur.

### MYROSPERMUM PERUIFERUM DE CAND.

MYROSPERMUM PEDICELLATUM LAM.,

MYROXYLON PERUIFERUM L. FIL.

### *BALSAMUM PERUVIANUM.*

### *BALSAMUM NIGRUM INDICUM.*

Balsamum, quod ex incisuris arborum truncis acquiri videtur, aemulatur fere syrupum simplicem sive vulgarem spissiore, in massa opacum, in stratis tenuioribus diaphanum, colore rubro-fuscum. Est unguinosum, odorem habet gratum, qui comparatur cum vanilla et storace mixtis; sapore est amariuscule, pungente, persistente, gutturali. Pond. spec. = 1,15. Aëri expositum non nisi lentissime et vix exsiccat. In alcohole 0,821 penitus solvitur; alcohole 0,858 insolutum restat fere 0,02, et in 0,882 remanet 0,01 resinae aegre solubilis. Aethere penitus solvitur. Oleum terebinthinae vix quidquam solvit, ita ut colore perparum mutetur. Cum aqua destillatum balsamum praebet aquam fere inodoram, limpidam, olei aetherei vestigia tantum minima continentem. Si duo

volumina balsami peruviani cum 3 voluminibus liquoris kali caustici (1,3) leni calori exponuntur, acquiritur Oleum Balsami Peruviani sic dictum vel Cinnameina, quae est naturae unguinosae, coloris flavi, fere sine odore, insolubilis in aqua, quâ gravior est, solubilis in alcohole et aethere, potestque destillari, ad 300-305°, ita ut tantum paucillum materiae carbonaceae restet. Kali, quod in hoc experimento adhibebatur, sese conjungit cum alia Balsami parte, et sub forma liquoris obscure fusci vel nigrescentis innatat cinnameinae.

Adulteratio cum oleo terebinthinae detegitur eo, quod destillando cum aqua oleum aethereum transeat; adulteratum quoque balsamum multo facilius ebullit, quam genuinum. Admixtum balsamum copaivae detegitur odore resinae peculiari, quae separatur ex tinctura ope ammoniae et aquae, atque denique evaporando.

## TAMARINDUS INDICA L.

### *FRUCTUS TAMARINDI.*

Materies fusco-nigra, constans pulpa leguminum, intermixtis seminibus planis, subquadratis, et partibus fibrosis; odor vinosus, sapor acidus, subadstringens.

Afferuntur ex utraque India. Praeferendi, qui ex India Orientali habentur.

Continent saccharum, acidum tartaricum, bitartratem kalicum, acidum citricum.

## CASSIA LANCEOLATA FORSK. DEL.

ET C. OBOVATA COLLAD.

### *FOLIA SENNAE ALEXANDRINAE.*

Foliola brevissime petiolata, subcoriacea vel chartacea



et membranacea, ovato-oblonga, basi inaequalia, apice attenuata, mucronulata, integerrima, in dorso potissimum brevissime pilosa. Foliola fere 2-2½ cent. longa et medio circiter 1 cent. lata; supra pallide viridia, subtus pallide-viridi-grisea, carinata, nervis secundariis oblique decurrentibus; odor leviter aromaticus, sapor primum dulcis stimulans, tum vero ingratus, amaro-mucilaginosus. Cavendum ne petiolorum nimius adsit numerus.

Haec *Senna Alexandrina*, optima et valde usitata species, habetur a fruticulis indicatis Aegypti superioris indigenis. Principium inest amarum extractivum purgans (cathartinum)

Intermixta folia *Solenostemmatis arghel* HAYNE, dignoscuntur: forma ovali-oblonga lateribusque aequalibus, apice non-mucronato, superficie rugosa, non glabra, carina latiore et magis exstante, compage foliari non-membranacea aut chartacea, sed coriacea.

Folia *Sennae Tripolitanae* ab iisdem speciebus oriunda, plerumque valde diffracta, aequè minus sunt commendanda ac folia *Sennae Indicae* seu *Orientalis* (*Senna de Tinnevelly*) a *Cassia acutifolia* Del. et *C. Ehrenbergiana* Bisch. oriunda. Haec dignoscuntur: foliolis lanceolatis, angustato-acutis, mucronatis, membranaceis, subtus pubescentibus et aliâ intermixtâ formâ foliorum anguste-lanceolorum, longe-acuminatorum, subcoriaceorum et brevissime petiolatorum; caeterum utrinque sunt pilosiuscula, pallide et fusco-virescentia. Afferuntur ex Oriente.

## CASSIA FISTULA L.

### *FISTULA CASSIAE. FRUCTUS CASSIAE FISTULAE.*

Legumina cylindrica, recta, 1-2 pedalia, obtusa, digitum crassa, utrinque sutura elevata instructa, lignea,

nigra, dissepimentis transversis multilocularia; loculis monospermis continentur semina dura, nitida, elliptico-rotundata, in medulla tenaci nigra, dulci, mucilaginoso. In officinis fructus aliquando in frusta fracti obvii sunt. Inest saccharum et materies extractiva.

Ex India utraque, optimi tamen ex India Orientali.

ANDIRA RETUSA VAR. SURINAMENSIS DC.  
GEOFFROYA SURINAMENSIS BONDT.

*CORTEX GEOFFROYAE SURINAMENSIS.*

Corticis a truncis vetustis desumpti segmenta, quae in mercatura obvia sunt, saepius  $\frac{1}{2}$  metrum longa et circiter  $\frac{1}{4}$  cent. lata,  $1 - 1\frac{1}{2}$  cent. crassa, plana, in externa superficie valde inaequalia, plantis cryptogamicis numerosis, imprimis Lichenibus et vel Fungis obsessa; cortex tamen ipse subjacens fuscus, grosse-fibrosus, interna superficie aequalis aut etiam fibrosus, griseo-niger. Sapor adstringens, subamarus, salivae secretionem excitans; odor vix ullus. Affertur e Surinamo.

Inest acidum tannicum, quod sales ferricos viridi colore tingit, et proprium principium, quod in crystallos duci potest, nondum satis cognitum.

COPAIFERAЕ L. PLURIMAE SPECIES  
BRASILIENSES.

*BALSAMUM COPAIVAE. BALSAMUM DE COPAIVA.*  
*BALSAMUM BRASILIENSE.*

Plures omnino sunt Americae calidioris, imprimis Brasiliae arbores, quarum trunci vulnerati succum stillant

balsamicum. Videntur omnes ad genus *Copaiferam* L. esse referendae, cujus species maxime laudantur *Copaifera multijuga* Mart., *C. bijuga* Willd., *C. nitida* Mart., *C. laxa* Hayne, *C. Martii* Hayne, *C. officinalis* Jacq., aliae. Mirum itaque videri non potest, quod hujus Balsami proprietates non semper plane eadem sint.

Optimum est pallide flavum, limpidum, olei olivarum spissitudinem referens, glutinosum, odore praeditum proprio, plerisque hominibus ingrato, sapore acri, amariuscule, persistente, gutturali. Pond. spec. 0,95 ad 0,99. Aëri expositum inspissatur, fitque tenacius, turbidum, denique resinosum, solidescens. In alcohole 0,821 fere totum solvitur; in alcohole 0,858 insolubiles restant fere partes 0,5; in liquore hoc, ubi 0,882 notat, vix quidquam solvitur. In aethere solvi potest, tum etiam in oleo terebinthinae. Cum aqua destillatum odorem suum mox tradit; at vero destillatione iteratâ est utendum, ut oleum aethereum possit separari. Et ne sic quidem omne oleum acquiritur, nam exigit 260 ad minimum gradus, ut destillando ex ipso balsamo haberi possit. Oleum aethereum hoc modo paratum est subviride. Cum acido sulphurico caute mixtum rubescit, colorem croceum acquirit et tenax fit. Calefactum balsamum solvit sulphur et phosphorum, usque ad quintam sui ponderis partem. Si partes aequales liquoris kali caustici vel ammoniaci et balsami concutiuntur, saponacea oritur solutio pellucida, neququam turbida.

Minoris pretii balsamum, quod ex *Copaifera officinali* Jacq. (*C. Jacquini* Desf.) originem ducere videtur, est coloris obscurioris, fusco-lutei, tenax, facillime spissescens, odoremque citius amittens.

Adulteratur maxime cum oleis pinguibus, praecipue oleo ricini, tum etiam oleo terebinthinae. Olea pingua deteguntur, si solutio fiat cum larga alcoholis 0,821 copia. Ricini oleum variis agnoscitur modis; facillima methodus

haec est, ut macula excitetur in charta et tunc calefiat; sic quippe balsamum purum relinquit maculam pellucidam, duram, fragilem; fraude aduletratum vero maculam circulo pingui cinctam, molliusculam, flexilem. Parca solutio alcoholica evaporando relinquit resinam fragilem, resina adulteratum vero resinam tenacem. Denique concute 3 balsami volumina cum 1 vol. amm. caust. (0,965 aut parum debilioris), in tubo vitreo; solutio oritur limpida, balsamo puro, linimentum autem saponaceum, si fuerit oleo ricini inquinatum.

Terebinthina jam odore detegitur, balsamo calefacto. Est balsamum terebinthina mixtum magis quoque consistens et tenacius, oleumque suum destillatione facilius tradens.

#### ACACIAE L.

PLURES SPECIES ARABICAE, CAET.

#### GUMMI ARABICUM.

Quae gummi praebent generis Acaciae species maxime laudantur Acacia tortilis Forsk., A. Ehrenbergiana Hayne, A. Seyal Delil., A. vera Bauh., A. arabica Willd., A. gummifera Willd., A. Senegal Willd.

Hujus succi, aëre indurati species venales prostant duae, altera Arabica strictius dicta, altera Senegalensis:

1°. Sunt fragmenta subrotunda, rarissime cava, vulgo homogenea, irregularia, magnitudine varia, sine colore, aut albida, pellucida, passim flavescencia, sicca fragilia, fracturâ irregulari, splendente. Pond. spec. = 1,32 ad 1,48. Odore caret gummi, saporem habet fatuum, viscidum. Solvitur facillime in aqua tum frigida, tum calida, quae solutio reactionem acidam habet. In alcohole est insolubile, calori expositum iutumescit, carbone tegitur et tandem comburitur, dum cineres aut nulli aut perpauci

supersunt. Partes 17% aquae, quas vulgo continet, auferri possunt, si pulvis calori 100° rite exponitur. Specifica est reactio silicatis kalici, qua fit praecipitatum ex gummate-kali et acido silicico, dum solutum manet et compositum et gummi-kali.

2°. Senegalensis species plerumque prostat sub forma frustorum majorum, duriorum, extrinsecus rugosorum, quasi ex granulis minoribus conglutinatorum, intermixtis saepe bullulis aëreis, intus haud raro cavorum. Color est albidus, flavescens, rarius subfuscus. Solutio aquosa est magis mucilaginosa. Cum silicate kalico major oritur turba et praecipitatum magis floccosum.

## SIMPLICIA, SIC DICTA, ORIGINIS ORGANICAE.

---

### PETROLEUM.

#### *OLEUM PETRAE.*

Est bituminis species, quae in diversissimis montibus, etiam vulcanicis et prope lithanthracum strata, in Europa et praesertim in Asia reperitur, ita ut e terris vel saxorum aperturis profluat, vel etiam aquae innatet.

Venale prostat, ut oleum bituminoso-aethereum, pellucidum, flavum vel rubescens. Album vocatur si colore est flavescens et pondere specifico minore (0,836-0,854 fere); rubrum vero, si color est rubellus et pondus specificum majus (0,878-0,902 fere). Odor et sapor est ingratus, bituminosus, irritans. Chartam probatoriam coeruleam rubram reddit. Solvitur oleis pinguis et aetheris. In alcohole absoluto, caloris gradu 12-13° C., solubile; spiritu vini fluidum lacteum efficit.

Aëris aditu lentissime spissius fit et colorem contrahit obscuriorem.

Prostat quoque petroleum nigrum, spissius, magis resinosum et gravius olens, quale est rejiciendum.

Adulteratur petroleum oleis aethereis minoris pretii, maxime oleo terebinthinae. Quod quidem apparet addito acido nitrico fumante vel acido sulphurico, quibuscum tunc majorem calorem excitat, intumescit, crustamque rubro-fuscam format.

Oleum pingue cum petroleo mixtum agnoscitur solubilitate in alcohole absoluto valde imminuta.

## SUCCINUM.

### *AMBRA FLAVA. ELECTRUM.*

Resina fossilis originis vegetabilis, nunc praesertim ad maris baltici littora collecta, nonnumquam vero e terra effossa.

Est materia bituminosa, solida, fragilis, quae vulgo prostat sub forma frustorum irregularium, variae magnitudinis, plus minusve pellucidorum, coloris citrini aut flavi, nonnumquam insecta includentium, fracturâ conchoidea, splendente. Pond. spec. = 1,07. Carboni candenti immisum succinum odorem spargit aromaticum, ardetque flamma flava, subviridescente, fumosâ. Sublimatione praebet acidum succinicum et oleum empyreumaticum, oleum succini dictum. Aqua destillata ebulliens parvam, alcohol et aether majorem acidi succinici partem solvit. His ultimis liquoribus simul solvitur pars resinae, dum portio major insolubilis remanet. Olea aetherea et pingua vix aliquam solvendi vim in succinum exercent, nisi prius sit liquatum.

Ne confundas cum copalo, cujus frustula vulgo magis sunt globosa, et multo facilius aethere et oleis aethereis solvuntur.

## CARBO VEGETABILIS.

*CARBO LIGNI.*

Carbo vegetabilis e ligno variarum arborum ope distillationis siccae aut combustionis temperatae in variis officinis diversa ratione obtinetur. Plerumque formam ligni, e quo formatus est, exhibet, sed praeterea niger est, facile in pulverem conteri potest, nec odore neque sapore praeditus. Aquae vaporem caeteraque fluida elastica gazosa, praecipue postquam in vasis clausis strenue calefactus est, attrahit et in poris suis condensat. Cum solutionibus pigmentorum plantarum aut animalium neutris et acidis sufficiente copia commixtus, eas colore aliaque corpora odore privat. Multos sales e solutionibus neutris expellit. In aëre aperto facile comburitur. Carbo recens destillatus 10-20° in aëre, attractis aquae vaporibus et aëre ipso, pondere augetur.

## ACIDUM ACETICUM.

*ACIDUM PYRO-LIGNOSUM RECTIFICATUM.**ACIDUM PYRO-XYLICUM. ACIDUM LIGNICUM.*

Inter producta distillationis ligni, praesertim durioris, imprimis enumerandum est acetum pyro-lignosum sic dictum, revera autem acidum aceticum multis substantiis heterogeneis, oleo praesertim empyreumatico inquinatum, unde colorem fuscum, odorem foetidum, saporem ingratum contrahit.

Plures jam exstant et nostra in patria officinae, in quibus diverso modo instructi apparatus ad distillationem hujus acidi pyro-lignosi adhibentur, quod deinde variis modis, propria saepe encheiresi, praesertim autem satura-

tione cum calce ejusve carbonate, et depuratione salis calcici, ab adhaerentibus corporibus empyreumaticis aliisque liberatur, ac tandem e sale calcareo aut natrico, acidi sulphurici et caloris ope separatur, et vasis vitreis aliisque idoneis destillatur.

Ab omni fere labe heterogenea sic depuratum acidum aceticum liquorem sistit limpidum, decolorem, odoris penetrantis grati, acidi, densitatis 1,055 ad 1,065, qui ad quasdam praeparationes chymicas et pharmaceuticas nequaquam est improbandus. Praevia autem exploratione illius puritas indagetur, nitratis argentici et acetatis barytici praesertim solutionibus, quae in acidum aqua depurata dilutum instillatae nullam turbam provocent; praeterea si aliqua basi, kali v. gr. aut natro saturatur acidum, connubium salinum exinde ortum sub liquidi evaporatione prorsus decolor maneat.

### SPIRITUS VINI.

Quod fermentatione succi fructuum recentium Vitis Viniferae obtinetur fluidum spissum, turbidum, iterata destillatione spiritum vini largitur. Optimae notae adfertur ex Hispaniae ac Franciae meridionalis provinciis, variae quidem densitatis, plerumque aut 0,935 quod titulo vernaculo *brandewijn*, aut 0,847 ad 0,850, quod nomine *voorloop* designatur.

Liquor est volatilis, limpidus, odoris proprii, fragrantis, haud ingrati; saporis urentis, aromatici, coloris interdum fusciscentis, quem ex vasis, in quibus adfertur, e ligno quercino plerumque confectis contrahit.

Adulteratur saepe spiritus vini genuinus spiritu frumenti aliisque liquoribus spirituosus, odore et sapore alieno peculiari, minus grato a fermentoleo quod continet dignoscendis, quod praecipue manifestatur, si spiritus vini admixto panxillo kali caustici aut carbonici destilletur, et residuum aquosum acido quodam saturetur.



## INDEX RERUM MERCABILIIUM.



## II. EX REGNO ANIMALI.

|                      |   |                      |                                       |
|----------------------|---|----------------------|---------------------------------------|
| Ex Polyporum ordine. |   | Spongia officinalis. |                                       |
| » Insectorum         | » | Coccus cacti.        |                                       |
| »                    | » | Mel                  | } ex Apis]<br>mellificae<br>apiariis. |
| »                    | » | Cera flava           |                                       |
| »                    | » | » alba               |                                       |
| » Piscium            | » | Ichthyocolla.        |                                       |
| » Mammalium          | » | Cornu cervi.         |                                       |
| »                    | » | Sevum ovillum.       |                                       |
| »                    | » | Axungia porci.       |                                       |

## CORPORA EX REGNO ANIMALI.

## ANIMALIA INVERTEBRATA.

## ANNULATA SUCTORIA.

## SANGUISUGA MEDICINALIS SAVIGNY.

HIRUDO MEDICINALIS L.

*HIRUDINES PHARM.*

Vermes aquatici, corpore oblongo, mutico, subdepresso, antrosum attenuato, valde contractili, annulis vulgo 94 perfectis instructi; os dilatabile, intus maxillis tribus minutissime dentatis, corneis armatum. Discus latus, prehensilis ad extremitatem posticam. Dorsum sit atrofusum, subolivaceum, lineis aurantio-fuscis sex notatum, quarum exteriores simpliciores, quasi undulatae, margini luteo adstantes, maculis nigris sparsis non nisi extrorsum insignes. Lineae intermediae sint punctis vel maculis nigris omnino distinctae, vix interruptae; mediae seu interiores punctulis nigris, magis sparsis notatae. Subtus colore gaudent sordide-olivaceo, maculis nigris, nebulosis; margine luteo, cui sursum adstant lineae vel maculae nigrae extimae dorsales.

Sint sanae, lubricae, agiles, caute manu pressae sat cito se contrahant; sint minime nodosae, nec muco copiosiore tectae, nec morbo laborent icterico.

Asserventur hirudines in receptaculo satis capaci, aërem lucemque admittente, temperaturâ moderatâ. Non in

officinis et laboratoriiis chymicis, sed loco magis congruo, aërem puriorem habente servantur. Cave ne majores in eodem vasculo cum minoribus misceantur. Sanguine, si quem vomitu ejecerint animalia, aqua mox liberentur. Omnis temperaturae mutatio repentina nocet. Autumni sub fine et vero hyeme hirudines quantumpote quieti dentur.

Haec species invenitur in tota Europa.

Cave ne confundas cum Sanguisuga officinali Savigny, ex Hungaria maxime allata, neque cum S. interrupta Moq. Tand., aut Hirudine Gulone Braun. (H. sanguisuga L.) Prior differt a medicinali: colore dorsi obscuriore, nigrescenti-olivaceo, lineis 6 rubro-fuscis, lineolis nigris minoribus notatis, ventre non maculato.

Posterior colore gaudet lactius viridi, lineis sex aurantiacis interruptis, cum lineis nigris itidem interruptis quasi alternantibus. Gulo denique lineis longitudinalibus caret, harumque loco in dorso punctis praedita est irregularibus et lineis marginalibus pallide luteis; venter plerumque maculis caret; oculis magis conspicuis; mandibulis dentibus obtusis praeditis. Mordet potius, quam sugit.

## INSECTA.

---

### COLEOPTERA CANTHARIDEA.

#### LYTTA VESICATORIA FABR.

CANTHARIS OFFICINALIS GEOFFR. MELOË VESICATORIUS L.

#### *CANTHARIDES* SEU *MUSCAE HISPANICAE*.

Insecta sunt Europae in primis meridionalis, ubi Fraxinum, Syringam, Loniceram, cact. aggrediuntur. Sint

16-25 millim. longa, 6-8 lata, colore ex viridi-aureo, nonnumquam subcoeruleo, splendentia; capite exserto, declinato, cordato-triquetro, mediâ parte impresso; antennis nigris, filiformibus, articulis undecim, quorum infimus major et aureus; thorace obtuse-quadrigono, antrorsum latiore; elytris oblongis, angustis, tenuibus, corporis longitudinem vix aequantibus; dorsi parte anteriore cyaneâ; corpore pilis tenerrimis obsesso. Odore notantur Cantharides nauseoso, sapore austero, corrodente.

Serventur vasculis bene clausis, loco luminis radiis non exposito. Corrupuntur saepissime ab Acaro domestico, caet. Hanc labem quominus contrahant, multi paululum camphorae vel aetheris sulphurici addi jubent, quibus quippe insectula arceantur. Abstineas a Cantharidibus fere in pulverem redactis vel corrosis.

Rarissime apud nos prostant Cantharides intermixtis insectis aliis. Aliquando illis interest *Cetonia aurata*, vel solâ magnitudine et habitu facile dignoscenda. *Lytta Gigas* Fabr. (coerulea), ex India Orientali allata, si adsit, agnoscitur colore obscure-coeruleo, ventrisque parte anteriore rubrâ, elytris corporis longitudinem superantibus.

## CRUSTACEA DECAPODA.

---

### MACROURA.

*ASTACUS FLUVIATILIS* FABR.

*CANCER ASTACUS* L.

*CANCRORUM LAPIDES* SEU *OCULI*.

Sunt concrementa, praecipue ex carbonate et phosphate calcico atque tela cellulari animali composita, alba, passim

subrubella et subcoerulescentia, orbiculata, alterâ parte convexâ, venularum impressione saepissime notata, alterâ subplanâ, margine sat crasso, obsoleto cinctâ, centro quasi umbilicali, lineas concentricas exhibente. Sint dura, fragilia, texturae lamellosae, inodora, insipida, calore primum nigrescentia, deinde igne intensiore calcis sales et oxydum calcicum relinquunt. Juniores lapides, quales inter venales saepe reperiuntur, sunt tenuiores, placentaeformes, saepius rugoso-papilloso.

Genuini cum acidis effervescunt, relictâ parte gelatinosa, formam oculi primitivam tumefactam referente. Utendum est ad hunc finem, acido hydrochlorico aut nitrico diluto vel acido acetico, ita quidem ut primo solvatur calx laminae exterioris, quo facto interne apparet nucleus calcareus, irregularis saepissime, duritiae superans lapidem vulgarem. Partis umbilicalis gelatina jam videtur magis cornea, dorsi vero magis laxa. Ablata hac exteriori gelatinae lamellâ, novo affuso acido, iterum oritur effervescencia. Tunc etiam constat gelatinam anteriorem esse decolorem, laminam sequentem vero subrubellam firmiterque nucleo adhaerentem. Juniores lapides gelatinam relinquunt discoideam.

Afferuntur Cancrorum Oculi praecipue ex Polonia et Moldavia.

Servare oportet in vasculis clausis, maxime ut aëris humidi accessus impediatur.

Arte confecti ex creta, ichthyocolla aliis, a genuinis facile dignosci possunt tum structurâ haud lamellari, tum salium phosphoricorum absentia, tum denique eo quod acidorum ope gelatinam aut nullam, aut amorpham relinquunt.

## ANIMALIA VERTEBRATA

## PISCES OSSEI.

## GADOÏDEI.

GADUS CALLARIAS L., MORRHUA L. CAET.

*ASELLUS STRIATUS WILL.; ASELLUS  
MAJOR WILL.**OLEUM JECORIS ASELLI.*

Ex hepate Gadorum aliorumque piscium obtinetur oleum pingue, quod olei jecoris, jecinoris vel jecorum aselli nomine venale prostat. Differt maxime pro variis praeparandi methodis, nec non pro animalium specie:

1°. Oleum jecoris flavum, album, Bergense seu Norvegicum optimum dictum, maxima parte habetur ex Gado Callaria L. et Carbonario BLOCH. ex G. virente L., dein ex G. Pollachio, G. Morrhua, G. Molva, G. Merlango. Sponte exstillat, vel solis calore ex hepatibus non vetustis colligitur, estque eo purius, quo pinguiora sint jecinora et quo citius oleum supernatans caute auferatur. Sit coloris aurei, odoris proprii, non multum nauseosi, saporis piscini, subausteri: subacidam habet reactionem. Pond. fere 0,93 est. Solvuntur in alcohole frigido 2,4-2,7, ebulliente 3,4-4,5 partes centesimae. Aethere omni solvitur proportione. Cum aqua concussum praebet emulsionem albam, ex qua post parvum temporis intervallum separatur olei pars, sub cuius strato mox apparet cremoris, ut hac comparatione utamur, stratulum, dum ipse status

emulsivus caeteroquin per longum tempus remanet. Continet haec species iodii quantitatem, si sit Bergensis genuina, subfusca paulo ininorem, fusca majorem.

Hujus speciei, quae varius venumdat, locum occupare potest olcum jecoris subfuscum, quod ex iisdem habetur animalibus et, si sit pallidius, nomine flavi quoque exhibetur. Obtinetur haec olei species vel ex jecinoribus magis putrefactis, vel caloris ope, vel denique oriri videtur ipsius temporis vi, ex flavo ipso. Sit coloris flavofusci, odoris proprii, subnauseosi, saporis piscini, parum amari, subausteri. Est subpellucidum. Pond. spec. 0,924; solvuntur alcohole frigido 2,8-3,2 partes centesimae, ebulliente 6,5-6,8. In aethere omni solvitur proportione. Aqua concussum exhibet emulsionem cinereo-albam, ex qua post parvum quietis intervallum separatur oleum fuscoflavum, quasi cremor; denique oleum omne. Iodii maximam continet quantitatem.

Nonnulli hanc speciem vocant empyreumaticam, quod vero nomen potius competit sequenti.

2°. Oleum jecinoris fuscum seu nigrum, quod ex eorumdem animalium hepatibus coctione vel leni tostione colligitur, est obscure fuscum vel nigrescens, radiis lucis transeuntibus, reflexis vero viridescens, non omnino pellucidum; odoris uauseosi, foetidi, saporis amari, empyreumatici, austeri, fortioris. Pond. spec. est 0,929. Solvuntur alcohole frigido 5,8-6,4 part. cent., ebulliente 6,5-6,8. In aethere solvitur omni proportione. Cum aqua concussum praebeat emulsionem fuscam, cui major olei quantitas, post quietem 24 hor., supernatat. Emulsione diutius servata omne oleum separatur, at vero aqua non omnino pellucet. Continet minimam iodii quantitatem, maximam elementorum quae bili propria sunt, tum etiam acidi acetici et butyrici, estque vulgo ferri tantillo inquinatum.

Vix dubitandum, quin ex aliis quoque piscibus obtine-

atur ejusmodi oleum, ut v. c. ex Raiae clavatae et R. batidis, squalorumque hepatibus.

Prostat venale oleum ita dictum purificatum acidi sulphurici ope, aut alia quacumque ratione purgatum, quod gratius est, at vero vim amisit specificam, medicatam. Est itaque pharmacopolis interdictum hoc oleo uti, nisi medicus hanc speciem de industria praescripserit.

## MAMMALIA CETACEA.

---

### PHYSETERES.

#### PHYSETER MACROCEPHALUS L.

##### *CETACEUM. SPERMA CETI.*

##### *ALBUM CETI. ADIPOCERA CETOSA.*

##### *SUCCINUM MARINUM. AMBRA ALBA.*

Est materia sui generis, pinguis, albedine nivea, splenscens, squamoso-crystallina, subpellucida, tactu subpinguis, friabilis, odoris unctuosus, saporis blandi, adinstar sevi puri. Pond. spec. est 0,94. Facilius liquescit, quam cera, nempe ad 45° C. In alcohole fervido et aethere solvitur; itidem in oleo terebinthinae oleisque pinguibus. Quando comburitur, parum odoris singularis spargit, paululum fuliginis praebet et fere totum consumitur. Sublimari potest ad 360°, quin aliquo mutetur modo. Kali ope cetaceum difficiliter in saponem mutatur, hoc autem facto, invenies acidum margaricum, ac. elaicum et aethalium, quod aethere solvi et ad 48° fundi potest. Est praetera aethalium album, crystallinum, neutrum, sine odore et sapore; facile et sine decompositione destillari



potest. Chartam macula pingui non tingat; ne acidam exhibeat reactionem.

Colligitur haec pinguedo ex sinubus singularibus occipitalibus et ductu dorsali aliisque cellulis minoris diametri Physteris macrocephali, animalis omnia maria inhabitantis, maxime vero australia. Contendunt quoque Physterem trumponem vel gibbosum et polycyphum Lesson, sperma ceti praebere; at vero de nulla hujus animalium generis specie certiores facti sumus, nisi de P. macrocephalo.

Rejiciendum cetaceum rancidum, quale vitium odor et sapor declarant. Si justo majorem olei cetacei proportionem continet, est mollius, magis unctuosum, quod oleum ope spiritus vini frigidi a cetaceo separari potest.

## ANIMALIA BISULCA.

---

### CAVICORNIA.

#### BOS TAURUS L.

#### *FEL TAURI.*

Fel tauri, ex animalibus recens mactatis vulgo ad Pharmacopolas advectum, sit fluidum, coloris viridi-flavi vel obscure viridis, odoris singularis, ingrati, saporis valde ingrati, amari, austeri, non facile delendi. Conquassatum magnas contineat aëris bullas. Sit solubile aqua et alcohole. Cum aqua conquassatum valde spumescat. Alcohole mucus praecipitetur. Calefactum non coaguletur, odorem autem spargat proprium ingratum, aliquando vero moscho non absimilem.

Muci magna quantitate, quam continet fel, est viscosum

et cohaerens. Filtri ope mucus separatur. In temperatura 6° densitas bilis bovinæ est 1,026.

Acidum aceticum mucum et pingua ex felle separat; acetas plumbi basicus postea additus subsidentiam producit albam, cohaerentem, emplastriformem, et in liquore solutum remanet corpus peculiare, bilinum, nec salibus metallicis, nec acidis, nec chlorio, nec principio tannico ex illo separandum. Post digestionem cum acido hydrochlorico, tria corpora resinosa profert insolubilia: dyslysinum, acidum fellenicum et cholinicum, atque quantum solubile, taurinum cum chloreto ammonico junctum.

Cave ne materiam hanc diu serves, antequam inserviat ad conficiendum Fel tauri inspissatum; citissime enim indoles chymica mutatur. Tempore praecipue aestivali facillime putrescit, quod odore ingratisimo, nauseoso constat.

#### SACCHARUM LACTIS.

Ex sero lactis vaccini, albuminis ovorum ope clariore facto, et liquore ad debitam, v. gr. syrupi consistentiam evaporato, tum vero repetita ad sufficientem depurationem usque, solutione et evaporatione, obtinentur massae, graves, placentaeformes, vel cylindricae, quae constant crystallis, si forma perfecta est, tetraëdro-prismaticis, cohaerentibus, pellucidis, duris, in pulverem terendis, albis, inodoris, saporisque subdulcis, arenosi. Non solvitur saccharum lactis alcohole et aethere: solubilis materia est 2½ partibus aquae fervidae et 5-6 aquae frigidae. Solutio, licet saturata, non facit syrupum. Coctione cum acido sulphurico mutatur in saccharum fructuum.

Ope acidi nitrici in acidum oxalicum et acidum mucosum convertitur. Kali caustico mutatur in materiam fuscam, amaram, alcohole insolubilem. Cum fermento aptum est ad fermentationem vinosam.

Absit color flavus, sapor rancidus, odor pinguis. Quod hos exhibet characteres saccharum lactis rubro colore tingit chartam exploratoriam et additis alcalibus effervescit. Haec indicant paratum esse saccharum lactis ex lacte acido. Salis culinaris, aluminis, nitratis oxyduli hydrargyri admixtiones dignoscuntur ope solutionis nitratis argentici acidi, carbonatis kalici et acido-hydrosulphurico. Adulterationem sacchari ope factam manifestam reddunt solubilitas in aqua et sapor dulcior solutionis.

## MAMMALIA BISULCA.

---

### ELAPHI.

#### MOSCHUS MOSCHIFERUS L.

#### *MOSCHUS ORIENTALIS, TIBETANUS,* SEU *OPTIMUS.*

Folliculus, quo continetur Moschus officinalis, animalis masculini ventri, infra umbilicum et genitalia insidens, siccatus venalis prostat. Vesicula sit orbicularis aut vix ovalis, turgida, ovi columbini vel gallinacci minoris magnitudinem aequans; facie, qua ventri adhaesit, planiusculâ, coriacea, rugosa, nuda, sine ullo foramine aut sutura; facie altera convexa, pilis obsessa, foraminulis duobus naturalibus praedita, quorum alterum orificium praepatii constituit, alterum ad folliculi interiora tendit. Pili sint rigidi, fistulosi, adpressi, rariores, brunnei vel flavescen-tes; laterales crassiores, plerumque quasi abrasi vel obsoleti; medium occupantes tenuiores, magis colorati, quorum nonnulli penicilli adinstar collecti, urethrae orificium indicant, dum pauci, quasi reflexi, foraminulum

alterum intrant. Foramina haec medium fere axeos longitudinalis punctum teneant.

Folliculi examen et moschi extractio promovetur, si per aliquod tempus vesicula cingitur charta bibula madefacta. Hoc pacto cutis exterior, ex tribus stratis composita, facilius aufertur, relicta membrana mucosa tenerrima, moschum includente. Hac intactâ, minor fit moschi cum pilis inquinatio, etiamsi semper pili tenerrimi intermixti appareant. Pili foramini alteri interne adstantes jam facile conspiciuntur. Urethra tumefacta apparet.

Jam diffracta membrannâ interiore conspicitur materies subunctuosa, mollis, obscure fusca vel nigricans, ex glebis variae formae et magnitudinis constans, in contextum cellularem deposita; si massa siccior fuerit, punctis scatet albidis. Microscopio adhibito conspicitur structura granulosa, neutiquam fibrosa.

Substantia haec, a pilis membranulisque quantumpote liberata, est Moschus officinalis, odore peculiari perquam penetrante, vix delendo et vel ex minimis particulis emanante insignis. Recens odor subammoniacalis, postea aëre accedente fit purior, gratior. Sapor sit amaricans.

Infusum cum aqua frigida paratum saporem habet amarum, salinum, pungentem, et praeter sales ammoniacales, kalicos, calcicos, principia odorifera, continet materiam fuscam, acidi debilioris vices gerentem.

Evaporatione ista substantia praeceptis datur; additâ vero ammoniâ vel kali iterum solvitur. Aqua fervida maximam moschi partem (fere  $\frac{3}{4}$ ) solvit, dum amonionio addito caustico tantum 6-10 partes centesimae remanent. Alcohol partem quartam vel paululum plus solvere valet. In solutione aquosa chloretum hydrargyricum nihil praecipitet, nec etiam tinctura gallarum et acetas plumbicus, acida vero copiosam floccosamque materiem praecipitent. Acidum nitricum maxime hoc efficit, ita ut liquor fere totus decoloretur. Igni expositus moschus primo odorem spargit

fortem, subliquescit, deinde intumescit, odorem empyreumaticum refert, carbonemque relinquit porosum, splendentem, quo combusto remaneant cineres griseo-albi, 5 vel 6 partes centesimas vix superantes.

Affertur ex Sina, Tonkin, Tibet.

Moschus integer est servandus plumbo foliato involutus et in vase vitreo accuratissime clauso. Eodem modo servetur pulvis.

Pulvis moschi, qui sine vesicis venundatur, saepissime est adulteratus sanguine siccato, turfatum pulvere, caet. Priori in casu carbonem relinquit magis metallicò-splendentem, cineresque sunt rubescentes aut flavi.

Porro e solutione aquosa frigida, deinde calefactâ albumen majore copia, quam in moscho genuino, praecipitatur; si deinde massa reliqua acido acetico digeritur et huic liquori carbonas ammoniacae additur, praecipitatur fibrina et albumina coagulata, quae erant solutae.

In posteriore casu, turfa, nisi ad aspectu microscopico jam appareat, detegitur si massa digeritur cum aqua, alcoholice et ammoniacâ dilutâ, quo facto restat materia humosa, quae potassae concentratae tradit acidum humicum et ulmicum. Si huic lixivio addideris acidum hydrochloricum, praecipitantur sub forma floccorum colorem fuscum habentium.

Adulterationem cum granulis ferreis, plumbeis, caet. auguramur ex eo, quod pondus sit, ratione habita voluminis folliculi, justo majus, quodque vel adsit sutura artificialis vel foramen naturale sit dilatatum. Aperta vesiculâ, fraudem facile detegimus.

Altera moschi species, quae apud nos venalis prostat et a medicis adhibetur, est: Moschus cabardinicus, cabardinus, rossicus, muscoviticus seu sibiricus, qui maxime affertur e Russia et Anglia. A Tibetano optimo differt eo, quod folliculi sint plerumque majores, oblongi, magis compressi, nonnumquam parte cutis

ventris animalis adhaerente, foramen urethrae et alterum naturale magis versus urethrae ortum collocatum, ita ut centrum minime occupent. Pili longiores, nunc integri, nunc rasi mutilative, minus appressi, densiores, albo-cinerei, ad urethram vero flavo-fusci aut rubescentes. Materies intus contenta glebis majoribus, facile a semet invicem separandis constat, cito exsiccat evaditque mox pulverulenta, laetus flavo-fusca, odoris debilioris, non tam grati, suburinosi, non adeo castoreo absimilis.

Eodem modo servanda haec species, quo prior. Adulterari videtur eadem ratione, qua species altera.

Cave ne confundas species moschi jam descriptas cum Moscho Bucharico, Bengalensi, Sinensi, Wampo-moscho dicto, aliisque, qui notis bonitatis genuinorum folliculorum carent.

Bucharicus prostat sub forma folliculorum minorum, fere orbicularium, ad faciem superiorem, aequae ac inferiorem convexorum, pilis flavo-rubellis, rarioribus. Odor est valde debilis. Bengalenses folliculi sunt majores, orbiculares, vel etiam oblongi, pilis densioribus, pallidioribus, cinereo-flavescentibus. Wampo-moschus affertur in folliculis male confectis, suturis valde conspicuis; cuticula pilis obsessa videtur esse desumpta a Moschi quadam specie, sed desideratur foramen characteristicum, aequae ac pilorum penicillus. Odor est moscho-ammoniacalis. Sunt folliculi majores et minores, quorum ultimi sapissime includuntur charta bibula Sinenses literas inscriptas habente.

Moschi species viliores et adulteratae mucore tegi solent, si aëri humido sunt expositae, tum etiam foetent. Folliculo aperto saepissime tota massa interna, glebae instar, facile separatur vel excidit.

Abstineas a folliculis valde induratis et foramine dilatato, marginem callosum habente, praeditis, qui non nisi pauxillum moschi genuini continent. Verosimillimum est ejusmodi folliculos morbo sic fuisse vitiatos.

## MAMMALIA. GLIRES.

## CASTORINA.

## CASTOR FIBER L.

*CASTOREUM SIBIRICUM* SEU *RUSSICUM*,  
*MUSCOVITICUM*.

Sunt folliculi duo, quibus continetur materia medicata, inter animalis anum et genitalia positi. Inveniuntur tam in femellis, quam in maribus. Differunt vulgo duo ejusdem animalis folliculi volumine. Sint omnino ovato-pyriformes, parum compressi, basi rotundatâ, magnitudine ovi gallinacei; obscure-fusci, nigrescentes, turgidi, solidi, fere glabri, ponderosi, reliquiis plerumque folliculorum adiposorum, qui axungiam castorei continent, ornati. Involucrum cutaneum crassiusculum quatuor constet membranis, quarum intima constituit telam interiorem, ex qua formatae cavernulae sive cellulae castoreum ipsum includunt.

Materies intus haerens sit intertexta membranulis, in parte media plerumque cavitatem irregularem quamdam exhibens. Color sit flavus vel fuscus, plus minusve opacus; odor peculiaris, maxime penetrans; inateries subresinosa; partes magis solidae splendorem cerae exhibeant; sapor acer, amariusculus, ingratus, diu inhaerens.

Aquâ solubiles partes paucissimas continet castoreum, ita ut infusum colorem habeat pallide fuscum, refrigerio non turbatum. Alcohole ad minimum 60 partes centesimae solubiles adsint necesse est.

Castoreum cum aqua destillatum et cohobatum oleum

praebet aethereum, odore praeditum castorino, alcohole facile solubile. Tinctura alcoholica calide parata refrigerando cholestearinum praebet, quo filtri ope ablato, liquoris concentratione Castorina crystallina acquiritur, et quidem ex specie optima ad 2,5 p. c. Soluta vero manet resina sui generis (resinoidum castorei Brandes), quae evaporatione ulteriore colligi potest. Est haec resina obscure fusca, fere nigra, friabilis, aëre non mutanda; facile funditur et inflammatur; non solvitur in aqua frigida, nec in aethere puro; solvitur alcohole et acido acetico. Ex his solutionibus praecipitatur ope aquae. Alcalia eam facile solvunt, colore rubro.

Aliquando deficere videtur textura interior membranacea, sed his in casibus adest plerumque annulus subluteus ad cutem exteriorem.

Castoreum est servandum in vasculis bene clausis luminisque radiis haud expositis.

Venalia quoque prostant, quibuscum non est confundenda species optima et genuina, Castoreum Canadense, Anglicum, seu Americanum et Polonicum, Bavaricumque. Singulae hae species minoris pretii sunt; Bavaricum autem saepius videtur esse melioris notae. Dignoscitur prior species eo, quod folliculi sint minores, oblongiores, basi non adeo rotundati, minus turgidi, majori rugarum vel plicarum numero notati; deficientibus plerumque folliculorum adiposorum reliquiis, cute tenuiore. Materia ipsa est magis fusca, saepius magis fragilis et splendens; odor castorinus quidem, sed multo debilior; sapor plerumque magis amarus.

Polonicum vix caractere constanti a Russico differre videtur, nisi volumine in universum majore.

Bavaricum prostat folliculis oblongis, plenis, ponderosis, magnitudine Russicos superantibus; odor omnino castorinus.

Venundantur quoque folliculi factitii, ex materie resinosa vesica obvoluta parati, qui virtutes memoratas non exhibent.



## CARBO ANIMALIS.

*CARBO OSSIUM, OSSA USTA NIGRA.**EBUR SIVE CORNU CERVI USTUM.*

Obtinetur carbo animalis ope destillationis siccae ossium, cornuum seu eboris in vasis ferreis, et in diversis officinis methodo varia praeparatur. Pulvis est nigerrimus, aut corporum, e quibus obtinebatur, exhibet formam. Iisdem, quibus carbo vegetabilis, praeditus est proprietatibus, sed hunc in odore tollendo et decolorandis liquoribus superat. Praeterea diversos corporum animalium sales integros aut partim decompositos continet, quorum carbonas et phosphas natricus, tum etiam sulphuretum natrii ope aquae, phosphas calcicus basicus, carbonas calcicus, phosphas magneticus et oxyda ferrosus et manganosus ope acidi hydrochlorici vel nitrici extrahuntur. Acido hydrochlorico admixto, carbo animalis vulgaris effervescit, et praeter acidum carbonicum plerumque etiam acidum hydrosulphuricum expellit.

Sit nigerrimi coloris, indicatos sales contineat, et in aqua coctus huic nullum tribuat colorem. Multas materies ex infusionibus plantarum separat, et ubi solutiones ferri, plumbi, cupri aliorumque metallorum, quae cum cyano-genio insolubilia formant connubia, cum eo digeruntur, isti sales dissolvuntur et liquores a metallis purgantur. Carbo, qui e Spongia officinali L. obtinetur, continet iodium, dum carbo e sanguine praeparatus omnes alias carbonis animalis species praecipuis notis superat.

---

---

## II. PRAEPARATIONES CHYMICAE.

### A. CORPORA ANORGANICA.

#### I. ELEMENTA.

##### a. METALLOIDEA.

~~~~~

SULPHUR DEPURATUM. S.

SULPHUR DEPURATUM LOTUM.

SULPHUR LOTUM. FLORES SULPHURIS PURI.

FLORES SULPHURIS LOTI.

R. Sulphuris sublimati, quantum velis.

Fac terendo cum minori aquae copia pulvem aequabilem; deinde cum majori aquae copia dilue et tamdiu lava, donec nullum acidi signum praebat. Purgando a sordibus, in aqua subsidentibus, liberetur pulvis. Collige in linteo, supra tenaculum expanso, deinde prelo subjice et bene sicca; per cribrum trajectus, in vase clauso usui servetur.

Flores sulphuris puri dotes et criteria habent ante descripta, sed colorem exhibent paulo leviolem. Praterea

nota puritatis haec sit, quod cum laccae tinctoriae infuso diluto triti, hunc in rubrum non mutant; nec cum aqua destillata fervida colaturam praebeant, quae chloreti barytici ope praecipitatum format, quod acido hydrochlorico puro insolubile est.

Caeterum hujus sulphuris puritas indagetur eodem modo, quo Sulphuris venalis, uti pag. 2 indicatum est.

SULPHUR PRAECIPITATUM. S.

LAC SULPHURIS. MAGISTERIUM SULPHURIS.

R. Solutionis hydratis kalici, quantum velis.

Ferveat in vase ferreo vel, quod praestat, vitreo ad hunc finem apto. Per vices adde

Sulphuris depurati, quantum a liquore solvi poterit.

Dilue cum aquae calidae partibus tribus et per viginti quatuor horas, in vase clauso, sepone. Decanta et filtra. Cautè solutioni limpidae instilla

Acidi sulphurici diluti, quantum sufficit

ad omne sulphur praeceptis faciendum.

Praecipitatum collige et aqua calida ablue, donec haec insipida et inodora transeat. Denique sicca loco temperato, et vase bene clauso serva.

Est pulvis subtilissimus, ex flavo albidus, levis, inodorus. Madefactum lac sulphuris, iodio addito, colorem

violaceum non contrahat. Aquae nil solvendum praebeat. Accensum totum comburatur, et nullum residuum relinquat, caeterasque ostendat sulphuris proprietates, ante jam indicatas.

PHOSPHORUS DEPURATUS. P.

R. Phosphori venalis, quantum lubet.

Immitte in sacculum ex corio caprino factum vel linteum texturae densioris sub aqua frigida. Haec sensim calefiat, ita ut phosphorus fluidus per saccum, ope forficularum ferrearum vel duarum spatularum leni pressione pellatur. Phosphorum hac ratione collectum et sub aqua penitus fusum finge in modulis vitreis, ita ut fiant cylindri diametri vulgaris.

Phosphorum sic depuratum serva sub aqua destillata, in vase bene clauso et loco obscuro, vel in vitro nigro.

Hoc artificio auferuntur inquinamenta non chymico sed mechanico, ut dicunt, modo admixta, non autem arsenicum, quod nonnumquam in phosphoro invenitur. Itaque oportet indagare, an arsenicum adsit, antequam phosphoro venali utamur ad formandum phosphorum depuratum. Hunc in finem phosphorum solve in parva acidi nitrici diluti copia, et trans mitte per hanc solutionem gas hydrosulphuricum magnâ copiâ. Jam in lagenula clausa quieti detur per viginti ad triginta horas, et observetur utrum sedimentum flavum deponatur, quod exploretur ope ammoniae liquidae aut calefactione cum pulvere carbonis et carbonate natrico anhydro in parvo tubo vitreo, ut sic constet, num revera sulphidum arsenici fuerit. Eadem quoque methodo uti possumus, quam pro sulphure indicavimus, apparatus Marshii ope instituenda.

Characteres generales hujus materiae ejusque conservandae modum videas in articulo de Phosphoro venali (p. 3).

CARBO LIGNI.

R. Ligni cujusdam levioris, quantum vis.

Immitte in crucibulum Hassiacum tectum, quod inter carbones ponatur candentes, donec omnia principia volatilia sint expulsa.

Crucibulum ab igne remotum refrigescat, et carbones refrigerati, in pulverem redacti, per cribrum subtile transmittantur.

Servetur pulvis in lagenae vitreae, bene clausae.

Sit pulvis niger, levis; igne consumatur, ita ut nihil praeter cineres remaneat.

Aqua ebulliente nihil ex illo solvatur, nisi parva cinerum copia; sit itaque aqua carbonibus admixta nec acida, nec valde alcalina, tum etiam plane decolor.

Si acido nitrico oxydatur carbo, nullius metalli vestigia monstret, nisi exiguae ferri portionis, quae eo detegitur, quod acidum hydrosulphuricum album, ammonia et sulpho-hydras ammoniacus viridi-nigrum praecipitatum in solutione cinerum nitrica producant.

b. METALLA.

FERRUM PULVERISATUM. F.

LIMATURA FERRI.

LIMATURA MARTIS.

R. Limaturae ferri subtilioris, limae ope paratae, non oxydatae, nec materiis alienis inquinatae, quantum sufficit.

Tere in mortario ferreo, donec in pulverem subtilissimum sit conversa, qui per cribrum transmissus lagena bene clausa servetur.

Sit pulvis niger, qui plane a magnete attrahitur, subtilissimus, in aqua subsidens, in hac plane insolubilis, in acido sulphurico diluto autem, sub hydrogenii evolutione, solubilis. Solutio haec, recens parata, cum alcali caustico praecipitatum album, coerulescens et deinde fuscenscens, et cum cyaneto kalico-ferrico praecipitatum coeruleum producat; acido hydrosulphurico autem colorem non mutet.

Si ferrum pulverisatum acido nitrico solvatur et solutio haec ammonia liquida praecipitetur, in liquore a sedimento liberato, non coeruleo vel coerulescente, nihil remaneat, nisi nitras ammonicus, qui igne admoto expellitur.

Adulterationem cum pulvere carbonis adesse constat, si ultimo loco indicata solutio, nitratem ammonicum continens, fusco colore apocrenatis ammonici remanet.

Ab aliis corporibus nigris dignoscitur notis in articulo de Oxydo ferroso memorandis.

ZINCUM DEPURATUM. ZN.

R. Zinci destillati, quantum sufficit.

Immitte in mortarium ferreum, ad gradum 200° C. calefactum, et tere in pulverem subtilissimum, qui per cribrum tenue transmittatur.

Servetur in lagena bene clausa.

Sit pulvis subtilissimus, in aqua subsidens, coloris grisei, splendoris metallici. Aquae nihil cedat; sit autem, sub hydrogenii evolutione, plane solubilis in acido hydrochlorico diluto. Solutio haec albo colore praecipitetur a carbonate kalico, itidem a kali caustico, ita tamen ut majori portione hujus alcali iterum solvatur.

Acidum hydrosulphuricum nullum in solutione hydrochlorica producat praecipitatum nec coloris mutationem; ammonia vero et sulpho-hydras ammonicus album sulphureti zinci, quod in acido acetico sit solubile.

Cyaneto ferroso-kalico solutio zinci albo colore praecipitetur.

ZINCUM PURUM. ZN.

R. Zinci vulgaris in pulverem redacti,
Nitri vulgaris pulverisati, utriusque partes aequales.

Misceantur et in crucibulo Hassiaco tecto igni admoveantur. Deflagratione peracta auferatur massa refrigerata, regulus bene lavetur et in usum servetur.

Si parvam partem ferri excipias, ejusmodi zincum purissimum est et optimum sistit metallum ad expellendum hydrogenium arsenicale, quod e materiis acidum

arsenicisum continentibus ope zinci et acidi sulphurici diluti evolvitur.

Instructum est proprietatibus zinci jam allatis.

STANNUM PULVERISATUM. SN.

R. Stanni Malaccensis, quantum sufficit.

Funde in crucibulo terreo et fusum effunde in thecam ligneam, intus creta obductam et operculo ligneo claudendam. Agitando thecam divide metallum in particulas minores hasque solidas redditas et refrigeratas per cribrum trans mitte subtilissimum.

Pulverem abluere primum acido acetico diluto, deinde aqua destillata, tum vero loco tepido sicca.

Sit pulvis metallicus, coloris albi, in aqua subsidens. Igne facile funditur et aëre accedente mutatur in oxydum stannicum album, odorem alliaceum non spargens. Acido hydrochlorico solvitur, quae solutio limpida et rite parata hydrargyrum e plurimis salibus hujus metalli separat. Cum acido nitrico calefactus mutetur in pulverem album, ita tamen ut acidum fere nihil solvat, sed ipsum, separato pulvere, evaporatione fere plane dispareat.

Acidum nitricum, ab oxydo stannico separatum, nullum praecipitatum neque cum acido hydrosulphurico, neque cum ammonia et sulpho-hydrate ammonico producat.

Si oxydum stanni ab acido nitrico rite liberatum digeritur cum acidi tartarici solutione aquosa, acidum hydrosulphuricum praecipitatum aurantiacum in liquore filtrato non producat.

STIBIUM DEPURATUM. SB.

STIBIUM METALLICUM.

REGULUS ANTIMONII DEPURATUS.

- R. Stibii venalis partes sedecim ,
 Sulphidi hypostibiosi venalis partem unam ,
 Carbonatis natrici sicci partes duas.

Terantur seorsim in pulverem , misceantur et in crucibulo Hassiaco per horam calori admoveantur , ut bene fundatur massa. Hac deinde refrigerata , scoriae a regulo separentur , et hic iterum fundatur in simili crucibulo cum una parte carbonatis natrici sicci per horae spatium. Post refrigerium scoriae denuo formatae auferantur , et regulus tertia vice cum una parte carbonatis natrici fundatur.

Peracta tertia fusione , regulus bene lavetur aquâ et servetur.

Metallum exhibet splendens , album , fragile , pondere specifico 6,7. Admoto calore funditur et vaporibus albis tegitur inodoris. Si fusum et bene calens parva portione cadit in superficiem planam , dividitur in multos globulos resilientes , qui vapores albos emittunt. Metallum aqua regia solutum praecipitatur admixto gas hydrosulphurico , et tunc colorem aurantiacum exhibet. Acido nitrico in oxydum album aut acidum stibiosum mutatur ; posterius in solutione nitrica fere prorsus insolubile manet , prius autem in solutione aquosa acidi tartarici optime solvitur.

Si arsenico inquinatum est metallum , odorem alliaceum spargit , simulac parva ejus portio per flammam lampadis , tubo ferruminatorio afflatam , calefit. Arsenicum porro detegitur acido hydrosulphurico et nitrate argentario in

solutione acidi nitrici, ammoniâ neutra facta, in qua stibium non est solubile, arsenicum vero solubile. Si plumbo inquinatum est, solutio ejus in acido nitrico filtrata et kali caustico fere saturata, cum acido sulphurico album producit praecipitatum; si cuprum immixtum est, solutio illa cum ammoniae majori copiâ colore coeruleo tingitur.

In usum pharmaceuticum autem omne metallum impurum improbandum est.

2. CORPORA COMPOSITA.

a. OXYDA.

AQUA DEPURATA.

H₂O.

AQUA DESTILLATA.

R. Aquae pluviae, quantum sufficit.

Hujus destillatio ad congruum caloris gradum continetur, donec omnis fere elevata fuerit in vapores, sic colligendos et admoto frigore condensandos, ut nihil alieni admisceri possit, et ea simul adhibita cautione, ut prima aquae collectae portio, qualis respondeat parti octavae aquae pluviae in usum vocatae, rejiciatur.

In usum pharmaceuticum aqua sic depurata penitus neutra sit, limpida, decolor, nullius odoris aut saporis, post evaporationem nihil relinquens; porro nec acidis, nec alcalibus, nec acido hydro-sulphurico, aut sulpho-hydrate

ammonico, nec acetate plumbico neutro, chloreto barytico, nitrate argentico, oxalate ammonico, phosphate natrico aut praecipitationem quamdam subeat, aut coloris mutationem experiatur.

Ad solvendum acetatem plumbicum basicum aliaque corpora, quae cum acido carbonico affinitatem possident, aqua supra calcem destillanda est, ut omne acidum carbonicum separetur. Coctione diu protracta ipse etiam aër ex illa expelli potest. Si aqua pluvia ammoniam continet, quod saepe accidit, ab hac ubi nocere possit, liberanda est destillatione cum pauxillo acidi sulphurici.

HYDRAS KALICUS.

KO, H₂O.

POTASSA FUSA. KALI CAUSTICUM.

LAPIS CAUSTICUS.

R. Cremoris tartari, quantum sufficit.

Combure in crucibulo ferreo, donec omnia corpora volatilia sint expulsa. Refrigerata materies nigra aqua lavetur, transmittatur per filtrum, deinde liquor coquatur in vase ferreo nitido cum sufficiente calcis vivae copia, donec acidum, liquori filtrato additum, effervescentiam non amplius producat.

Vase ab igne remoto et sedimento posito, infunde liquorem limpidum in lagenas bene claudendas et replendas. Ablue aquâ carbonatem calcicum superstitem, iterumque sepone et effunde liquorem limpidum in aliam lagenam illumque ad alios usus serva. Post viginti quatuor horas

effunde priorem in vas ferreum nitidum, aut si adest, in vas argentum, et continua ebullitione evapora ad siccitatem. Calorem tum adeo auge, ut massa fundatur eamque fusam effunde in modulos cupreos aut ferreos, ut obtineantur cylindri, qui in vase rite clauso usui servantur.

Est massa alba, caustica, alcalina, fractura crystallina, aquam et acidum carbonicum ex atmosphaera facillime attrahens, aqua solubilis et sub solutione calorem evolvens.

Dignoscitur kali a natro, quocum plurimis notis convenit, eo quod kali solutio non nimis diluta cum acidi tartarici superflua portione praecipitatum crystallinum producat, et cum acido nitrico saturata, a chlorido platinumico praecipitationem flavam experiatur.

Sit aqua plane solubilis, etiam spiritu vini. Solutio aquosa concentrata cum acidis vix effervescat; diluta, per acidum nitricum acida reddita, vix praecipitatum producat addito chlorcto barytico, aut nitrate argentario.

Solutio aquosa nec acido sulphurico, nec acido oxalico, nec sulpho-hydrate ammonico praecipitatum aut coloris aliquam mutationem subcat.

In vase ferreo parata semper particulam ferri continet, quod tamen pro usu pharmaceutico non nocet.

SOLUTIO HYDRATIS KALICI.

POTASSA LIQUIDA.

LIQUOR KALI CAUSTICI.

R. Hydratis kalici et aquae, quantum sufficit;


solve. Aut R. solutionis cujusvis hydratis kalici, quantum vis;

eique adde tantam aquae aut hydratis kalici copiam, quanta opus est, ut densitatem acquirat 1,334.

Est liquor limpidus, proprietatibus solutionis hydratis kalici praeditus. Hujus igitur characteres et dotes referat.

AMMONIA LIQUIDA.

GAS AMMONIACUM AQUA SOLUTUM.



- R. Chloreti Ammonici in pulverem redacti partes
 quinque,
 Calcis vivae pulverisatae partes quatuor.

Calci insperge tantillum aquae.

Intime misceantur secum invicem in cucurbita vitrea, balneo arenae imposita. Cum cucurbita jungatur apparatus Woulfianus, ex tribus aut quatuor lagenis constans, quarum prior lactis calcis parvam copiam, reliquae ad duas tertias altitudinis suae partes, aquae destillatae partes octo contineant. Aqua frigida circumdentur lagenae et instruatur ignis sub cucurbita.

Gas evolutum in priori lagena lavatum ducatur ita in aquam, ut solutio hujus gas obtineatur.

Sit liquor limpidus, decolor, odoris fortis penetrantis, plane volatilissimus, alcalinus, qui in atmosphaera, gas acidum hydrochloricum aut acidi acetici vapores continente, vapores densos albos format. Densitatem habeat 0,965; si itaque fortior acquiratur, aqua destillata diluatur.

Phosphatis magnesici solutio album, chloridi platinici flavum praecipitatum in illo producit.

Post evaporationem nihil remaneat, neque sulphohydras ammonicus, neque chloretum baryticum, neque

si acido nitrico antea saturatus sit, nitras argenticus praecipitatum in illo producant. Cum acidis non effervescat, neque odore empyreumatico inquinatus sit.

OXYDUM CALCICUM PURUM.

Ca O.

CALCIUM OXYDATUM. CALCARIA CAUSTICA.
CALCARIA USTA.

CALX VIVA. TERRA CALCAREA.

R. Marmoris albi contusi, quantum lubet.

Leviter aqua humectatus igni intenso in crucibulo aperto admoveatur, donec omne acidum carbonicum esse expulsum appareat. Hac de re constat, cessione evolutione gas sub forma bullarum; et accuratius acidi carbonici absentia indicatur instillando in partem pulveris e crucibulo desumpti et refrigerati paululum acidi acetici, quo quippe nulla moveri debeat effervescentia. Mox immittatur in vas optime claudendum usuique servetur.

Est pulvis albus, mollis, aequabilis. Cum acidis non effervescat. Acido hydrochlorico, nec non aqua perfectè solubilis. (Cf. Calx venalis).

SOLUTIO HYDRATIS CALCICI.

AQUA CALCIS.

R. Oxydi calcici puri recentis partem unam,
Aquae frigidae, pluvialis, partes triginta.

Aqua calci sensim, sub continua agitatione, admisceatur, ita ut primo hydras calcicus fiat, qui dein solvitur.

Post quadraginta octo horarum moram et concussionem repetitam, in lagena clausa sedimentum ponatur et fiat decantatio.

Servetur liquor decantatus in lagena bene clausa.

Decantata aqua calcis est limpida, decolor, subcaustica, chartam curcumaceam fusco tingens colore. Cum acidis nullam monstret effervescentiam. Aëri exposita cito pelliculâ tegitur ex acido carbonico attracto. Cum carbonatibus alcalinis mox turba oriatur, orto carbonate calcico insolubili. Cum solutione chloreti hydrargyrici praecipitatum det largum, acidum oxalicum in aqua calcis valde dilutâ mox nebulam excitet.

Maxime cavendum, ne servetur in lagena male clausa vel tantum pro minori parte repleta. Ita enim vis pro parte perit ob praecipitatum carbonatem calcicum.

Si loco oxydi calcici puri adhibetur calx venalis, hydratis kalici aliquantulum solutum adesse potest. Hoc in casu prima solutio est rejicienda ut hydratem kalicum continens, (Aqua calcis prima seu potassata Pharm. nonnullarum); altera vero est servanda.

OXYDUM MAGNESICUM.

Mg O.

MAGNESIA USTA.

MAGNESIA CALCINATA.

R. Carbonatis et hydratis magnesi, quantum sufficit.

Immitte in crucibulum Hassiacum, quod tegatur et carbonibus ardentibus imponatur. Ignem instrue fortem, illumque tamdiu sustine, donec motus a gas acido carbonico erumpente in superficie apparens cessaverit.

Crucibulum ex igne tolle et massam adhuc calidam in vas vitreum calefactum rite claudendum transfer.

Sit pulvis levissimus, albus, temperaturam aëris vulgari in 5000 circiter partibus aquae solubilis, hanc tamen alcalinam reddens. Aqua commixtus acido hydrochlorico plane solvatur, nec vero effervescentia conspicua fiat. Solutio haec neque chloreto barytico, neque ammonia et oxalate ammonico, neque sulpho-hydrate ammonico praecipitatum aut coloris mutationem experiatur. Praecipitetur vero plane e solutione ope phosphatis ammonici et ammoniae liquidae.

OXYDUM FERROSUM.

FE O.

FERRUM OXYDULATUM.

AETHYOPS MARTIALIS.

R. Limaturae ferri puri, quantum vis.

Immitte in crucibulum Hassiacum.

Insperge tantillum aquae et crucibulum inter carbones candentes pone. Agites metallum et interdum novam sed parvam portionem aquae injicias.

Postquam hydrogenii evolutio cessaverit, crucibulum ex igne aufer et refrigerio committe. Pulvis niger in mortario ferreo teratur, per cribrum ducatur et lagena clausa servetur.

Sit pulvis subtilis, niger, aqua insolubilis, acidis dilutis solubilis sine evolutione hydrogenii aliusve vaporis.

Aqua hydrosulphurata ex illius solutione hydrochlorica ferrum non praecipitat, ammonia vero et sulpho-hydras ammonicus viridi-nigrum praecipitatum sulphureti ferrici producunt. Cyanetum ferroso-kalicum praecipitatum al-

bum, plus minusve coerulescens ab immixto oxydo ferrico, cyanetum ferrico - kalicum praecipitatum coeruleum producut.

Ab infuso gallarum solutio hydrochlorica vix praecipitetur.

Dignoscitur a sulphureto hydrargyrico, quod ignis vi in vapores elevari non possit; a peroxydo manganico, quod cum acido hydrochlorico chlorium non producat; a pulvere carbonis, densitate sua et pondere; a plurimis sulphuretis metallicis nigris, quod solutione in acido nitrico acidum sulphuricum non formet; ab arsenieto cobalti, quod ferro candenti inspersum odorem alliaceum non producat et reliquas arsenici proprietates non exhibeat.

HYDRAS BI-FERRICUS



FERRUM OXYDATUM HYDRATUM.

FERRUM OXYDATUM FUSCUM.

CROCUS MARTIS.

R. Limaturae ferri puri, quantum sufficit.

Solve in

Acido hydrochlorico

ope caloris et interdum infunde guttulas aliquot

Acidi nitrici

donec vapores nitrosi non amplius appareant. Evapora acidum excedens, aqua dilue et filtra.

In illam solutionem instilla

Ammoniam liquidam

tam diu, quam diu praecipitatum fuscum formatur. Filtra et aqua ablue, donec nulla amplius chlreti vestigia appareant ope nitratis argentici.

Immittatur massa in vitrum bene claudendum eique adde eam aquae destillatae copiam, ut una pars oxydi ferrici siccii decem partibus aquae mixta sit.

Servetur et aqua fortasse evaporata restituatur.

Sit massa fusca, pultacea, acido hydrochlorico sine effervescentia solubilis, ex qua autem solutione per ammoniam liquidam in pristina sua forma separatur. Solutio hydrochlorica sulpho-hydrate ammonico et ammonia liquida praecipitatum nigrum, cyaneto kalico-ferroso praecipitatum coeruleum, infuso gallarum praecipitatum nigrum producit. Nulla ratione ammoniae aliusve alcali praesentiam monstret.

Quod minima etiam alcali cujusdam portione imbutum est oxydum ferricum hydratum, plane ineptum est arsenici antidotum.

OXYDUM ZINCICUM.

Z_N O.

ZINCUM OXYDATUM.

FLORES ZINCI.

R. Zinci puri, quantum sufficit.

Solve in

Acido sulphurico diluto

ad saturationem. Filtra liquorem eique adde sufficientem

Carbonatis kalici

portionem. Praecipitatum album carbonatis zincici filtro separa, aqua bene lava et in aëre sicca. Bene siccatum in crucibulo Hassiaco igni exponatur, donec pars exemta acidi hydrochlorici ope non amplius effervescat. Servetur lagena vitrea bene clausa.

Sit pulvis albus, levis, nullius odoris aut saporis, aqua insolubilis, igne flavescens, refrigerio autem iterum albescens, sine effervescencia plane solubilis acido nitrico, hydrochlorico, sulphurico, tum etiam ammonia liquida et potassa caustica, ex quibus solutionibus alcalinis sulpho-hydrate ammonico sub forma pulveris albi praecipitatur.

Neque aqua, neque spiritu vini sit solubilis, neque hisce menstruis aliquid cedat. Itaque aqua cum illo cocta, quocunque etiam reagente addito, nullum praecipitatum aut coloris mutationem monstret.

Solutio, e qua ope sulpho-hydratis ammonici omne zincum depositum est, a carbonatis kalici solutione non turbetur aut praecipitetur.

OXYDUM HYDRARGYRICUM.

Hg O.

HYDRARGYRUM OXYDATUM RUBRUM.

OXYDUM HYDRARGYRI RUBRUM.

MERCURIUS PRAECIPITATUS RUBER.

R. Hydrargyri, quantum vis.

Solve

Acidi nitrici puri

sufficiente copia, in cucurbita vitrea, ope caloris moderati,

donec acidum hydrochloricum, in parvam liquoris portionem instillatum, nullum praecipitatum producat. Hydrargyro soluto evapora liquorem acidum ac residuum calori ita expone, ope balnei arenae, ut omne acidum, colore gas nitrosi, expellatur et massa aurantiaca remaneat.


Massam illam, quae globulis metallicis non sit mixta, in pulverem subtilissimum tere et coque cum pauxillo kali caustici solutionis, ut auferantur ultimae particulae acidi nitrici.

Liquor, qui paululum alcalinus sit, decantetur et oxydum hydrargyricum rubrum aqua fervida abluatur, donec aqua ab illo pura effluat. Tum demum siccetur et servetur.

Est pulvis aurantiacus, splendens, inodorus, nullius saporis, aqua insolubilis. Calore decomponitur in oxygenium et hydrargyrum metallicum.

Igni intenso admotum nihil relinquat. Acido nitrico plane sit solubile et ex illa solutione neutra iodeto kalico colore rubro, abundante copiâ sulpho-hydratis ammonici colore nigro, kali caustico colore flavo, ammonia liquida colore albo, praecipitetur. Lamina cupri in illa solutione colorem argenteum accipit. Ubi calori admovetur, vapores rutilantes non emittat, et aqua cum eo ebulliens nihil ex eo solvat, et evaporata nullum salem relinquat.

OXYDUM STIBICUM.



ANTIMONIUM OXYDULATUM PURUM.

STIBIUM OXYDATUM. ANTIMONIUM OXYDATUM.

OXYDUM ANTIMONII.

PULVIS ALGAROTTI.

R. Chloreti stibici solutionis partem unam,
e qua omne acidum hydrosulphuricum expulsum est,

quae autem non multum acidi hydrochlorici liberi continet.
Effundatur in vas, quod continet

Aquae partes novem,

dum miscela strenue agitur. Quando liquoris superior pars a nova addita aqua non amplius turbida fit, depositus pulvis a liquore statim separetur, in manicam linteam immittatur, manibus prematur, et primo minori mox majori aquae copia bene abluatur. Porro in vase porcellanico cum aqua commisceatur, massa pultiformis digeratur, atque huic prudenter addatur

Solutionis carbonatis natrii puri concentratae,

donec liquor post digestionem, alcalinam notam leviter ostendit. Massa deinde in filtro aqua bene lavetur, porro siccetur et in vase clauso servetur.

Pulvis ponderosus est, albus, insipidus, neque actionis alcalinae neque acidae. In aqua fere non solvitur. Calore flavescit, hoc deinde ad rubedinem aucto funditur et refrigeratus massam albescentem, crystallinam, splendentem monstrat. Ope carbonis aut hydrogenii in metallum stibium facile reducitur. Ope sulphidi ammonici ita dissolvitur, ut colorem primo e flavo rubrum mox fuscum accipiat, dum pulveris pars solvitur. Acido hydrochlorico solvitur, quae solutio ope zinci, stanni, plumbi aut ferri pulverem stibii nigrum deponit, et ab addito acido hydro-sulphurico colore e fusco rubro turbatur.


Sit siccus; dum ab acido hydrochlorico solvitur, non effervescat, et cum solutione diluta hydratis kalici puri digestus minime praebeat liquorem, qui acido nitrico puro neuter factus ab additis guttulis nitratis argenticum turbatur. Caeterum ejus puritas eodem modo exploretur, quo de stibii metalli puritate constat.

Adhibeatur ad tartratem kalico-stibicum parandum.

b. OXY-ACIDA.



ACIDUM SULPHURICUM PURUM.

*OLEUM VITRIOLI PURUM.*

R. Acidi sulphurici Anglici dicti uncias quatuor.

Immitte in retortam vitream capacitatis unciarum sedecim, quae spiram platini fili contineat. Huic accommoda excipulum sine luto et destilla supra lampadem. Rejecta parte decima primum prodeunte, continua destillationem fere ad siccitatem.

Majores portiones igne ita destillentur, ut media pars fundi retortae igni non sit admota. Hunc in finem optime adhibetur conus ferreus truncatus, cavus. Retorta parti truncatae imposita et acido munita, carbonibus ardentibus circumdetur et destillatio eodem modo instituitur.

Sit liquor limpidus, decolor, oleosus, densitatis 1,85, causticus, acidus, nullius odoris. Aquae additione non turbetur; igni admotus vapores albos irritantes producat; post evaporationem nihil relinquat. Narcotinum eo solutum colorem rubrum non accipiat; gas acidum hydrosulphuricum per illum transmissum neque praecipitatum flavum neque nigrum aut fuscum producat.

Aqua dilutus et ammonia liquida saturatus sulphohydrate ammonico nec turbetur nec coloretur. Magna aquae portione dilutus cum nitrate argentario praecipitatum non exhibeat.

Acidum caeterum purum, sed a materiebus organicis tantummodo coloratum, caloris ope ad usum aptum reddi potest.

ACIDUM SULPHURICUM DILUTUM.

SPIRITUS VITRIOLI.

- R. Acidi sulphurici puri partem unam ,
Aquae destillatae partes quinque.


Infunde acidum per intervalla in aquam, interdum sedulo agitatam, vitro non crasso contentam.

Dignoscitur eo, quod aquâ barytica plane praecipitetur, et separato sulphate barytico nihil in aqua remaneat.

Caeterum instructum sit proprietatibus acidi sulphurici.

Sit densitatis 1,15 temp. 15° C.
puri.

ACIDUM NITRICUM.



- R. Nitri depurati et omni chloreto liberati partes centum,
Acidi sulphurici Anglici dicti partes nonaginta septem.

Nitro in retorta vitrea, quae in balneo arenae posita sit et excipulo refrigerato munita, sensim affunde acidum sulphuricum per tubum Welteri simplicem, tubulo retortae impositum. Ignem instrue et destilla acidum nitricum modico calore, donec nihil amplius transeat.

Servetur in lagenis bene clausis loco frigidus et obscuro.

Sit liquor fere decolor, vapores albos parumper coloratos in atmosphaera emittens, fortiter acidus, corrodens, den-

sitatis 1,521-1,48, temp. 15 C, (1) plane volatilis. Metalla plurima solvit et corpora organica multa decomponit et nonnullis colorem flavum tribuit.

Dignoscitur caeterum eo, quod sulphatem ferrosam, acido sulphurico mixtum, fusco colore tingat et narcotinum, acido sulphurico solutum, rubro colore induat.

Si in acido aquoso nitras argenticus praecipitatum album producit, quod in ammonia liquida est solubile, bromium aut chlorium continere potest; chlorium, quando praecipitatum facillime in ammonia solvitur. Chloretum baryticum acidum sulphuricum in eo indicat, si in acido nitrico multa aqua diluto praecipitatum album producit.

Neque haec contineat, neque actione acidi hydro-sulphurici, aut ammoniae et sulpho-hydratis ammoniaci praecipitatum monstret aut coloris mutationem patiatur.

Caeterum plane sit volatile.

ACIDUM NITRICUM DILUTUM.


R. Acidi nitrici,
Aquaë depuratae utriusque partes aequales.

Misceantur et servetur lagena probe clausa.

Sit liquor decolor, non fumans, acidus, qui iisdem caetereis characteribus praeditus sit, quibus acidum nitricum forte; densitatem habeat 1,370.

(1) Rarissime acidum prioris densitatis acquiritur; est autem tunc N_2O_5 , H_2O : acidum vero densitatis 1,48 est N_2O_5 , $2 H_2O$.

ACIDUM PHOSPHORICUM.



ACIDUM PHOSPHORI.

R. Acidi nitrici puri, quantum vis.

In cucurbita vitrea capaci, ad lenem ebullitionem usque calefacto, acido adde sensim et caute


Phosphori depurati

frustula minora, granum unum vel duo pondere non superantia, quot sufficiunt ad omne acidum nitricum decomponendum.

Liquor superstes leni calore evaporetur ad olei spissitudinem. Tunc illo aquae destillatae pondere diluatur, ut integri liquoris acidi pondus decuplo consumti phosphori ponderi respondeat. Sit ita pondus specificum 1,16.

Est fluidum omnino decolor, limpidum, saporis acidi irritantis. Nullas phosphori impuri adhibiti notas exhibeat. (Cf. Phosphorus depuratus). Digestione cum hydrargyro vel cum limatura cupri ne appareant vapores gas nitrosi. Aquae baryticae ope oritur phosphas baryticus, qui, additâ majore ammoniae copia, praecipitatum album exhibet e solutione hydrochloricâ. Evaporatum in patinâ e platino confecta praebeat massam solidam, informem, absque colore et odore, saporis valde acidi, irritantis, ex aëre aquam attrahentem.

ACIDUM BORICUM.



ACIDUM BORACICUM.

SAL SEDATIVUS HOMBERGII.

R. Biboratis natrici, in pulverem redacti, partem unam,

Solve in

Aquae depuratae ebullientis partibus tribus.

Solutioni colatae fervidae adde per vices, sub continua agitatione cum spatula porcellanea,

Acidi hydrochlorici, quantum sufficit,

ut liquor chartam probatoriam coeruleam prompte rubram reddat.

Sepone liquorem, ut refrigescat, et fiant crystalli squamosae.

Crystallos collectas tamdiu aqua destillata frigida in filtro abluere, quamdiu solutionis nitratis argentici ope chloretum natricum vel acidum hydrochloricum adesse appareat.

Repetita solutione et crystallisatione in crystallos nitidas majoresque hoc acidum cogatur. Siccentur denique crystalli in charta bibula.

Sunt crystalli squamosae, splendentes, albae, nitore sericeo; calore non sublimantur, sed si earum solutio aquosa evaporatur, pars acidi in vapores abit. Tubi ferumatorii ope intumescunt, funduntur et refrigeratae in globulos vitreos coeunt. Solvi possunt in aquae partibus viginti, ad caloris gradum 15° C., ebullientis vero tribus.

Alcoholis partibus quinque solvitur hoc acidum, quae solutio accensa comburitur flamma viridi. Solutio alcoholica chartam curcumâ tinctam fuscâ facit; chartam vero laccâ musicâ coloratam aliquantulum rubram reddit.

Habeat hoc acidum notas antea indicatas. Totum ab aqua solvatur. Solutio sit limpida, vix acidam actionem in chartam coeruleam probatoriam exsequatur, et nitratis argenti solutione non turbetur. Neque chloreti barytici solutione acidâ exhibeat praecipitatum sulphatis barytici, quod non raro accidit, si in praeparatione acidi borici adhibitum fuerit acidum sulphuricum loco hydrochlorici.

c. HYDRO-ACIDA.



ACIDUM HYDROSULPHURICUM AQUA
SOLUTUM.

H_2S AQUA SOLUTUM.

AQUA HYDROSULPHURATA. AQUA HYDROTHIONICA.

AQUA HEPATICA.

R. Sulphureti ferrici partem unam.

Immitte in lagenam Woulfianam tubo infundibuliformi et alio incurvato instructam.

Per tubum primum infunde

Aquae pluvialis partes quatuor,

et deinde per intervalla

Acidi sulphurici Anglici dicti partes duas.

Evolutum gas ducatur per tubum ineurvatum in lagenam capacitatis unciarum duarum, aqua depurata plane repleta. Si aqua gas aeido hydrosulphurico saturata est, alia apponatur lagenula, itidem aqua depurata repleta, et ita perge, donec gas non amplius evolvatur.

Lagenulae illae statim claudantur epistomiis suberinis, resina tegendis, et loeo frigido et obscuro serventur.

Sit liquor limpidus, odoris ovorum putridorum, proprietatibus aeidi debilioris praeditus. In aëre evaporatus gas acidum hydrosulphuricum exhalet, et post plenam evaporationem nihil remaneat.

Plumbum, euprum aliaque metalla e solutionibus acidis aut alcalinis praecipitat.

Aëre deecomponitur, ita ut sulphur praecipitetur.

Nec chloreto barytico, nec acido hydrochlorico, neque cyaneto kalico-ferroso praecipitatum aut coloris mutationem experiatur.

ACIDUM HYDROCHLORICUM.

Cl_2 H_2 AQUA SOLUTUM.

ACIDUM MURIATICUM.

SPIRITUS SALIS FUMANS.

R. Chlorete natriei partes duodecim.

Immitte in lagenam vitream, epistomio suberino, duabus aperturis praedito, elausam, tubo Welteri simplicei instructam et per tubum vitreum ineurvatum conjunctam cum lagena parva Woulfiana, quae aquae parvam copiam contineat, ita tamen ut tubi aperturam seeludat. Lagena illa alio tubo vitreo incurvato ita econjuncta sit eum lagena altera aperta,

Aquae destillatae partes decem continente,

ut tubi apertura aquae superficiem leviter tantum tangat.
In lagenam sic instructam, et in balneo arenae positam,
per intervalla infunde

Acidi sulphurici Anglici dicti partes duodecim.

Gas acidum hydrochloricum ita evolutum, et in lagena Woulfiana lavatum, absorbetur aqua, altera lagena contenta, quae lagena aqua frigida circumdanda, et interdum paulo inferius ponenda est, ne aucto liquoris volumine tubi apertura submergatur.

Si gas non amplius evolvitur, ignem instrue initio lenem, mox augendum, donec nihil amplius e retorta exeat.

Solutio gas in aqua servetur in lagena probe clausa, nomine acidi hydrochlorici.

Sit liquor decolor, densitatis 1,15 temp. 15° C., vapores abundantes albos, irritantes in aëre emittens, fortiter acidus.

Post evaporationem nihil relinquat. Aqua dilutus nec chloreto barytico, nec acido hydrosulphurico, nec ammonia et sulpho-hydrate ammonico praecipitetur, nitrate autem argentico praecipitatum album copiosum, ammonia solubile, acido nitrico insolubile, producat.

Rejiciatur acidum hydrochloricum coloratum.

ACIDUM HYDROCHLORICUM DILUTUM.

ACIDUM MURIATICUM DILUTUM.

R. Acidi hydrochlorici puri,
Aquaе destillatae,

utriusque quantum sufficit, ut acquiratur liquor, vapores albos in atmosphaera non emittens, densitatis 1,05.

Dignoscitur iisdem proprietatibus, quibus acidum fortius, excepta densitate.

ACIDUM CHLORO-NITROSUM.

ACIDUM NITROSO-MURIATICUM.

AQUA REGIA.

- R. Acidi nitrici partem unam,
Acidi hydrochlorici partes duas.

Misceantur in lagena, epistomio vitreo clausa et ser-
ventur loco obscuro et frigido.

Sit liquor coloris aurei, vapores nitrosos et chlorium
emittens, fortis, plane volatilis. Aurum et platinum
solvit. Habet caeterum proprietates chlorii et acidi nitrosi.
Naturam adeo volatilem habeat, ut post evaporationem
nihil relinquat. Aqua dilutus neque per chloretum
baryticum, neque per ammoniam et sulpho-hydratem am-
monicum praecipitatum aut coloris mutationem experiatur.

d. SULPHURETA.

~~~~~

## TRISULPHURETUM KALICUM.

KS<sub>3</sub>.

KALIUM TRISULPHURATUM. KALI SULPHURATUM.

SULPHURETUM KALII. SULPHURETUM POTASSAE.

*HEPAR SULPHURIS SALINUM.*

- R. Sulphuris depurati partes duas,  
Carbonatis kalici, e Tartrate kalico acido prae-  
parati et sicci, partes tres et dimidiam.

Misceantur et in vase vitreo, dimidiam partem impleto,

leni igne fundantur, donec massa non diutius intumescat, ubique homogenea appareat ac fluat. In vase clauso frigescat, et a vitro separata in lagena bene clausa servetur.

Habet colorem e fusco olivaceum, saporem acrem, alcalinum, sulphureum. Aquâ humectatum odorem acidi hydrosulphurici spargit. Aquâ facile solvitur colore intense flavo; solvitur etiam ab alcohole. Cum acidis dilutis commixtum gas hydrosulphuricum magna copia expellit, et lac sulphuris deponitur. Aquam et oxygenium ex aëre atmosphaerico attrahit, decomponitur et ejus color mutatur. Solutio acido sulphurico decomposita et a sulphure filtrationis ope separata ostendit notas salium kalicorum.

Additis acidis minime praebeat gas acidi sulphurosi vestigia.

Trisulphuretum kalicum pro usu externo v. c. pro balneo, praeparari potest e sulphure communi et carbonate kalico venali depurato, indicata ratione.

## SULPHURETUM CALCICUM.

Ca S.

SULPHURETUM CALCII. CALCARIA SULPHURATA.

SULPHURETUM CALCIS. CALCIUM

SULPHURATUM.

*HEPAR SULPHURIS CALCAREUM.*

R. Sulphatis calcici usti partes quatnor,  
Carbonis vegetabilis partem unam.

Subtilissimi pulveres strenue misceantur, in crucibulum Hassiacum aptum ingerantur et firmiter adigantur, quod

deinceps altero crucibulo et luto argillaceo optime claudendum est. Ignis lente admoveatur, et candeat crucibulum per horam unam, quod calidum aperiatur, ut colligatur pulvis, in lagenâ clausa servandus.

Pulvis est subalbus, vel leviter flavescens. Aqua humectatus in aëre odorem acidi hydrosulphurici mox spargit. Saporem habet causticum, ac sulphureum. In aqua non facile solvitur. Acidis decomponitur et gas hydrosulphuricum expellitur. In aëre atmosphaerico lente decomponitur, ita ut primum hyposulphis calcicus praecipue nascatur.

Partes carbonis in eo non reperiantur, et ope acidorum multum acidi hydrosulphurici, parum vero acidi carbonici expellatur. Pulvis coloris nigrescentis aut aëris vi decompositus rejiciatur.

## SULPHURETUM FERROSUM.

Fe S.

FERRUM SULPHURATUM. SULPHURETUM FERRI.

### *PYRITES FERRI ARTIFICIALIS.*

R. Sulphuris depurati partes duas,  
Ferri in pulverem redacti partes tres.

Accurate misceantur in crucibulo Hassiaco, quod clausum carbonibus ardentibus imponatur, ita ut quam citissime rubescat. Hoc facto, crucibulum ignis vi subtrahatur et refrigescat; mox aperiatur et collecta frustula servantur in lagenâ clausa.

Massa nigrescentis coloris est, et facillime in pulverem redigi potest; non nisi validissimo calore funditur. A magnete attrahitur. In aëre humido lente dissolvitur, et



sulphas ferroso-ferricus nascitur. Aquâ non solvitur. Cum acido sulphurico diluto commixtum expellit gas acidi hydrosulphurici.

Optimae notae est sulphuretum ferrosium, ubi acido sulphurico diluto ac calido penitus solvitur, sulphur non deponitur, et expulsum gas hydrosulphuricum a solutione hydratis kalici fere omne absorbetur, ita ut non nisi parva hydrogenii pars relinquatur.

## SULPHURETUM HYDRARGYRICUM ET SULPHUR.

BISULPHURETUM HYDRARGYRI NIGRUM.

SULPHIDUM HYDRARGYRI AMORPHUM.

HYDRARGYRUM SULPHURATUM NIGRUM.

SULPHURETUM HYDRARGYRI NIGRUM. PULVIS

HYDRARGYRI SULPHURATUS.

*AETHYOPS MINERALIS. AETHYOPS MERCURIALIS.*

R. Sulphuris puri,  
Hydrargyri puri pondera aequalia.

Horum parva portio in mortario lapideo cum pistillo, superficie inferiori plana et magna praedito, strenue et celeriter trituretur, addito pauxillo sulpho-hydratis ammoniaci, donec pulvis siccus et niger factus sit, et omnes hydrargyri globuli disparuerint.

Pulvis niger est, odore ac sapore caret. Sublimatione sulphur admixtum primo loco in vapores abit, et deinde cinnabaris nascitur. In aëre calefactus et accensus comburitur flamma coerulea, et vapores acidi sulphurosi emittuntur. In acidis dilutis non solvitur, sed in aqua

regia calefacta dissolvitur, decoloratur et chloretum hydrargyricum et acidum sulphuricum nascuntur, atque sulphur partim separatur. Ubi cum magna copia solutionis hydratis kalici concentratae coquitur, admixtum sulphur primo loco, deinceps etiam sulphuretum hydrargyricum solvitur.

Calefactus pulvis in vapores penitus abeat, in eoque cum aqua triturato oculus armatus hydrargyri globulos non distinguat. Solutione hydratis kalici non in cinnabarim mutetur. In acido hydrochlorico diluto et in acido acetico diluto nihil ex eo solvatur.

### SULPHIDUM HYPOSTIBIOSUM.



STIBIUM SULPHURATUM NIGRUM. SESQUISULPHURETUM STIBII. ANTIMONIUM SULPHURATUM. SULPHURETUM STIBICUM.

### *SULPHURETUM ANTIMONII.*

R. Stibii puri partes sex cum dimidia,  
Sulphuris puri partes duas cum dimidia.

Stibium in pulverem subtilissimum redigatur et intime cum sulphure commisceatur. Miscela per vices immitatur in crucibulum candens, et ultima miscelae parte immissa, addatur

Chloreti natrici decrepitati pars dimidia.

Fusione peracta, crucibulum refrigescat, et sulphuretum hypostibiosum a metallo, non cum sulphure juncto et in crucibuli fundo deposito, mechanice separetur, in pulverem subtilissimum convertatur et in lagena clausa servetur.

Antequam in pulverem redactum sit, crystallinum et metallicum habet adspectum, colorem e griseo-plumbeum. Pondus specificum est = 4,60. Pulvis subtilissimus colore e rubro fusco praeditus est. In aqua non solvitur; in aëre humido lentissime mutatur et oxygenium arripit. In aperto vase calefactum expellit acidum sulphurosum et pulverem cinereum relinquit. Intensiore calore flamma coerulea comburitur. In acido hydrochlorico concentrato et calefacto plane solvitur, et gas acidi hydrosulphurici expellitur; liquor frigidus limpidus est. Solutionibus hydratis kalici, trisulphureti kalici et sulphureti calcici pulvis subtilissimus ope caloris solvitur. Cum carbonate natrico sicco commixtum in interiori flamma, ope tubi ferruminatorii in illud directa, decomponitur, ita ut globulus metallicus fragilis, et stibii proprietates ostendens relinquatur, et carbo pulvere albo tegatur.

Notae puritatis simili cognoscantur modo quo in stibio metallo.

### OXYSULPHURETUM STIBICUM.

SULPHUR STIBIATUM RUBRUM. HYDRO-SULPHURETUM OXYDULI STIBII. HYDRO-SULPHURETUM RUBRUM STIBII SULPHURATI. HYDRO-SULPHURETUM STIBII. HYDRO-SULPHURETUM STIBIOSUM. ANTIMONIUM SULPHURATUM PRAECIPITATUM. PULVIS CARTHUSIANORUM.

### *KERMES MINERALE.*

R. Sulphidi hypostibiosi puri partes quatuor,  
Carbonatis natrici sicci et puri partem unam.

In pulverem redigantur et misceantur, et miscela in

crucibulo Hassiaco vix rubescat, ita fundatur, dum massa ope tubi argillacei agitetur. Massa perfecte fluida effundatur in mortarium marmoreum, et refrigerata statim in pulverem tenuissimum teratur. Immittatur

hujus pulveris pars una

in solutionem ebullientem

Carbonatis natrici crystallisati partium duarum,  
Aquae destillatae partium sedecim.

Coquatur miscela in vase ferreo satis capaci per horam unam, continuo spatulâ agitata, et aqua evaporata restitatur additione repetita aquae ebullientis. Fervidissima coletur, et liquor patina porcellanea ante calefacta recipiatur et quam lentissime refrigerescat. Refrigeratus et limpidus liquor a deposito pulvere decantetur, et denuo coquatur cum insoluta materie post primam operationem residua, et humor fervidus denuo eodem modo quo ante filtretur et lente refrigerescat, ita ut kermes rursus deponatur. Haec methodus tamdiu repetenda est, quamdiu e refrigerato liquore copia satis magna oxysulphureti stibici deponitur.

Depositi pulveres in filtro colligantur, aqua frigida strenue laventur, supra chartam in lapide argillaceo positam dividantur, et in loco obscuro siccentur. Pulvis siccus bene commisceatur et in lagena rite clausa et nigra servetur.

Est pulvis subtilissimus e rubro fuscus, neque odore neque sapore praeditus, qui oculo armato structuram crystallinam splendentem ostendit. In aqua frigida non solvitur, sed in aqua fervida decomponitur, partim solvitur, et acidum hydrosulphuricum expellitur. In tubo clauso calefactus aquam demittit, et in aëre, igne admoto,

sine flamma comburitur. In frigida hydratis kalici solutione fortiori partim solvitur, pulvere intense flavo relicto. In ammonia liquida calore fere non solvitur. Aëre et lumine dissolvitur, spirat odorem acidi hydrosulphurici, et colore mutatur. Ope acidi hydrochlorici diluti frigidi et acidi tartarici calidi et soluti oxydum stibicum ex eo separatur. In acido hydrochlorico fortiori calido nigrum accipit colorem, mox penitus solvitur, dum gas acidi hydrosulphurici expellitur.

Kermes minerale optimae notae omnes descriptas habeat proprietates. Solutio in acido hydrochlorico sit decolor, et post refrigerationem limpida. Quando ope acidi nitrici puri oxydatum est, liquor a pulvere separatus ferrum non contineat, et evaporatus vix trecentesimas partes siccas relinquat. Caeterum ejus puritas eodem modo exploranda est, qui pag. 185. jam descriptus est, ubi de stibio agitur.

## SULPHIDUM STIBICUM.

$Sb_2 S_5$ .

DEUTOSULPHURETUM ANTIMONII. OXYDUM  
STIBII HYDROSULPHURATUM. ANTIMONIUM  
BISULPHURATUM PRAECIPITATUM. SULPHURETUM  
ANTIMONII PRAECIPITATUM. SULPHURETUM  
OXYDULI STIBII HYDROGENATUM. SULPHURETUM  
STIBII HYDROGENATUM. SULPHUR STIBIATUM  
AURANTIACUM.

### *SULPHUR AURATUM ANTIMONII.*

R. Sulphostibiatis natrici recens praeparati partes  
quinque,

Aquae destillatae partes triginta.

Solvantur salis crystalli in aqua et filtretur solutio. In alio vase vitreo misceantur

Acidi sulphurici puri pars una et dimidia,  
Aquae destillatae partes sexaginta.

Infundatur sulphostibiatis natrici solutio in acidum sulphuricum dilutum et refrigeratum, et celeriter agitatum. Praecipitatum aqua saepissime affusa abluatur, donec nullum acidi sulphurici praebeat indicium, et quam celerrime calore leni siccetur. Pulvis siccus teratur et in lagena clausa servetur.

Pulvis est e rubro aurantiacus, subtilissimus, levis. Odore ac sapore caret. In aëre accensus flammâ coeruleâ comburitur, et acidi sulphurosi spargit odorem; oxydum et acidum stibiosum relinquuntur. In aqua frigida non solvitur, sed in solutionibus hydratis kalici, natrici et ammoniae calidis solubilis est.

Non solum ex his criteriis, sed etiam et vel praecipue e sequentibus sulphidi stibici puritas agnoscitur. Solvatur in acido hydrochlorico concentrato, ita tamen, ut sulphur separetur, dum gas acidi hydrosulphurici expellatur. Aqua cum pulvere commixta ex eo salcem non extrahat, et evaporata non relinquat. Cum aqua strenue tritus et cum quinquaginta partibus ammoniae liquidae in apparatu clauso leni calore prudenter commissus solvatur, et neque kermes mineralis, neque sulphur insoluta reperiantur. Caeterum exploretur tali modo, qualis ad explorandum stibium indicatus est.

SULPHURETUM HYDRARGYRICUM ET  
STIBICUM.

SULPHURETUM STIBII ET HYDRARGYRI.  
HYDRARGYRUM STIBIATO - SULPHURATUM.  
HYDRARGYRUM OXYDULATUM STIBIATO-  
SULPHURATUM. SULPHURETUM HYDRARGYRI  
STIBIATUM.

*AETHYOPS ANTIMONIATO-MERCURIALIS.*

*AETHYOPS ANTIMONIALIS HUXHAMI.*

R. Sulphidi hypostibiosi puri partes tres,  
Hydrargyri puri partes quatuor,  
Sulphuris puri partes duas.

Terantur in mortario lapideo eodem modo, quo Sulphuretum hydrargyricum et sulphur, donec globuli hydrargyri non amplius conspiciantur.

Pulvis est subtilissimus, e griseo niger, in aqua insolubilis et insipidus. In apparatu idoneo, admoto calore, vapores sulphuris et sulphureti hydrargyrici oriuntur, ac sulphuretum stibicum relinquitur.

Oculo armato globuli hydrargyri non conspiciantur. Partim solvatur in acido hydrochlorico calido, dum gas acidi hydrosulphurici expellatur; et in liquore filtrato et saturato ope acidi hydrosulphurici praecipitatum aurantiacum nascatur.

## SALES HALOÏDEI.

---

*e.* CHLORETA.

---

CHLORETUM NATRICUM DEPURATUM.

Na Cl<sub>2</sub>.

CHLORETUM NATRII. NATRIUM CHLORATUM.  
HYDROCHLORAS SODAE. NATRUM MURIATICUM.

*MURIAS SODAE DEPURATUM.*

*SAL MARINUM AUT CULINARE DEPURATUM.*

R. Chloreți natrici venalis quantum vis;

solvatur in

Aquae bullientis tripla quantitate.

Solutioni instilletur

Carbonatis natrici puri solutio,

donec non amplius turbetur. Coletur humor per chartam et evaporetur, ac sub leni evaporatione fiant crystalli, quae in infundibulo ponantur, et tamdiu parva aquae destillatae quantitate laventur, quamdiu aqua defluens solutione chloreți barytici turbatur. In charta bibula mox siccentur, et in vitro ad usum serventur.

Crystalli sunt cubicae, raro octaëdricae, aut tetraëdricae,



excavatae, prout evaporatio lente aut celeriter, ex majori minorive solutionis portione locum habuerit, incoloratae, in aëre immutabiles, saporis salsi, in tribus aquae partibus penitus solubiles. In igne decrepitant crystalli, et satis valido calore sal funditur. Parva copia solvitur in alcohole aqua diluto. Solutio aquosa, addita solutione nitratis argentici, praebet sedimentum album, quod non ab acido nitrico, sed ab ammonia liquida solvitur.

Solutio hujus salis in aqua, addita solutione carbonatis natrici, aut chlreti barytici, non turbetur, neque coloratur post additionem solutionis acidi hydrosulphurici in aqua, recens paratae, aut post instillationem solutionis cyaneti kalico-ferrosi. Addita solutione acidi tartarici, minime deponat tartratam kalicum acidum. Quamvis in sale communi in nostra patria iodium plerumque non inveniatur, sciendum tamen est, iodium in hujus salis pulvere detegi posse additione miscelae ex aqua et amylo cocto et prudenti instillatione paucarum guttarum solutionis chlorici recens praeparatae. Ubi sal iodetum quoddam continet, color laete coeruleus observatur, qui post majorem chlorici additionem destruitur.

### CHLORETUM NATRICUM EXSICCATUM.



### CHLORETUM NATRICUM DECREPITATUM.

*SAL COMMUNE, AUT CULINARE DECREPITATUM.*


R. Chlreti natrici venalis quantum placet.

Immittatur in crucibulum, operculo tectum, quod inter prunas incalescat, donec strepitus cesset, et sal speciem

pulverulentam, opacam, et colorem album assumerit. In vitro clauso ad usum servetur.

Habet descriptas hujus salis, sed impuri, proprietates; in igne vero non amplius decrepitat, et solutio filtrata turbatur solutione carbonatis natrici et chloreti barytici.

### CHLORETUM AMMONICUM DEPURATUM.



CHLORETUM AMMONII. AMMONIUM MURIATICUM  
DEPURATUM. MURIAS AMMONIAE DEPURATUM.  
SAL AMMONIACUM DEPURATUM.

#### *FLORES SALIS AMMONIACI.*

R. Chloreti ammonici sublimati venalis, quantum  
volueris;

solvatur in

Aquae bullientis tripla quantitate.


Filtretur solutio et evaporetur in vase porcellanico ad pelliculam; seponatur deinde loco frigido, ut crystalli fiant. Iterata evaporatione et refrigeratione crystalli e liquore eliciantur, in charta bibula siccandae. Si vero exploratione constet, salem vel hac operatione non satis purum esse factum, eadem depuratio denuo instituat.

Crystalli sunt tetragono-prismaticae, plerumque irregulares, plumosae, albae, saporis salsi, pungentis, sine odore, et in aëre admodum humido parum humidae fiunt. Una parte aquae ebullientis et tribus partibus aquae frigidae solvuntur, dum frigus simul elicitur. In

alcohole aqua diluto etiam solvuntur. Hic sal calore non dissolvitur, sed in vapores albos abit. Cum solutione hydratis kalici tritus gas ammoniae edit, et chloretorum proprietates porro ostendit.

Chloretum hoc albissimum sit et siccum. Calore totum in vapores abeat, nec fundatur. In aqua penitus solvatur, et haec solutio acido hydrosulphurico non coloretur aut turbetur, aut addita tinctura gallarum non atro colore tingatur, et solutione chloreti barytici aut chloreti aurici non turbetur. Brometum ammonicum huic sali admixtum detegitur ope chlorici, in solutionem ducti, et addendo aetherem, qui praesente bromio, colore flavo aut rubro tingitur.

### CHLORETUM BARYTICUM CUM AQUA.



### CHLORETUM BARI. HYDROCHLORAS BARYTICUS. BARYTA MURIATICA.

### MURIAS BARYTAE. TERRA PONDEROSA SALITA.

- R. Sulphatis barytici, in pulverem subtilissimum redacti, partem unam;  
Carbonis vegetabilis, in pulverem subtilissimum redacti, partem sextam;  
Farinae Secalis cerealis partem quartam.

Pulveres accuratissime misceantur, et in crucibulo Hassiaco, quod altero crucibulo et luto bene clausum sit, carbonibus imponantur, qui in apto furno lente accendantur. Ignis deinde ita alatur, ut crucibulum per horam ad albedinem usque candescat. Aliquantulum refrigeratus

pulvis e crucibulo in vas porcellaneum immittatur, et commisceatur cum

Aquae pluvialis quadrupla portione,

et coquatur. Miscelae ebullienti in aëre libero caute tamdiu addatur

Acidum hydrochloricum,

Aquae pluvialis parte aequali dilutum,

quamdiu effervescat, et donec humor levissime acidulus appareat, qui deinde coletur. Pulvis in filtro residuus aqua ebulliente exhauriatur. Conjuncti liquores ad pelliculam evaporentur et in loco frigido seponantur, ut crystalli fiant, quae in crucibulo ignis validioris vim sustineant, et iterata solutione et crystallisatione purgentur.

Si forte chloretum baryticum multo ferro aut chloreto strontico inquinatum sit, a priori purgetur solutione in aqua, prudenti additione sulphureti barytici et filtratione, et a sale strontico commixtione cum alcohole, qui hunc salem solvit et baryticum relinquit.

In varias formas hic sal concrescit, prouti crystallorum formatio ex majori minorive solutionis portione lente aut celeriter locum habet; et crystalli sunt tabulares, ad angulos truncatae, lamellares, aut prismaticae rhombicae. Sal albus est, plerumque pellucidus, sine odore, saporis acerbi, amari et salsi. In aëre non mutatur, sed igni admotus decrepitat, et candescens aquam amittit atque funditur. In duabus partibus cum dimidia aquae solitâ temperaturâ solvitur, sed longe minori copia solvitur in alcohole. In acido hydrochlorico concentrato insolubilis est. Solutio in aqua nitrate argentico, acido sulphurico et salibus sulphuricis albo colore praecipitatur, quae sedimenta in acido nitrico non solvuntur.

Chloretum baryticum sit album; in aëre minime deliquescat. Ope alcoholis neque chloretum stronticum, neque calcicum ex eo extrahatur, quorum prius dignoscitur, si alcohol flamma rubra comburitur; posterius sal deliquescentes post alcoholis evaporationem relinquitur, et proprietatibus salium calcicorum facile distinguitur. Solutio nec solutione acidi hydrosulphurici, neque cyaneti kalicoferrosi coloretur aut turbetur, minimeque ammoniâ liquidâ turbida fiat. Addita majori acidi sulphurici puri diluti quantitate, quam requiritur ad omnem barytam expellendam, liquor filtratus et calore evaporatus ne minimam quidem salis cujusdam aqua solubilis partem relinquere debet.

### CHLORETUM CALCICUM.



### ET CHLORETUM CALCICUM CUM AQUA.



### CHLORETUM CALCII. CALCIUM CHLORATUM.

*CALCARIA MURIATICA. MURIAS CALCIS.*

*CALX SALITA.*

IR. Carbonatis calcici quantum volueris.

Immittatur in vas vitreum et huic addatur

Acidum hydrochloricum, cujus pondus specificum est 1,13, quantum sufficit

ad solutionem saturandam. Haec coletur, et in vase porcellaneo ad siccitatem evaporetur. Chloretum calcicum,

quod adhuc aquam continet, calidum immittatur in lagenam vitream, statim bene claudendam.

Potest etiam praeparari e massa superstita praeparationis ammoniae liquidae per calcem recens ustam, aut praeparationis carbonatis ammonici e chloreto ammonico per carbonatem calcicum. Solvatur in aqua fervida, et acido hydrochlorico saturetur. Filtretur solutio et ad siccitatem evaporetur.

Sal in crucibulo lente calefiat et deinde candeat, ita ut fundatur, ac vapores non amplius observentur. Tali ratione obtinetur *Chloretum calcicum fusum* sive anhydram, quod calidum in lagenam vitream rite claudendam immittatur. Attamen ubi sal aquam continere debet, solvatur sal fusum in aqua, saturetur acido hydrochlorico, filtretur solutio et evaporetur ad siccitatem.

Ad crystallos obtinendas, ubi his opus est, solutio chlorete calcici evaporetur ad syrupi spissitudinem, et loco frigido ad crystallisationem ponatur. Crystalli ope chartae celerrime siccentur, et in vase optime clauso, loco frigido, servantur.

Chloretum calcicum fusum album est, subpellucidum, saporis amari, acris, salsi et calefacientis. Structuram ostendit crystallinam; igne funditur et in crucibulo aperto fusum amittit parvam chlorici portionem, dum aequalis calcii quantitas oxygenium arripit; quam ob causam reactionem alcalinam acquirit. Cum aqua commixtum insignem excitat calorem. Ex aëre atmosphaerico aquam attrahit et diffluit.

Hujus salis crystallos variam ostendunt formam, prouti e solutione spissiori aut tenuiori, lente aut celeriter, concretae sunt; ac sunt prismaticae hexagonales, aut striatae, plerumque tamen elongatae, lanceolatae, irregulares. In aquae parte quarta, solita temperatura, solvuntur excitato frigore. Solvuntur etiam in alcohole. Si cum nive aut glacie commiscentur, vehementissimum frigus excitant. In

aëre celerrime deliquescunt, et modico calore ab aqua crystallisationis solvuntur, quam intensiore calore partim amittunt, omnem vero, ubi candent.

Sal neuter sit, in aqua prorsus solubilis; solutio sit limpida, non colorata; acido hydrosulphurico non coloretur aut turbetur; ammonia liquida pura, aut solutione cyaneti kalico-ferrosi non praecipitetur. Cum calce commixtus gas ammoniae non emittat.

### CHLORETUM ALUMINICUM CUM AQUA.

$AL_2 CL_6$  CUM AQUA.

### CHLORURETUM ALUMINII.

#### *MURIAS ALUMINAE.*

R. Sulphatis kalico-aluminici puri quantum vis.

Solvatur aquae sufficiente copia, et solutioni calidae addatur

Solutio carbonatis kalici,

donec liquor valde alcalinas praebeat notas. Miscela per aliquot horas calide digeratur, subinde bacillo vitreo agitur, et deinde filtretur. Sedimentum album et gelatinosum aqua ebulliente strenue lavetur, et solvatur in

Acido hydrochlorico puro.

Solutio, si opus est, filtretur, et in vase porcellaneo lenissimò calore prudenter ad siccitatem evaporetur, et in lagena clausa servetur.

Massa informis est, alba, saporis acidi, adstringentis, paululum dulcis. Aquam ex aëre attrahit, et in aqua facile et fere tota solvitur. Solutio caeterum limpida est, non colorata, et in loco calido et siccissimo praebet

crystallos prismaticas sexlaterales planis rhomboëdricis terminatas. In alcohole etiam fere tota solvitur. Calefacta acidum hydrochloricum et aquam emittit, et oxydum aluminicum relinquit. Acidum sulphuricum ex ea acidum hydrochloricum expellit. Cum nitratis cobaltici solutione irrigata et strenue calefacta relinquit massam coeruleam. Ejus solutio, addita solutione hydratis kalici, praebet sedimentum album, gelatinosum, quod a majori hydratis kalici portione, non vero a chloreti ammonici solutione solvitur, quo menstruo alcalina solutio contra praecipitatur. A carbonatibus et sulphuretis alcalinis etiam praecipitatur, et solutio concentrata, additis acido sulphurico et kali solutione, praebet crystallos aluminis.

Chloretum aluminicum in aqua fere totum solvatur, et solutio limpida ab acido hydrosulphurico neque coloretur neque turbetur, a solutione acidi oxalici non praecipitetur, et additâ tincturâ gallarum non coeruleo vel nigrescente colore tingatur.

### CHLORETI STIBICI SOLUTIO.

ANTIMONIUM CHLORATUM. STIBIUM SESQUI-  
CHLORATUM. ANTIMONIUM MURIATICUM. MURIAS  
STIBII. LIQUOR STIBII MURIATICI. MURIAS  
OXYDULI STIBII LIQUIDUS.

*OLEUM SIVE BUTYRUM ANTIMONII.*

*CAUSTICUM ANTIMONIALE.*

R. Sulphidi hypostibiosi puri partem unam,  
Acidi hydrochlorici puri ponderis specifici 1,180  
partes quatuor.

Teratur sulphidum hypostibiosum in pulverem sub-




tilissimum; immittatur in cucurbitam vitream, capacem et tubo longo vitreo instructam, et furno apto impositam. Per vices infundatur acidi hydrochlorici parva portio, et miscela, saepe agitata, lente incalescat usque ad ebullitionem, et ebulliat circiter per dimidiam horam. Solutio refrigeratione et quiete limpida facta a sedimento libera effundatur et in vase porcellaneo evaporetur, donec liquor habeat pondus specificum = 1,340-1,355. Servetur in lagena probe claudenda.

Liquor limpidus est, plerumque flavescens coloris. In aëre vapores nebulosos non emittit. Cum aqua commixtus magnam pulveris albi copiam deponit. Odorem habet acidum, saporem acidum et causticum. Addito acido hydrosulphurico, colore aurantiaco praecipitatur, nitrate argentico sedimentum album nascitur.

Sit limpidus; calore in vapores mutetur et nihil relinquatur. Si forte colore intense flavo tingatur, ferri connubium adesse constat. Rejiciatur, qui aqua admixta non nisi parvam pulveris albi portionem dimittit.

## CHLORETUM FERRICUM.



CHLORIDUM FERRI. FERRUM SESQUICHLORATUM.

HYDROCHLORAS FERRICUS. MURIAS FERRICUS.

FERRUM MURIATICUM. FERRUM MURIATICUM

OXYDATUM.

*MURIAS FERRI. SAL MARTIS MURIATICUS.*

R. Acidi hydrochlorici concentrati partes tres.

Huic in cucurbita vitrea addatur

## Limaturae ferri

quantum requiritur ad acidum, leniter calefactum, saturandum. Solutio saturata filtretur, et ferrum, quod in filtro relictum est, aquaedulcoretur. Liquores commixti in vase porcellaneo amplo evaporentur ad massam crystallinam. Huic addatur

Acidi hydrochlorici pars una et dimidia,  
et calefactae massae prudenter instilletur

Acidum nitricum,

quamdiu hoc decomponitur et acidi nitrosi vapores cernuntur. Solutio limpida primum leni calore lampadis, dein ope balnei aquae evaporetur, et ad siccitatem sub continua agitatione cum tubo vitreo tam prudenter redigatur, ut nulla fere salis pars dissolvatur. Sal sic paratus statim immittatur in retortam vitream, loricatam, amplo collo instructam et igni libero deinde admovendam. Sit ignis primum temperatus, deinceps magis magisque augeatur. Quando vehementissimo calore et licet retorta candeat, sal non amplius sublimatur, vitrum quam celerrime frangatur, et sal sublimatus exemptus in lagena vitrea accurate clausa servetur.

Crusta salina sublimata constat vel e parvis tabulis splendentibus e rubro fuscis, vel e squamulis varios plerumque colores prae se ferentibus, tum etiam splendentibus. Saporis est peculiaris, ferrosi, acris et calefacientis. In aqua, alcohole et aethere facile solvitur. In aëre celerrime diffluit et praebet liquorem obscure fuscum. Calore satis intenso in vapores abit, sed simul partim dissolvitur. Solutio aquosa additâ solutione hydratis kalici sedimentum fuscum, solutione sulphureti kalici nigrum, solutione

cyaneti kalico-ferrosi intense coeruleum, praebet. Solutione nitratis argentici etiam valde turbatur.

Ne contineat salem basicum aut admixtum hydratem ferricum, quae dignoscuntur eo, quod in aqua frigida non penitus solvatur, et insolutum remaneat sedimentum flavi aut fuscii coloris. Solutio in aqua, addita solutione cyaneti kalico-ferrici, coeruleo colore non praecipitetur, ideoque chloretum ferrosum non contineat. Chlorete ferrici solutio, e qua omne oxydum ferricum ope ammoniae liquidae est depositum, sit limpida, ac minime colore coeruleo tincta. Cum solutione chloreti barytici minime praebet sedimentum album, in acido nitrico insolubile.

### CHLORETI FERRICI SOLUTIO.

LIQUOR SESQUICHLORETI FERRI. LIQUOR FERRI MURIATICI OXYDATI. MURIAS FERRI LIQUIDUM. OLEUM MARTIS. SOLUTIO MURIATIS FERRI COMPOSITA.

### *LIQUOR STYPTICUS LOOFFII. LIQUOR STYPTICUS.*

R. Oxydi ferrici, in pulverem tenuissimum redacti, partem unam;  
Acidi hydrochlorici puri partes sex.

Misceantur in phiala vitrea, longo collo et parvo orificio instructa et in arena posita, atque calori prius modico, deinde aucto committantur, ita ut liquor ebulliat. Solutio, si opus est, quiete limpida fiat, et in vase porcellaneo ope balnei aquae evaporetur, donec ejus pondus specificum = 1,50 sit. In vitro bene clauso servetur.

Liquor spissus est, e fusco aurantii coloris, saporis acerbi et adstringentis. Iisdem chymicis proprietatibus distinguitur, quibus salis ante indicati solutio. Eodem modo exploretur, an satis pura sit.

CHLORETUM FERRICUM ET CHLORETUM  
AMMONICUM.

HYDROCHLORAS AMMONICUS CUM SESQUICHLO-  
RETO FERRI. AMMONIACUM MURIATICUM  
MARTIATUM. MURIAS FERRO-AMMONIACALE.  
MURIAS AMMONIAE ET FERRI.

*FLORES MARTIALES. FLORES SALIS AMMONIACI  
MARTIALES.*

R. Chloreți ferrici partem unam,  
Chloreți ammonici depurati partes duodecim.

Probe mixta solvantur in aquae destillatae portione minima; solutio filtretur et sub continua agitatione cum bacillo vitreo, leni calore, in vase porcellaneo ad siccitatem evaporetur. In pulverem tenuissimum teratur et in lagena clausa servetur.

Pulvis est aurantiaci coloris, saporis austeri et pungentis. Ex aëre humorem attrahit. In tribus aquae destillatae partibus, vulgari aëris calore, et in una parte aquae bullientis solvitur. Odorem habet debilem, acidi hydrochlorici venalis foctori non absimilem. In alcohole chloretum ferricum praesertim ex hoc connubio solvitur, quale quid etiam fit in aethere. Habet proprietates, quae salibus ammoniacis, ferricis et chlorici connubiis competunt.

Quando solutio cum ammonia liquida commiscetur, praecipitatum nascatur fuscii coloris; liquor autem filtratus omni, praesertim coeruleo, colore careat. Si bacillum vitreum ammonia liquida humectatum hujus salis pulveri admovetur, vapores albos minime ostendat.

## CHLORETUM ZINCICUM CUM AQUA.

Zn Cl<sub>2</sub> CUM AQUA.

HYDROCHLORAS ZINCI.

MURIAS OXYDI ZINCI.

R. Zinci destillati quantum vis.

Solvatur, ope caloris lenis, in

Acido hydrochlorico puro.

Solutio, si opus est, filtretur et in vase porcellaneo ad siccitatem evaporetur, et sal etiamnum calidus in lagenam immittatur, quae bene claudatur.

Massa amorpha et alba est, quae aquam ex aëre valde attrahit, et celeriter deliquescit. In aqua facile solvitur. Solutio est limpida, non colorata, saporis pungentis, nauseosi. Acidum hydrosulphuricum e solutione neutra sedimentum album deponit. Addita solutione hydratis kalici, natrici, ammoniae aut carbonatis ammonici, nascitur sedimentum album, gelatinosum, in iisdem his menstruis majori portione additis solubile. Addita solutione phosphatis natrici cum aqua basica, oritur praecipitatum album, in hydratis kalici aut ammoniae solutione solubile. Addita solutio cyaneti kalico-ferrosi deponit sedimentum album gelatinosum, in acido hydrochlorico

solubile. Chloretum zincicum admixto acido sulphurico concentrato acidum hydrochloricum emittit, et in tubo vitreo apertura parva instructo candens aquam atque acidum hydrochloricum perdit, et chloretum zincicum anhydrum cum oxydo zincico commixtum relinquit; dum validissimo tandem calore crystalli parvae acicularis sublimantur.

Solutio in aqua sit limpida, et acida facta ab acido hydrosulphurico neque flavo neque nigro colore tingatur aut turbetur; a cyaneti kalico-ferrosi solutione non coerulescente aut coeruleo colore turbetur, neque addito pulvere carbonatis calcici deponat post aliquot horas sedimentum floccosum, gelatinosum, fuscum. Praecipitatum in solutione concentrata ortum post additionem solutionis acidi oxalici, ab ammonia aut hydratis kalici solutione plane solvatur.

### CHLORETUM HYDRARGYROSUM.

$Hg_2 Cl_2$ .

CHLORETUM HYDRARGYRI. HYDRARGYRUM  
 CHLORATUM. MURIAS OXYDULI HYDRARGYRI.  
 SUBMURIAS HYDRARGYRI. MURIAS HYDRARGYRI  
 OXYDULATI. HYDRARGYRUM MURIATICUM MITE.  
 MURIAS HYDRARGYRI DULCIS SUBLIMATUS.

*MERCURIUS DULCIS. CALOMELAS.*

R. Chloreti hydrargyrici puri partes quatuor,  
 Hydrargyri puri partes tres.

Chloretum hydrargyricum in mortario lapideo prudenter

in pulverem tenuissimum, alcoholis guttas subinde instillando, teratur, et pulveri addatur hydrargyrum. Pistillo lapideo teratur miscela, addendo subinde minutam alcoholis portionem, ita ut globuli hydrargyri non amplius appareant. Pulvis immittatur in phialam vitream, cujus tertiam tantum partem impleat, habitâ simul curâ ne aliquid miscelae parietibus superioribus phialae adhaereat. In balneo arenae ita ponatur, ut tota phialae inferior pars usque ad colli initium arena sit tecta. Calore leni expellantur alcoholis vapores, et dein, operculo cretaceo imposito, calor lente sed magis magisque augeatur. Quando parva chloreti hydrargyrosi pars jam sublimata est, superiores bulbi phialae parietes ab arena prudenter liberentur, et ignis satis intensus sustineatur, donec sublimatio per breve tempus peracta sit, dum phialae fundus tandem candeat. Operatione finita, frangatur phiala adhuc calida; colligatur massa concreta et crystallina, bene distinguenda et separanda a materie pulverulenta albicante, phialae collo adhaerente, et quae maximam partem e chloreto hydrargyrico constat; ab hydrargyro porro separetur, et in mortario lapideo in pulverem redigatur subtilissimum. Pulvis aqua pura accuratissime abluatur, donec haec nihil amplius solvat, quod acido hydrosulphurico aut iodeto kalico dignoscitur, et deinde siccetur calore lenissimo, loco obscuro, quo etiam in lagena clausa servetur.


Chloretum hydrargyrosium ante triturationem et abluitionem, concretum est, album, splendens, hyalinum, fibrosum, intus crystallos aciculares ostendens, ponderis specifici 7,176, Majori copia praeparatum praebet aliquando prismata tetragona, quatuor planis inaequalibus truncatis terminata, splendentia et pellucida. Calore in vapores abit. Cum corpore quodam duro tritum colorem subflavum assumit, et in luce solari nigrescit.

Chloretum vero hydrargyrosium tritum, ablutum et medico usui destinatum pulvis est subtilissimus, coloris

albi subflavescentis, sine odore, sed saporis primum vix percipiendi, mox peculiaris, quem mercurialem vocant. In aqua frigida et alcohole non solvitur; sed parva portione in his liquoribus fervidis solvi potest, at vero simul magis minusve decomponitur. Luci expositum colore mutatur, et nigrescentem assumit. In solutione hydratis kalici, in ammonia liquida et aqua calcis dissolvitur; nascitur pulvis nigri coloris, oxydum hydrargyrosū. Dissolvitur etiam acido hydrochlorico, hydrocyanico, chloretis, sulphido hypostibioso et stibico.

Sit pulvis subtilissimus, vix flavescentis, minime grisei coloris, et ne minimam quidem chloreti hydrargyrici partem contineat. Alcohol aut aether, aut aqua pura, solito aëris calore, nihil ex eo solvere debet; ita ut liquor filtratus ab acido hydrosulphurico non tingatur colore nigro, aut addita aqua calcis vel solutione hydratis kalici, praecipitatum flavum non deponatur, aut guttis solutionis iodeti kalici sedimentum flavum et rubrum non nascatur, quibus quippe criteriis sublimatum corrosivum, si adest, dignoscitur. In tubo vitreo, calore satis intenso, penitus in vapores abeat, neque tamen vapores rufi nascantur. Cum carbonate natrico calefactus praebet hydrargyrum.

CHLORETUM HYDRARGYROSUM OPE VAPORIS  
AQUAE PRAEPARATUM.



R. Pulveris chloreti hydrargyrosi sublimati quantum volueris.

Immittatur in retortam lapideam, in furno v. c. argillaceo reverberatorio positam, ita ut tota retortae et major colli superficies carbonibus ardentibus tegi possit. Collum hujus retortae, quod breve sit, infigatur orificio bulbi



vitrei, duobus in latere opposito orificiis et collo longo sive tubo instructi, qui bulbos ope tubi impositus sit medio orificio lagenae tricollis, ita ut tubi inferior pars aliquot pollices a fundo lagenae distet. Secundum lagenae orificium epistomio vitreo clausum sit; et tertio orificio imponatur tubus vitreus, quatuor locis in inferiori parte incurvatus, ad evacuandum aërem ex apparatu. Haec lagena parvam aquae destillatae quantitatem contineat. Altero autem bulbi orificio laterali infigatur collum retortae tubulatae, aquam destillatam continentis et in balneo arenae positae. Omnes aperturae rite claudantur, quae ad collum retortae, aquam continentis, ope luti e lini farina compositi; aperturae vero ad collum retortae chloretum hydrargyrosum continentis claudantur ope luti argillacei. Luto rite siccato, aqua demum ebulliat, ita ut ejus vapores impleant bulbum, et tunc ignis in altero furno ita augeatur, ut retortae lapideae collum primum candeat, et ut chloreti hydrargyrosi vapores in bulbum perveniant, cum vapore aquae misceantur, et sal condensatus in fundum lagenae cadat. Ignis carbonibus ardentibus ita sustineatur, ut retortae collum sale hydrargyri non claudatur. Hac operatione lente ac prudenter peracta, aqua a pulvere in lagena deposito effundatur, et pulvis e lagena et bulbo commixtus aqua destillata frigida lavetur sub assidua agitatione, donec haec nihil amplius solvat. Laevigatione pulvis subtilior a reliquo pulvere separetur, et reliqua ejus pars humida in lapide porphyreo teratur. Omnis pulvis denique aqua denuo lavetur in filtro, et siccetur quam celerrime in loco obscuro, et uti altera Mercurii dulcis species servetur. Mercurius dulcis hoc modo praeparatus a Pharmacopola porrigatur, si de industria a Medico fuerit praescriptus.

## CHLORETUM HYDRARGYRICUM.



CHLORIDUM HYDRARGYRI. BICHLORETUM  
HYDRARGYRI. HYDRARGYRUM BICHLORATUM.  
DEUTOCHLORURETUM HYDRARGYRI. MURIAS  
DEUTOXYDI HYDRARGYRI. MURIAS HYDRARGYRI.  
OXYMURIAS HYDRARGYRI. HYDRARGYRUM  
MURIATICUM CORROSIVUM.

*MERCURIUS SUBLIMATUS CORROSIVUS.*

- R. Hydrargyri partem unam ;  
Acidi sulphurici concentrati partem unam et  
dimidiam.

Immittantur in retortam vitream, cujus collum infigatur in excipulum, dimidiam partem aqua repletum. Ope balnei arenae haec miscela tandiu caloris sensim aucti vim experiatur, donec massa salina album acceperit colorem, et sicca sit, et vapores albi non amplius conspiciantur. Sulphas hydrargyricus, qui siccus sit et aquam ex aëre nullam aut vix attrahat, in pulverem subtilissimum conteratur, et accurate commisceatur cum

Chlorete natrici decrepitati aequali portione.


Haec miscela prudenter immittatur in retortam vitream, collo amplo instructam, cujus dimidiam partem impleat, et curetur, ne massa fiat compacta. Adjuncto excipulo, ignis in balneo arenae primo lenis ac lentus applicetur, sensim augeatur et quam prudentissime sustineatur. Subli-

matione peracta, frangatur retorta, et massa alba et concreta a vitro separetur et in lagena clausa servetur.

Chloretum hydrargyricum lente sublimatum e crystallis parvis, albis, acicularibus constat; plerumque massa est alba, concreta, subpellucida, fracturae fibrosae, quae facile in pulverem album conteri potest, in aëre immutabilem. Odore caret, sed habet saporem acerbum, stypticum, metallicum. In octodecim partibus aquae frigidae, in duabus partibus aquae ebullientis solvitur; etiam et majori copia in alcohole et aethere, quae solutiones reactionem acidam ostendunt; et solubile est in acido hydrochlorico. E solutionibus etiam in crystallos albas, pellucas, pyramidales tetragonas, duabus planis terminatas, aut aciculares concrevit. Chloreta solubilia hunc salem in aqua multo magis solubilem reddunt. Funditur calore intenso et in vapores mutatur. A phosphoro, multis metallis, alcalibus horumque salibus carbonicis dissolvitur, ita ut hydrargyrum, aut oxydum hydrargyricum aut hujus sal carbonicus separetur. Solutione hydratis kalici, natrici, barytici aut calcici, solutio hujus salis flavo-rubro colore praecipitatur; ammonia vero aut nitras argenticus in ejusmodi solutione excitant sedimentum album, iodeti kalici solutio sedimentum e flavo rubrum. Ejus solutio in aqua a lumine solari dissolvitur, ita ut acidum hydrochloricum et chloretum hydrargyrosus nascantur. Dissolvitur etiam acido hydrosulphurico, quo praevalente sulphuretum hydrargyri nigrum deponitur, et hydrogenio arsenicato, quo acidum hydrochloricum formatur, et arsenicum atque chloretum hydrargyrosus separantur. Multis sulphuretis metallorum et corporibus organicis, aucto calore, etiam decomponitur.

Hujus salis puritas imprimis e solubilitate in alcohole aut aethere, e colore, e mutatione in vapores ope caloris, ita ut nihil relinquatur, caeterisque chymicis indicatis notis dignoscitur.

CHLORETUM HYDRARGYRICUM  
ET AMIDIDUM HYDRARGYRICUM.



HYDROCHLORAS AMMONICUS CUM OXYDO  
HYDRARGYRICO. MURIAS OXYDI HYDRARGYRI  
AMMONIACALIS. OXYDUM HYDRARGYRICUM CUM  
CHLORETO AMMONII. HYDRARGYRUM AMMONIATO-  
MURIATICUM OXYDATUM PRAECIPITATUM.  
OXYCHLORETUM HYDRARGYRI AMMONIACALE.  
HYDRARGYRUM PRAECIPITATUM ALBUM. HYDRAR-  
GYRUM AMMONIATO-MURIATICUM. MURIAS  
HYDRARGYRO AMMONIACALE.

*MERCURIUS COSMETICUS.*

*MERCURIUS PRAECIPITATUS ALBUS.*

R. Chloreti ammonici partem unam;  
Chloreti hydrargyrici partes duas,

Solvantur in

Aquae destillatae partibus viginti.

Filtratae solutioni gradatim instilletur

Solutio carbonatis natrici puri,

quamdiu pulvis albissimus ad fundum cadit. Depositus pulvis statim plane separetur a liquore, aqua destillata abluatur, exprimatur et loco obscuro intra chartam siccetur. Siccissimus pulvis in lagena clausa servetur.

Pulvis est albissimus, nullius odoris, sed saporis acerbi, in aqua parum solubilis. In alcohole non solvitur. Siccus aëre et lumine non mutatur. Cum aqua commixtus et calore aucto dissolvitur; aqua solvit chloretum ammoniacum, et relinquitur pulvis flavescens coloris. Cum alcalibus tritus expellit ammoniam, et flavum accipit colorem. In igne decomponitur, ita ut gas azotum, ammonia et chloretum hydrargyricum formentur.

Cum acido sulphurico commixtus non expellat vapores rubescentes; igne totus in vapores mutetur, et ab acido nitrico aut hydrochlorico penitus solvatur, sed sine orta effervescentia.

### CHLORETUM AURICUM ACIDUM.

CHLORIDUM AURI. CHLORURETUM AURICUM ACIDUM. AURUM MURIATICUM. AURUM OXYDATUM MURIATICUM. AURUM CHLORATUM.

#### *MURIAS AURI.*

R. Auri puri laminati et divisi quantum volueris.

Immittatur per vices in

Acidum chloro-nitrosum

leniter calefactum, donec hoc ebulliens non amplius aurum solvat. Solutio prudenter evaporetur, et sal fere siccus in parva aquae purae copia solvatur, et leni calore evaporetur denuo ad syrupi spissitudinem, et in tecto vase, loco frigido ponatur, ut crystalli fiant. Hae quam celerrime siccentur et in parva lagena vitrea, bene clausa, loco obscuro servantur.

Crystalli sunt plerumque prismaticae tetragonae, colore flavo, rarius octaëdricae. Sapore acido, acerbo et metallico praeditae sunt. In humido aëre deliquescunt, atque in aqua, alcohole et aethere facile solvuntur. Ejusmodi solutio lutei coloris est, et multis corporibus, metalloideis, metallis, salibus oxydum stannosum, hydrargyrosus aut ferrosus continentibus, et acidis quibusdam et multis aliis corporibus organicis dissolvitur, tum etiam a plerisque aurum reducitur. Solutione hujus salis aquosa cutis colore purpureo ingitur. Acido hydrosulphurico colore fusco, alcalibus colore flavo aut fusco praecipitatur. Chlorete aurici solutio, multa aqua diluta, cum solutione chlorete stannosi et stannici commixta praebet praecipitatum purpurei coloris, cum solutione, solum chloretum stannosum continente, praecipitatum fusci coloris. Calore crystalli funduntur, aquam et acidum hydrochloricum amittunt, et relinquunt massam crystallinam rubram, chloretum auricum neutrum. Majori calore chlorium amittit et in chloretum aurosum mutatur, quod intensiore calore a chlorico privatur, ita ut aurum metallicum relinquatur.

In aqua et alcohole penitus solvatur. Solutio in aqua cum acido oxalico puro calefacta omnem colorem amittere debet, et filtratione ab auro separata et ope ammoniae liquidae purae saturata, ab acido hydrosulphurico neque coloretur neque turbetur. Admoto calore parvam aquae, acidi hydrochlorici et chlorici quantitatem amittat, et aurum purum relinquat, cujus puritatis notae pag. 14 sunt descriptae.

## CHLORETUM AURICO-NATRICUM.



AURUM CHLORATO-NATRONATUM. AURO-CHLORAS  
 CHLORO-NATRICUS. CHLORURETUM AURI ET  
 NATRII. HYDROCHLORAS AURICO-NATRICUS.  
 AURUM MURIATICUM NATRONATUM.

*SAL AURI FIGUIERI.*

*MURIAS AURICO-NATRICUS.*

R. Auri puri partes quatuor.

Solvantur in

Acidi chloro-nitrosi puri sufficiente quantitate.

Haec solutio in balneo aquae ad siccitatem evaporetur.  
 Sic paratus sal misceatur cum

Chlorete natrici puri et decrepitati parte una,

et solvatur in aqua pura, atque in balneo aquae leniter  
 evaporetur ad pelliculam, ita ut loco frigido crystalli  
 fiant, mox siccandae, et loco obscuro, in vase vitreo  
 clauso servandae.

Crystalli sunt tabulares vel prismaticae, rectangulares  
 tetragonae, coloris aurantiaci. In aëre sunt immutabiles,  
 et in aqua facile solvuntur. Aether solvit chloretum  
 auricum, relicto chlorete natrico. Calore funduntur,  
 aquam amittunt, et magis magisque dissolvuntur; relin-  
 quunt aurum purum et chloretum natricum. Plerisque

salis modo indicati dotibus praeditum est, et jam memoratis corporibus anorganicis et organicis decomponitur.

In aqua penitus solvatur, in aëre non mutetur, et ope ignis decompositum aurum purum et chloretum natricum relinquat, quae jam descriptis modis explorentur, ut de salis puritate constet.

*f.* IODETA.

IODETUM KALICUM.

K I<sub>2</sub>.

KALIUM IODATUM. IODETUM KALII. IODURETUM  
KALII. KALI HYDROIODICUM. HYDROIODAS  
KALICUS.

*HYDROIODAS POTASSAE.*

R. Ferri pulverisati depurati partem unam,  
Iodii puri partes quatuor,  
Aquaë destillatae partes sedecim.

Aquaë, in vase ferreo amplo, immittatur iodium et deinde ferrum, quo facto vas claudatur. Post quatuor circiter horas miscela cum spatula ferrea agitetur, sensim ac leniter ebulliat, ita ut ejus color fusco-ruber evanescat. Ebullienti liquori prudenter instilletur

Carbonatis kalici puri solutio,

donec charta exploratoria rubefacta colore coeruleo leviter tingatur. Miscela deinde per quadrantem horae ebullire pergat: Nunc fervidus liquor filtretur, et praecipitatum aqua ebulliente abluatur. Conjuncti liquores in vase por-



cellaneo ad dimidiam voluminis prioris partem evaporentur, et simulac solutio, quae debet esse limpida et non colorata, rubrum chartae exploratoriae colorem in valde coeruleum mutat, caute instilletur

Acidum hydroiodicum dilutum, (1)

donec alcalina reactio non amplius appareat. Liquor tandem leni calore evaporetur, et deinde loco calido ponatur, ut crystalli concrecant, quae ope chartae bibulae siccandae et lagena clausa servandae sunt. Iterata denuo evaporatione leni calore e residuo etiam liquore crystalli fiant. Ubi satis magna lixivii copia relinquatur, haec servetur et adhibeatur, si velis, in sequenti hujus salis praeparatione.

Crystalli sunt albae, splendentes, pellucidae, cubicae, saporis salsi et austeri. In aëre sicco non mutantur; in valde humido deliquescunt. In aëre temperato duabus tertiis partibus aquae, et alcohole etiam facile solvuntur. Calore satis intenso funduntur, et refrigeratae relinquunt massam crystallinam, splendentem. Intensiore calore in vapores abeunt. Chlorio, bromio, acido sulphurico et nitrico sal dissolvitur, ita ut iodium separetur. Alcalium dotibus prorsus caret. In aqua solutus, admixtione amyli cocti et solutionis chlorici aquosae, colore intense coeruleo tingitur, ac reliquas ioduretorum metallicorum solubilium proprietates chymicas prae se fert.

Iodetum kalicum sit album, ab omni reactione alcalina in curcumae tincturam aut chartam probatoriam rubefac-


---

(1) Acidum hydroiodicum,  $I_2 H_2$ , ad hunc usum paratur, ducendo acidum hydrosulphuricum per aquam, qua continetur pulvis iodii, donec omne iodium disparuerit; calefaciendo liquorem ad expellendum superfluum acidum hydrosulphuricum, et colando solutionem acidi hydroiodici a deposito sulphure.

Breve tempus ante usum praeparetur, quia facile dissolvitur, dum hydrogenii pars sese cum aëris oxygenio jungit, et iodium liberum a reliquo acido solvitur illique colorem fuscum praebet.

tam liberum. Solvatur in alcoholis ponderis specifici 0,85 partibus sex, quo menstruo chloretum kalicum et natri-cum, sulphas, iodas et carbonas kalicus non solvuntur. Admixto acido hydrochlorico puro diluto aut acido acetico, non effervescat. Ab his acidis vel acido tartarico, vel solutione acidi hydrosulphurici colore flavo aut fusco non tingatur. Solutio addito chloreto barytico et acido hydrochlorico non turbetur. Hujus salis puritas hoc etiam explorari potest modo. Solvatur definita portio salis siccati in aqua pura; solutioni addatur solutio nitratis argenticum, quamdiu praecipitatum nascitur; hoc primum aqua et dein ammonia liquida abluatur, donec haec nihil amplius solvat. Nunc prudenter siccati sedimenti pondus definiatur. Decem iodeti kalici partes quatuordecim partes iodeti argenticum praebeant. Quando in sale explorato aderant chloreta, liquor ammoniacalis continebit chloretum argenticum, quod ope acidi nitrici e liquore praecipitari potest, aqua ablui, siccari, fundi et ad ponderis mensuram revocari. Iodetum kalicum igne fusum ne ostendat proprietates alcalinas, quod locum habet, ubi cum nitrate kalico aut natrico commixtum erat.

### IODETUM HYDRARGYROSUM.



HYDRARGYRUM IODATUM. HYDRARGYRUM SUB-  
IODATUM. HYDRARGYRUM HYDROIODICUM  
OXYDULATUM. PROTOIODURETUM HYDRARGYRI.

*MERCURIUS IODATUS FLAVUS. IODURETUM  
HYDRARGYRI.*

R. Iodii puri partes quinque,

Hydrargyri puri partes octo.

In mortario lapideo, adpersis guttis alcoholis, prudenter conterantur, donec in massa leviter humida hydrargyri globuli non amplius conspiciantur, illaque colorem e flavo viridem acceperit. Lavetur cum alcohole calido, donec liquor filtratus acido hydrosulphurico non amplius turbetur. Celeriter siccetur in loco obscuro lenissimo calore, et servetur in lagenâ clausa et nigra, ita ut a lumine dissolvi nequeat. Non major quam unius unciae portio simul praeparetur.

Pulvis est e viridi flavescentis coloris. In aqua aut alcohole non solvitur. Leni calore rubrum accipit colorem, qui refrigeratione denuo fit flavescentis. Intensiore calore funditur et in vapores convertitur. Lumini expositus colore mutatur et nigrescit. Alcalibus, sulphuretis et carbonatibus alcalium dissolvitur. Ope acidi nitrici calefacti decompositus chymicas notas iodii et hydrargyri exhibet. Quando cum sulphate kalico acido commixtus in tubo vitreo caloris vi admovetur, vapores iodii violacei conspiciuntur.

Calefactus sal totus in vapores mutetur, sed acidi hypnitrici vapores non percipiuntur.

## IODETUM HYDRARGYRICUM.

Hg I<sub>2</sub>.

HYDRARGYRUM BIIODATUM. ACIDUM IODOHYDRARGYRICUM. HYDRARGYRUM PERIODATUM.

MERCURIUS IODATUS RUBER. IODIDUM HYDRARGYRI. DEUTO-IODURETUM HYDRARGYRI.

R. Chloreti hydrargyrici partes octo ;

Aquae purae calidae partes centum et triginta.

Misceantur, et sale hydrargyri soluto, filtretur liquor.  
Solvantur in altero vase

Iodeti kalici puri partes decem,

in

Aquae purae partibus triginta,

et filtretur haec solutio, ubi non satis est limpida. Ambae solutiones simul effundantur in vas vitreum, et miscela strenue agitetur cum spatula vitrea. Pulvis depositus in filtro aqua pura abluatur, donec haec non amplius aliquid solvat, id est, nitratis argentici solutionem non amplius turbet, et bene siccatus et in pulverem contritus in vase vitreo clauso servetur.

Pulvis est scarlatini coloris, nullo odore aut sapore praeditus. Calore facile funditur et colorem flavum accipit. Intensiore calore sublimatur, ac format tabulas rhombicas flavas, quae contritae scarlatinum colorem denuo accipiunt. In aqua non solvitur, sed in acidis, alcalibus et solutionibus iodetorum metallicorum, chlreti natrici, ammonici, hydrargyrici, salium hydrargyricorum, alcohole praecipue ebulliente, solubilis est. Acido nitrico decomponitur, ita ut hydrargyri connubiorum et iodii notae chymicae facile appareant.

Plane solvatur a solutione chlreti hydrargyrici et iodeti kalici, atque calore penitus avolet.

## IODETUM FERROSO-FERRICUM.

FERRUM IODATUM. FERRUM HYDROIODICUM  
OXYDULATUM.

*HYDROIODAS OXYDULI FERRI.*

*IODURETUM FERRI.*

- R. Ferri pulverisati depurati partem unam ;  
Aquae destillatae partes quinque ;  
Iodii puri partes quatuor.

Misceantur ferrum et aqua in vase ferreo. His per vices addatur iodium, et miscela agitetur cum spatula ferrea et digeratur, ita ut liquor colorem viridescentem accipiat.

Nunc solutio quam citissime filtretur, et in residuum pulverem pauca aqua infundatur, et limpidus liquor in vase porcellaneo statim et quam brevissimo tempore evaporetur ad siccitatem. Massa residua in lagenula optime clausa servetur.

Massa est compacta, e viridi nigrescentis coloris et saporis styptici. Aquam ex aëre attrahit et deliquescit. In tubo vitreo calefacta vapores violaceos iodii ostendit. In aqua facillime solvitur, quae solutio aëre celeriter mutatur, ita ut e flavo fuscum accipiat colorem, connubium basicum deponatur, et in solutione iodetum ferricum remaneat. Solutio in aqua refert salium ferroso-ferricorum et iodetorum proprietates chymicas, ita ut v. c. solutione carbonatis kalici praebeat sedimentum leviter viride, quod in aëre magis viridi deinde fusco colore tingitur, et liquor a praecipitatis partibus filtri auxilio separatus omnes iodeti kalici notas jam descriptas praebeat. Solutione chloreti hydrargyrici admixtâ praecipitatum rubrum exhibet. In

alcohole etiam solvitur. Jam indicata decompositio in hoc etiam sale observatur, ubi siccus aëris nullam humiditatem habentis vim experitur, nec minus tunc iodii odor percipitur.

Facta solutione aquosa, non nisi pars exigua insoluta maneat, nec solutio ipsa ab initio fuscum colorem referat. Sal ab aëre multum mutatus rejiciatur.

*g.* CYANETA.



CYANETUM KALICUM.

K Cy<sub>2</sub>.

CYANURETUM KALII. KALI HYDROCYANICUM. KALI BORUSSICUM. CYANETUM KALII. HYDROCYANAS SEU PRUSSIAS KALICUS. CYANIDUM KALII.

*PRUSSIAS POTASSAE. CYANURETUM POTASSII.*

R. Hydratis kalici recens praeparati partem unam; Alcoholis, cujus pondus specificum est 0,834, partes tres.

Commisceantur in lagena vitrea, quae hac miscela fere tota impleatur, et aliquoties agitentur. Altero die solutio alcoholica celeriter filtretur in lagenam, parvo orificio instructam, et deinde in aqua frigida aut glacie apte ponendam. In lagenam immergatur, ita ut infra liquoris superficiem descendat, tubus vitreus, angulo recto flexus, et antea rite conjunctus cum retorta vitrea tubulata, et in balneo arenae posita. Haec contineat

Cyaneti kalico-ferrosi, in pulverem redacti, partes duas;  
Aquae partes duas et dimidiam.

In retortae tubulo positus sit tubus securitatis, qui dicitur, per quem in illam infundatur miscela frigida, facta ex

Acidi sulphurici puri parte una et dimidia,  
Aquae parte una et dimidia.

Calore primum leniore applicato, et deinde aucto, ita ut massa in retorta vix ebulliat, gas acidi hydrocyanici in hydratis kalici solutionem alcoholicam ducatur, habita cura ne haec nimis calefiat. Simulac ad finem operationis major aquae, quam acidi hydrocyanici copia e retorta expellitur, haec cum tubo anoveatur, lagena claudatur, et per aliquot horas in aqua frigida aut glacie, loco frigido ponatur. Massa crystallina deinde ex lagena filtro imponatur, ita ut liquor quam celerrime a sale residuo stillet, qui parva alcoholis, cujus pondus specificum non infra 0,834 est, portione humectetur. Quam primum effluxerit alcohol, massa salina inter chartam bibulam premenda est, et quam citissime siccanda ope lapidis figulini antea modice calefacti. Pulvis bene siccatus servetur in lagena optime clausa.

Pulvis est crystallinus, albus, saporis austeri, alcalini, et amygdalarum amararum saporis non absimilis. In aëre humido deliquescit. In aqua facile solvitur, quae solutio acido carbonico, quod aëri inest, quam facillime dissolvitur, et tunc odorem spargit acidi hydrocyanici. Eadem fiunt, ubi in aëre deliquescit. Minore quantitate in alcohole solvitur. Acidis dissolvitur, expulso acido hydrocyanico. Calore funditur ac praebet humorem limpidum, non coloratum, et calore intensiore in aëre ita

decomponitur, ut cyanas kalieus nascatur. Salis solutio in vase elauso servata post breve tempus jam dissolvitur. Si ejus solutio in aqua sola, sed praesertim addito hydrate kalieo evaporatur, gas ammoniae expellitur, et formias kalieus relinquitur, ita ut solutio in aëre evaporata praebet miscelam cyaneti, carbonatis et formiatis kaliei. In aqua solutus vel admixta solutione sulphatis ferroso-ferriei, praebet sedimentum intense coeruleum. Igne fusus et lente refrigeratus aut etiam ex aleohole in crystallos cubicas eonerescit.

Additis acidis dilutis, aut non aut parum effervescat. Solutio in aqua sit limpida, minime flava, et sal igne eandens minime nigrescat.

### CYANETUM ZINCICUM.



ZINCUM CYANATUM. ZINCUM HYDROCYANICUM.

ZINCUM BORUSSICUM. HYDROCYANAS OXYDI

ZINCI. HYDROCYANAS ZINCI.

*PRUSSIAS ZINCI. CYANURETUM ZINCI.*

R. Zinci puri quantum volueris.

Solvatur ope caloris in

Acido acetico destillato.

Addatur solutioni limpidae et acidae

Acidum hydrocyanicum purum dilutum,

quamdiu sedimentum album nascitur. Hoc deponatur, aqua destillata abluatur, inter chartam bibulam pressione et deinde lenissimo calore siecetur. In lagenâ elausa servetur.


Pulvis est albissimus, neque odore neque sapore prae-



ditus. In aqua aut alcohole non solvitur. Solubilis vero est in ammonia liquida, et in acidis sulphurico et hydrochlorico, parva aquae copia dilutis, solvitur, dum acidi hydrocyanici odor percipitur. Solutiones sic formatae omnes salium zincicorum notas chymicas praebent. Calore satis intenso dissolvitur.

Cum acidis non effervescat, et acido sulphurico diluto addito non emittat odorem acidi hydrosulphurici. Solutio in ammonia liquida a phosphate natrico non turbetur. Acido hydrochlorico solvatur, liberato acido hydrocyanico, et solutio, additis carbonate ammonico et solutione acidi hydrosulphurici, praebet sedimentum album.

### CYANETUM FERRICO-FERROSUM.



FERROCYANIDUM FERRI. FERRUM HYDROCYANICUM OXYDO-OXYDULATUM. HYDROCYANAS FERROSO-FERRICUS. DEUTO-CYANURETUM FERRI. PROTO-ET SESQUI-CYANURETUM FERRI. DEUTO-CYANURETUM FERRI HYDRATUM. FERRUM BORUSSICUM.

*PRUSSIAS FERRI. COERULEUM PARISIENSE.*

*COERULEUM BEROLINENSE.*

R. Chloreti ferrici solutionis quantum volueris,  
Aqua destillatae partes viginti.

Misceantur et filtrentur, si requiritur, et huic miscelae prudenter instilletur

Solutio cyaneti kalico-ferrosi,

quamdiu sedimentum coeruleum nascitur, habita cura ne

posterioris salis major quantitas, quam requiritur, addatur. Sedimentum aqua abluatur, donec haec nihil amplius solvat; porro siccetur, in pulverem tenuissimum conteratur, et in lagena clausa servetur.

Est pulvis intense coerulei coloris, neque odore neque sapore praeditus. In aqua, alcohole et acidis dilutis non solvitur. Acido nitroso-nitrico et acido hydrochlorico dissolvitur; ab acido hydrosulphurico colorem accipit album; qui in aëre in coeruleum denuo mutatur. Alcalia hujus salis colorem destruunt, eorumque actione ferrato-cyaneta et hydras ferricus nascuntur. Dissolvitur etiam carbonatibus, sulphuretis alcalinis, oxydo hydrargyrico hujusque salibus. Carbone candente incenditur, candet et oxydum ferricum relinquit.

Aqua fervida nihil ex eo solvat. Cum acido hydrochlorico diluto tractatus sal non praebeat liquorem, e quo additione solutionis carbonatis kalici, aut solutione acidi hydrosulphurici, sedimentum quoddam nascatur.

### CYANETUM HYDRARGYRICUM.

Hg Cy<sub>2</sub>.

HYDRARGYRUM CYANATUM. CYANIDUM HYDRARGYRI. HYDRARGYRUM BORUSSICUM.

*PRUSSIAS HYDRARGYRI. CYANURETUM  
HYDRARGYRI.*

R. Acidi hydrocyanici puri diluti quantum volueris.

In lagena vitrea commiscatur et agitetur cum

Oxydi hydrargyrici puri,

in pulverem subtilissimum redacti, ea copia, qua opus

est ad acidi hydrocyanici odorem tollendum. Si non omne oxydum solutum est, et tamen acidi odor etiamnum percipitur, addenda est aqua pura, et liquor denuo agitetur. Saturata solutio filtretur, evaporetur et secundum artis legem in crystallos concreseat, quae siccatae in lagena clausa servantur.


Crystalli sunt albae, pellucidae, aut opacae, aciculares, tetra- aut hexa-gonales, prismaticae, nullius odoris, sed saporis austeri, metallici; aquam non continent. In aëre non mutantur. In octo partibus aquae solvuntur, in aqua fervida multo magis sunt solubiles; parum solubiles sunt in alcohole. In tubo vitreo calori admotae nigrescunt ac praebent gas cyanogenium. In aëre ignitae penitus in vapores mutantur. In acido nitrico et sulphurico solvuntur, sed his non decomponuntur; verum solutio in aqua ab acidis hydrochlorico, hydroiodico et hydrosulphurico dissolvitur, ita ut acidum hydrocyanicum et chloretum, iodetum et sulphuretum hydrargyricum nascantur. Ab alcalibus sal non decomponitur. Chlorcti stannosi solutione ex eo acidum hydrocyanicum evolvitur, et hydrargyrum deponitur.

Crystalli sint albae, minime flavescetes, neque parvae aciculares. Solutio in aqua sit limpida, non colorata, et additis solutione hydratis kalici et deinde acido hydrochlorico non praebat sedimentum coeruleum. Solutio in aqua minime ostendat notas chymicas alcalium, neque solutione hydratis kalici turbetur. In aëre calcinatae crystalli non relinquant oxydum ferricum, sed penitus in vapores convertantur.

## SALES AMPHIGENII.

*h.* OXYSALES.*a.* SULPHATES.

## SULPHAS KALICUS.



KALI SULPHURICUM. SULPHAS POTASSAE.  
TARTARUS VITRIOLATUS. ARCANUM DUPLICATUM.

*SAL POLYCHRESTUS.*

R. Sulphatis kalici venalis, aut illius salis, qui residuus est post destillationem acidi nitrici e nitrate kalico et acido sulphurico, quantum volueris.

Solvatur in aquae fervidae sufficiente copia, et exploretur solutio sulphatis kalici venalis, additione solutionis carbonatis kalici et acidi hydrosulphurici, an forte sales metallicos aut terrarum contineat. Ubi in solutione salis deteguntur, prudenter huic addatur solutio carbonatis kalici; liquor filtretur et evaporatione atque refrigeratione in crystallos concreseat.

Sulphas kalicus acidus post destillationem acidi nitrici in retorta relictus aqua solvatur, et solutioni addatur carbonatis kalici, quantum requiritur ad saturationem. Filtretur solutio et evaporetur, ut crystalli fiant.

Crystalli uno alterove modo acquisitae aquae fervidae

portione quintupla denuo solvantur, et nova crystallisatione purgentur.

Hujus salis crystalli variam exhibent formam, prout lenta aut celeriore evaporatione et ex majore minorive solutionis portione concreverint. Sunt irregulares, parvae et concretæ, aut rhombicæ prismaticæ, plerumque imperfecte hexagonales prismaticæ, quatuor planis terminatæ. Pellucidæ sunt, albæ, saporis salsi et leviter amari. In aëre non mutantur; igne aliquantulum decrepitant, et intensiore fluunt, sed non decomponuntur. Solito aëris calore decem aquae partes, aquae ebullientis vero quatuor partes ut solvantur, postulant. Ab alcohole non solvuntur. Solutio in aqua a solutionibus salium baryticorum, calcicorum, plumbicorum, et acidi tartarici praecipitatur; postremum sedimentum prae se fert habitum crystallinum.

In aqua penitus solvatur; haec solutio sit limpida, neque alcalium neque acidorum notis instructa, et additione solutionis acidi hydrosulphurici, nitratis argentici, carbonatis kalici, et cyaneti kalico-ferrosi non turbetur, neque colorem fuscum, nigrum aut coeruleum accipiat.

### SULPHAS NATRICUS CUM AQUA.



NATRUM SULPHURICUM. SULPHAS SODAE.

#### *SAL MIRABILIS GLAUBERI.*

- R. Sulphatis natrici venalis, sive salinae massae post distillationem acidi hydrochlorici, aut sublimationem chloreti ammonici e sulphate ammonico et chloreto natrico, residuae, quantum volueris.

Solvatur in aqua, et eodem modo exploretur, ac sul-

phas kalicus, an alios sales metallicos contineat, et si opus est, purgetur et saturetur solutione carbonatis natrici; deinde coletur et evaporetur, donec gutta, corpori frigido immissa, in spiculas crystallinas concreseat; deinde loco frigido ponatur, ut crystalli fiant, quae nova solutione et crystallisatione purgentur, in charta siccentur et in vase clauso serventur.

Crystalli sunt prismaticae rhombicae obliquae, aut prismaticae irregulariter hexagonales, striatae, duobus, quatuor aut sex planis terminatae, limpidae, pellucidae, saporis refrigerantis, salsi et leviter amari. In aëre sicco aquam crystallisationis amittunt, et pulvere albo obteguntur. Leni calore in aqua, quam continent, solvuntur, hanc dein expellunt, et massa alba, dura, sicca et anhydra intensiore calore fluit, sed non decomponitur. Crystalli aqua solutae excitant frigus, sal anhydrus contra excitat satis magnum caloris gradum, dum solvitur. A tribus partibus aquae, in aëre temperato, solvuntur, sed a minori quam tertia parte aquae, ubi calor aëris denotat  $+ 33^{\circ}$ . Supra hunc gradum calore crescente, solubilitas hujus salis imminuitur. In alcohele non solvitur. Solutio in aqua habet proprietates chymicas salium sulphuricorum, in articulo superiore indicatas, sed ab iis connubiis chymicis, quibus sales kalici praecipitantur, eodem modo non afficitur.

Cum hydrate kalico tritus sal ammoniam non expellat. In aqua penitus solvatur, et solutio sit neque acida neque alcalina; et ab acido hydrosulphurico, alcalibus, carbonate natrico, oxalate ammonico, cyaneto kalico-ferroso et nitrate argentario non praecipitetur. Igne neque ammoniam neque acidum sulphuricum dimittat.

## SULPHAS MAGNESICUS CUM AQUA.

Mg O, SO<sub>3</sub> + 7 AQ.

SULPHAS MAGNESIAE. MAGNESIA SULPHURICA.

*SAL AMARUS, CATHARTICUS, ANGLICUS,  
EBSAMENSIS.*

R. Sulphatis magnesici venalis quantum vis.

Solvatur in

Aquae fervidae quantum satis.

Ubi ferri salem continet, ope solutionis cyaneti kalicoferrosi detegendum, solutio cum oxydo magnesico coquatur, dum aqua evaporata restituitur. Solutio calida filtretur et in loco frigido seponatur. Separatis crystallis, relictum lixivium denuo evaporetur, donec gutta, corpori frigido instillata, in crystallos concreseat, et rursus seponatur, ut crystalli fiant, quae in charta siccandae et in lagena clausa servandae sunt.

Crystallorum forma varia est, prout lenta, aut celeriore crystallisatione praeparatae sunt. Priore obtinentur crystalli prismaticae recte rhombicae, pellucidae, posteriore autem crystalli minores, aciculares. Sapore praeditae sunt salso, amaro. Leni calore in aqua crystallisationis funduntur, et eo protracto hanc amittunt. Intensissimo calore sal anhydrus funditur, atque parva ejus pars dissolvitur. In aëre vix mutantur, sed lente efflorescunt. In aqua facile, non vero in alcohole solvuntur. Centum partes aquae in aëre 0° solvunt 25,76 partes hujus salis; aquae ebullientis vero 100 partes 73,57 partes solvunt. In solutione concentrata et calida, ope solutionis carbo-

natis kalici, oritur sedimentum albi coloris et satis insigni volumine. Solutio in aqua plantarum colores coeruleos non mutat: a solutione chlreti barytici praecipitatur albo colore, quod sedimentum acido hydrochlorico non solvitur. Addita ammonia liquida, nascitur praecipitatum album, a carbonate ammonico, sed non ab hydrate kalico solvendum. Nitratis cobaltici solutione humectatus sal, flammâ ope tubi ferruminatorii in eum directâ, rosaceo colore tingitur.

In aëre non fiat humidus, et ab aqua totus solvatur. Solutio in aqua diluta ab acido hydrosulphurico, solutione cyaneti kalico-ferrosi, nitratis argentici acidi, oxalatis kalici non praecipitetur; et cum carbonate barytico excedente agitata et deinde filtrata alcalinas proprietates non ostendat, et evaporata non praebeat carbonatem natricum; qua igitur ratione explorandum est, an sulphas magneticus cum sulphate natrico commixtus sit.

### SULPHAS KALICO-ALUMINICUS.



KALI ALUMINOSO-SULPHURICUM. SULPHAS ALUMINAE ET POTASSAE EXSICCATUS. SUPERSULPHAS ALUMINAE ET POTASSAE EXSICCATUS.

*ALUMEN CALCINATUM. ALUMEN SPONGIOSUM.  
ALUMEN USTUM.*

R. Sulphatis aluminico-kalici cum aqua depurati, quantum vis.

In crucibulo capaci leni calori admoveatur, ut ab aqua crystallisationis solvatur. Haec sensim sed prudenter aucto



calore expellatur, eaque expulsa, massa alba et spumosa remaneat.

Sal spongiosus est, levissimus, albus, recens praeparatus insipidus et in aqua insolubilis. Per longum tempus aëris vim expertus in aqua solvitur, et sapore styptico, subdulci, acidulo notatur. Solutione nitratis cobaltici humectatus flammâ ope tubi ferruminatorii in eum ductâ colore coeruleo tingitur. Solutio in aqua chartam coeruleam probatoriam rubro colore inficit, et evaporata loco que frigido posita praebet crystallos octaëdricas, quae omnes jam descriptas sulphatis aluminico-kalici cum aqua proprietates exhibent.

Aëri diu expositus in aqua penitus solvatur, et aluminam ab acido sulphurico privatam non contineat. Solutio aquosa neque ab acido hydrosulphurico neque a solutione cyaneti kalico-ferrosi turbetur, aut vix coloretur.

### SULPHAS CUPRICUS CUM AQUA.



CUPRUM SULPHURICUM. CUPRUM SULPHURICUM  
OXYDATUM.

*CUPRUM VITRIOLATUM. VITRIOLUM CUPRI.*  
*SULPHAS CUPRI.*

R. Acidi sulphurici concentrati partes tres,  
Aquae partem unam.

Immittantur in cucurbitam vitream, in balneo arenae positam. Liquori calefacto per vices addatur

Limaturae cupri puri pars fere una,

donec nova hujus portio a liquore, licet calidissimo, non oxydetur, et acidum sulphurosum non amplius emittatur. Massa superstes solvatur in

Aquae fervidae legitima copia.

Filtretur solutio, ad crystallisationis punctum evaporetur, et loco frigido ponatur, ut crystalli fiant, quae siccandae et in lagena clausa servandae sunt.

Crystalli sunt prismaticae, oblique rhomboïdeae, inaequaliter hexagonales, aut hujus formae varietate quadam insignes, splendentes, pellucidae, colore coeruleo, sapore austero, metallico. Aëri diu expositae pulvere ex albo viridescente obteguntur. Quatuor circiter partibus aquae, in aëre  $+ 15^{\circ}$ , duabus circiter partibus aquae fervidae solvuntur. Solutio coerulei coloris est, et chartam probatoriam coeruleam colore rubro tingit. In alcohole non solvuntur crystalli. Calore satis intenso admoto, primum omnem aquam amittunt, ita ut pulvis albus relinquatur, deinde multum aucto calore, ita ut sal candeat, plane decomponuntur, et oxydum cupricum nigrum relinquunt.

Satis magna ammoniae liquidae copia sal penitus solvatur, ita ut postrema haec solutio, sale cuprico antea cum acido nitrico cocto, oxydum ferricum non relinquat. Solutio in aqua, addita parva acidi sulphurici diluti copia et per eam transmissa acido hydrosulphurico, donec praecipitatum non amplius nascatur, non contineat oxydum zincicum, quod ope carbonatis kalici solutionis praecipitari potest, et ignitum colorem flavum, refrigeratum denuo album accipit. Praeterea, solutione hac cocta cum superflua hydratis kalici solutionis copia, alcalinus liquor filtratus, hydrosulphurico acido addito, non praebeat praecipitatum album sulphureti zinci, aut neuter factus addito acido sulphurico minime ostendat salium zincicorum notas chymicas.

## SULPHAS CUPRICO-AMMONICUS BASICUS.



CUPRUM SULPHURICO-AMMONIATUM. SULPHAS  
BIAMMONICO -CUPRICUS. SULPHAS CUPRI ET  
AMMONIAE. CUPRUM AMMONIACUM. CUPRUM  
AMMONIATUM.

*SULPHAS CUPRO-AMMONIACALIS.*

R. Sulphatis cuprici puri, in pulverem tenuissimum  
redacti, quantum vis.

In lagena vitrea huic addatur, sub strenua agitatione,

Ammonia liquida concentrata,

donec sal cupricus sit solutus. Solutio filtretur in vas  
vitreum cylindricum altum et angustum, et ad cylindri  
margines per tubum vitreum, parvo orificio instructum,  
prudenter instilletur

Alcoholis rectificatissimi portio, quae solutionis  
duplex est,


ita ut supra solutionem ammoniacam fluat, et cum ea non  
commisceatur. Vas vitreum claudatur neque moveatur.  
Post aliquot dies, quando liquores commixti sunt, sal  
crystallisatus e liquore sumatur, inter chartam sine calore  
artificiali celeriter siccetur et in lagenula bene clausa  
servetur.

Crystalli sunt prismaticae, rhombicae, oblique tetragonae,  
angulis obtusis truncatis, et planis duobus terminatae. E

liquore concusso concretæ multo minores sunt et aciculares. Colorem splendide et intense coeruleum prae se ferunt. Saporem habent acerbum metallicum. Sesquialtera aquae frigidae parte solvuntur, quae solutio cum multa aqua diluta turbatur. In alcohole non solvuntur. Solutio in aqua notis alcalinis distinguitur. In aëre ammoniam amittunt et in pulverem viridem mutantur, quod praesertim in crystallis minoribus observatur, dum majores crystalli multo lentius sic dissolvuntur. Lenissimo calore facile decomponuntur; ammoniam partim amittunt, et qui superest sal omnes habet salium sulphuricorum, ammoniorum et cupricorum notas chymicas. Ubi cum oxydo calcico et parva aquae copia conteruntur, ammoniam emittunt.

Cum acidis sal non effervescat, maculae virides in eo non conspiciantur, caeterasque indicatas dotes possideat.

### SULPHAS ZINCICUS CUM AQUA.



ZINCUM SULPHURICUM. SULPHAS ZINCI.

### VITRIOLUM ALBUM.

R. Zinci depurati, in frustula redacti, quantum vis.

Solvatur in


Acidi sulphurici puri diluti, quantum satis,

ita ut acidum saturatum sit, et parva zinci copia insoluta in liquore remaneat. Solutio filtretur, evaporetur et loco frigido ponatur, ut fiant crystalli, quae siccentur et in lagena clausa serventur. E residuo liquore evaporatione denuo crystalli obtineantur.

Crystalli sunt prismaticae, rhomboidales tetragonae, quatuor planis convergentibus acuminatae, compressae et truncatae, limpidae, pellucidae, non coloratae; aut prismaticae irregulares, aciculares, hexa- aut octa-gonae. Nullo odore, sed sapore adstringente, austero et metallico praeditae. In aëre lentissime fatescunt, in sicco aëre aquae partem amittunt, et in pulverem album mutantur. In solito aëris calore aquae duas partes requirunt, ut solvantur, aquae vero ebullientis circiter tres quadrantes partes. In alcohole non solvuntur. Solutio in aqua addita chlreti barytici solutione albo colore praecipitatur, et praeterea ammoniae auxilio neutra facta, admixto acido hydrosulphurico, cyaneto kalico-ferroso aut hydrate kalico, sedimentum album praebet. Solvuntur solutione hydratis kalici puri et carbonatis ammonici. Leni calore jam in aqua, cui formam crystallinam debent, solvuntur, quam autem fere omnem amittunt igue aucto; hoc ad rubedinem diu protracto et valido, totus sal dissolvitur.

Solutio hujus salis in aqua sit limpida et non colorata. Additis aliquot guttulis acidi sulphurici puri diluti et deinde acido hydrosulphurico minime praebat sedimentum sive flavum sive fuscum. In altera solutionis parte, instillata cyaneti kalico-ferrosi solutione, praecipitatum coerulei coloris minime formetur. Admixta hydratis kalici solutione, sedimentum album nascatur, quod in aëre colore non mutetur, quod autem in praevalente solutione hydratis kalici omne sit solubile.

## SULPHAS CADMICUS CUM AQUA.



## CADMIUM SULPHURICUM.

*SULPHAS CADMI.*

R. Cadmii puri, quantum velis.

Solvatur in

Acidi nitrici puri, sex partibus aquae diluti,  
quantum sufficit.

Filtretur solutio, eique addantur

Aquae purae partes quinque,

et instilletur

Carbonatis kalici puri solutio

diluta, donec praecipitatum album non amplius oriat. Hoc praecipitatum, aquâ strenue ablutum, ita ut haec pura defluat, solvatur in

Acidi sulphurici puri diluti sufficiente quantitate,


ita ut solutio saturata sit. Haec, ubi opus est, filtretur et evaporetur ad pelliculam, et frigoris auxilio in crystallos cogatur. Evaporatio toties repetatur, quoties crystallos formantur, quae inter chartam siccentur et in lagena clausa servantur.

Crystallos sunt prismaticae, recte rhombicae, hyalinae, non coloratae, saporis austeri metallici. Aëre lentissime

fatescunt. Calore aquam facile amittunt, sed in aqua crystallisationis non solvuntur. Igne intensiore partim dissolvuntur. In aqua facile solvuntur; quae solutio addita chlreti barytici solutione praecipitatur albo colore, et additione ammoniae liquidae praecipitatum album praebet, in ammonia liquida solubile; a solutione cyaneti kalico-ferrosi colore ex albo leviter flavescente, et ab acido hydrosulphurico colore intense flavo praecipitatur. E solutione in aqua ope zinci cadmium reducitur. Supra carbonem ope tubi ferruminatorii sic dissolvitur, ut non fluat, sed acidum sulphurosum emittat, et pulvis fuscus relinquatur.

Solutio in aqua sit limpida. Quando huic primum aliquot guttulae acidi sulphurici puri diluti et deinde acidum hydrosulphuricum adduntur, ita ut hoc praevaleat, liquor filtratus evaporatione ne minimam quidem salis cujusdam portionem relinquat, et praecipitatum flavum, filtratione a liquore separatum, in ammonia liquida prorsus sit insolubile.

### SULPHAS FERROSUS CUM AQUA.



FERRUM SULPHURICUM OXYDULATUM. SULPHAS  
OXYDULI FERRI.

*SAL MARTIS. VITRIOLUM VIRIDE. VITRIOLUM  
MARTIS. SULPHAS FERRI.*

R. Limaturae ferri, quantum velis.

Per vices immittatur in cucurbitam vitream, continentem

Acidi sulphurici puri, quantum satis,  
Aquae quadruplo diluti.

Simulac effervescencia cessaverit, liquor digeratur in balneo arenae, ita ut ultima ferri pars insoluta remaneat in solutione ebulliente. Hacc filtretur in lagenam, in quam antea acidi sulphurici diluti puri guttae nonnullae instillatae sunt, et liquor filtratus agitetur. Solutio evaporctur et in vasc tecto, loco frigido, ponatur, ut in crystallos concreseat, quae in charta bibula solito aëris calore siccentur et in lagena optime clausa serventur.

Crystalli sunt prismaticae rhomboidcae, aut truncatae, aut tetragonaliter acuminatae, aut harum formarum varietate quadam praeditae, hyalinae, coloris e coeruleo viridescens et saporis aciduli, styptici. In aëre lente fatescunt, et pulvere albo, mox flavescente et deinde fusco obteguntur. Calore + 15° in 1,43 parte aquae, et 0,30 parte aquae ebullientis solvuntur, colore e viridescente coeruleo. In alcohole non solvuntur. Chartam exploratoriam coeruleam rubro colore tingunt. Leni calore in aqua crystallisationis solvuntur, quam deinde amittunt, ita ut pulvis albus relinquatur. Intensiore calore sal colorem flavum ac deinde fuscum accipit; candens acidum sulphuricum amittit, et oxydum ferricum, cui aliquid acidi adhacret, relinquit. Solutio in aqua oxygenium ex aëre lente attrahit, attamen, ubi acidi sulphurici guttulae in praeparatione non admixtae fuerint, multo celerius illud arripit, loco fuscii coloris, rubro colore tingitur, et deponit pulvcrem flavum, sulphatcm ferricum basicum. Solvit magnam oxydi azoti copiam et nigrescentem accipit colorem. Exhibet omnes salium sulphuricorum notas chymicas. Solutio cum alcalibus, aut carbonatibus alcalinis commixta praebet sedimentum album, quod in aëre mox viridem, deinde fuscum accipit colorem. Opc phosphatis natrici et cyancti kalico-ferrosi albo colore praecipitatur,



quod praecipitatum in aëre coeruleum assumit colorem.

Solutio hujus salis cum addita ammoniae liquidae abundante quantitate calefacta in vitro aperto, liquorem filtratum coerulescentis coloris non praebeat. Minima vero cupri admixti portio detegi potest eo, ut liquori ammoniacali filtrato et acido sulphurico puro neutram naturam adepto addatur solutio cyaneti kalico-ferrosi; tunc enim colore e rubro fusco tingitur, aut praecipitatum indicati coloris ostendit. Solutio in aqua ab acido hydrosulphurico non nigrescentem colorem accipiat, et si animadvertatur, ille color post additionem acidi sulphurici puri statim evanescat. Altera liquoris ammoniacalis filtrati pars post evaporationem minime relinquat pulverem album, qui intensiore calore flavo colore tingitur.

### SULPHAS FERROSUS.

Fe O, SO<sub>3</sub>.

### SULPHAS FERRI EXSICCATUS.

*VITRIOLUM AD ALBEDINEM CALCINATUM.*

*FERRUM VITRIOLATUM EXSICCATUM. CALX*

*VITRIOLI ALBA. VITRIOLUM MARTIS*

*EXSICCATUM.*

R. Sulphatis ferrosi puri cum aqua, quantum vis.

In vase porcellaneo caloris lenioris vim experiatur, ut liquefiat; tunc continuo agitetur et quam citissime in massam albam et siccissimam commutetur, quae in vitro bene clauso servetur.

Materies alba est, sicca, saporis aciduli, adstringentis. Lentius ab aqua solvitur, quam sulphas ferrosus cum

aqua, et parvam sulphatis ferrosi basici portionem insolutam relinquit. Solutio est coloris intense viridescens, quae alcalibus instillatis praecipitatum viridescens, cyaneto kalico-ferroso sedimentum coerulescentis coloris praebet. Caeterum notis salium sulphuricorum et jam descriptis salis ordine praegressi proprietatibus distinguitur.

Minime sit flavi aut fusci coloris, et ammonia liquida aliisque connubiis reagentibus eodem modo exploretur, ac sulphas ferrosus cum aqua.

b. NITRATES.

~~~~~

NITRAS KALICUS.

KO, N₂ O₅.

NITRAS KALI. NITRAS POTASSAE DEPURATUS.

KALI NITRICUM. NITRUM DEPURATUM.

R. Nitrat^{is} kalici venalis, quantum velis.


Solvatur in aqua ebulliente, donec haec nihil amplius solvat. Solutio statim filtretur et cum bacillo vitreo agitur, donec refrigerata sit, ac pulvis salinus non diutius deponatur. Lixivium a massa salina separetur, quae in filtrum linteum ingeratur, et defluxione et pressione a reliquo lixivio, quantum fieri possit, accurate liberetur. Iterum in aqua ebulliente ad plenam saturationem usque solvatur, et eodem modo tractetur ac antea, quod cum tertia vice peractum fuerit, sal leni calore siccetur et ad usum servetur. Superstite satis magna lixivii copia, ebullitione, refrigeratione, agitatione, et reliqua descripta

methodo, ex eo massa crystallina denuo obtineri potest, quae eodem modo purgetur.

Sal est crystallinus, pulverulentus, albus, siccus, splendens, saporis salsi, refrigerantis. In aëre non mutatur. 100 partes aquae, calore + 15°, solvunt 30 partes salis; 100 partes vero aquae ebullientis solvunt 236 partes salis. In spiritu vini parum solvitur. Ubi solutio fit in aqua, nascitur frigus. Calore funditur, et massa refrigerata structuram radiatam ostendit. Intensiore calore dissolvitur, et gas oxygenium mox etiam cum azoto conjunctum expellitur. Cum corporibus inflammabilibus commixtus sal, igne admoto, illorum combustibilem naturam auget; multo majori vi tunc illa comburuntur et quaedam detonant. Addita parva acidi sulphurici copia, calore acidi nitrosotrici vapores ex eo expelluntur. Ope solutionis concentratae acidi tartarici e solutione hujus salis pulvis crystallinus, tartras kalicus acidus, deponitur.

Nitras kalicus sit albus, siccus, in aëre immutabilis, et neque alcalinas neque acidas dotes declaret. Ejus solutio in aqua sit limpida et non colorata. In ea neque solutione nitratis barytici, neque carbonatis kalici solutione sedimentum nascatur; a nitratis argentici solutione aut non, aut leviter tantum lactescat. Ab acido hydrosulphurico non coloretur.

NITRAS ARGENTICUS.



ARGENTUM NITRICUM. NITRUM ARGENTI.

NITRAS ARGENTI.

R. Argenti puri, quantum vis.

Immittatur in cucurbitam vitream, eique addatur

Acidum nitricum purum, duabus aquae partibus dilutum, quantum sufficit

ad solutionem saturatam. Fiat solutio leni calore, et liquor evaporetur, si opus est, filtretur et in loco frigido et obscuro ponatur, ut fiant crystalli, quae inter chartam bibulam siccentur, iterata solutione et crystallisatione depurentur, et siccatae in lagena clausa nigra serventur. Residuus liquor denuo evaporetur, donec crystallos non amplius praebeat, eodem modo depurandas, siccandas, servandas.

Crystalli sunt rhomboideo tabulares, tetra-vel hexagonae, plerumque irregulares, non coloratae, limpidae, pellucidae, sapore nauseoso, amaro, metallico. Aëre solo non mutantur, sed luce solari celeriter nigro colore tinguntur; quem colorem etiam organicis corporibus, accedente luminis actione, citissime tribuunt. Aequali circiter aquae destillatae frigidae, multo minore fervidae copia solvuntur; quae solutio limpida est et non colorata. In alcohole etiam sunt solubiles. Calore funduntur, et refrigerata massa alba est et radiatae ac crystallinae structurae. Intensiore calore dissolvuntur, argento separato. In carbonem positae, flammâ ope tubi ferruminatorii in illas ductâ, scintillas producunt et globulus splendens argenti remanet. Cum corporibus inflammabilibus igne admoto detonant.

Sal ab aqua penitus solvatur. Solutio sit limpida, non colorata, et ab addita ammonia liquida colorem coeruleum non accipiat. Addito acido hydrochlorico puro abundante, liquor a sedimento filtratione separatus non coloratus sit, evaporatione totus in vapores abeat, et nullam ideo materiam solidam relinquat, neque ab acido hydrosulphurico aut ammonia liquida, aut solutione cyaneti kalico-ferrosi coloretur vel turbetur.

NITRAS ARGENTICUS FUSUS.

Ag O, N₂ O₅.

ARGENTUM NITRICUM FUSUM. NITRAS
ARGENTI FUSUS.

CAUSTICUM LUNARE. LAPIS INFERNALIS.

R. Nitrat̄is argent̄ici pur̄i, quantum vis.


Immittatur in crucibulum porcellaneum, et ope lampadis, quae alcohole alitur, leni calore liquefiat, dum baculo argenteo agitetur, et sic caloris vim experiatur, donec omnis ebullitio sit finita, et per brevissimum temporis spatium quiete fluat. Curandum est, ne nimio calore sal nimis dissolvatur. Effundatur deinde in modulos aeneos, parum antea calefactos, ut bacilla formentur, quae in lagena vitrea nigra serventur.

Bacilla sunt cinerei coloris, structurae intus radiatae, ita ut radii e centro oriantur. In luce nigrescunt. In aqua non penitus solvuntur, sed admodum parva insoluta remanet copia pulveris, nigrescente colore praediti, qui ab acido nitrico puro statim solvitur. Caeterum habet salis ante indicati proprietates.

Nitras argenticus fusus eodem modo exploretur, quo nitratem argenticum crystallinum explorari monuimus. Nigrum colorem minime referat. Nitratem kalicum non contineat, qui solutione salis argentici in aqua, praecipitatione ab acido hydrochlorico puro abundante, filtratione et evaporatione inveniri poterit, vel etiam post decompositionem ope ignis intensioris; tunc enim non solum argentum, sed etiam massa salina, alcalinis proprietatibus distincta remanet. Improbentur bacilla albissima, admodum fragilia, e nitrate argentico non fuso, aut per brevius

tantum tempus vim ignis experto confecta; rejiciantur etiam, in quibus ope ammoniae oxydum cupricum est repertum. Sedimentum, quod e solutione concentrata ab addito acido hydrochlorico puro nascitur, in ammonia liquida penitus solvatur; neque insolutum relinquatur chloretum plumbicum, quo relicto apparet nitratem argenticum continere nitratem plumbicum.

NITRAS HYDRARGYROSUS CUM AQUA.



HYDRARGYRUM NITRICUM OXYDULATUM.

MERCURIUS NITROSUS.

*NITRAS PROTOXYDI HYDRARGYRI. NITRAS
OXYDULI HYDRARGYRI.*

- R. Hydrargyri puri,
Acidi nitrici puri, cujus pondus specificum est
1,30-1,33, partes aequales.


Commisceantur in vase vitreo, fundo plano instructo, et ponatur vas in aqua frigida, loco temperato. Secundo aut tertio die massa crystallina e liquore eximatur, atque ingeratur in infundibulum, et admodum parva acidi nitrici puri portione layetur. Pressione inter chartam bibulam statim accurate siccetur, et in lagena bene clausa servetur.

Crystalli sunt parvae, irregulares, plerumque lamellares, nonnumquam prismaticae, albae, sapore austero, metallico. Ab aqua pura solvuntur; majori addita aquae copia dissolvuntur, et sal basicus albus deponitur, sale acido in ea soluto. Ab aqua vero, cui parva acidi nitrici

copia est addita, totae facilius solvuntur. Cum candentibus corporibus flammae alendae aptis commixtae combustionem cum strepitu quodam quam maxime augent ac promovent. Solutio in aqua ab alcalibus et ab acido hydrosulphurico statim nigro colore, ab acido hydrochlorico aut solutione chlreti natrici albo colore, et solutione iodeti kalici colore e viridi flavescente, praecipitatur. A cupro aut chlreto stannoso hydrargyrum ex hoc sale reducitur.

Nitras hydrargyrosus minime sit flavescens coloris; solutus prudenter addita ammonia liquida praebeat sedimentum nigrum. In ejus solutione filtratione a praecipitato albo separata, orto addita praevalet solutione chlreti natrici, hydras kalicus minime novum praecipitatum flavescens coloris producat. Cum chlreto natrico triturratus miscelam albi et minime nigrescentis coloris praebeat.

NITRAS HYDRARGYROSO-AMMONICUS BASICUS.



NITRAS AMMONICUS CUM OXYDO HYDRARGYROSO.

HYDRARGYRUM AMMONIATO-NITRICUM OXYDULATUM BASICUM. OXYDULUM HYDRARGYRI SALINUM. HYDRARGYRUM OXYDULATUM NIGRUM. PROTOXYDUM HYDRARGYRI NITRICO-AMMONIACALE.

PROTO-NITRAS AMMONIACALIS MERCURIALIS.

MERCURIUS SOLUBILIS HAHNEMANNI.

R. Nitratibus hydrargyrosi cum aqua puri et recenter praeparati partem unam.

In mortario lapideo aut vitreo in pulverem tenuissimum teratur, et huic addantur

Aquae purae partes octo ;
Acidi nitrici puri tot guttulae , quot

opus est , ut inter diligentem et celerem agitationem plane solvatur. Solutio immittatur in lagenam vitream , et huic addantur

Aquae purae partes duae ,

quibus mortarium adhibitum ante elotum est. Huic solutioni aquosae , satis strenue agitandae , infundatur miscela , facta ex

Ammoniae liquidae , cujus pondus specificum est
0,96 , parte dimidia ,

et

Aquae purae partibus quatuor.

Lagena statim claudatur et strenue concutiatur , liquor quam citissime a pulvere nigro fundatur , qui cum aqua pura commixtus coletur , aqua pura lavetur , inter chartam bibulam , loco obscuro , solito aëris calore siccetur , et in lagena nigra ac bene clausa loco frigido servetur.

Pulvis est subtilis , nigerrimi coloris , nullo odore aut sapore praeditus. Ab aqua non solvitur. Cum acido nitrico diluto , aut acido nitrico concentrato frigido commixtus fere tertia pro parte in pulverem album in aqua insolubilem mutatur. Acidum sulphuricum concentratum cum eo commissum destillatione acidum nitricum et hypnitricum expellit , relicto pulvere albo. Ab acido hydrochlorico diluto ita dissolvitur , ut insolutum remaneat chloretum hydrargyrosus. Ab acido hydrochlorico concentrato ebulliente solvitur , et haec solutio limpida est et non colorata. Acidum aceticum concentratum et fervidum hunc pulverem maximam partem solvit , ita ut non nisi

parva pulveris grisei copia relinquatur, in quo pauci hydrargyri globuli distinguuntur. Ab ammonia liquida ac calida solvitur. Cum hydrate kalico humido atque calido triturratus parvam admodum ammoniac portionem emittit. Lumine solari decoloratur et in aëre majorem admittit oxydationis gradum. Calore satis intenso totus in vapores abit.

Minime sit ex albo griseus, sed nigerrimus, et oculus armatus in eo globulos hydrargyri non conspiciat. In tubo vitreo calefactus penitus avolet, neque praebeat pulverem sublimatum album. Ubi acido acetico solvitur, non multos hydrargyri globulos relinqui oportet. Admoto calore satis intenso sulphuris aut acidi sulphurosi vapores non emittat.

NITRATIS HYDRARGYRICI SOLUTIO ACIDA.

NITRATIS HYDRARGYRI OXYDATI SOLUTIO. MERCURIUS NITROSUS. MERCURIUS NITRATUS.

LIQUOR HYDRARGYRI NITRICI OXYDATI.

LIQUOR NITRATIS HYDRARGYRICI.

NITRAS HYDRARGYRI LIQUIDUM.

R. Oxydi hydrargyrici puri partes tres,
Acidi nitrici puri, cujus pondus specificum est
1,33, dimidia parte aquae purae diluti, partes sex.

In cucurbita tecta, leni calore, sensim addendo oxydum, facias solutionem, quae in lagena bene clausa servetur.

Est liquor limpida, non coloratus, acidus, saporis acidi, acerbi, metallici, cujus pondus specificum est 1,658-1,676.

Cutem colore fusco tingit. A solutione hydratis kalici aut ab aqua calcis colore e rubro flavo, ab ammonia liquida, carbonatis ammonici, phosphatis natrici solutione albo colore, ab iodeti kalici solutione scarlatino colore, ab acido hydrosulphurico colore cinereo dein nigro, et a tinctura gallarum colore aurantiaco praecipitatur. Multa aqua addita praecipitatum album in hoc liquore format. Eodem calefacto in tubo vitreo acidum nitricum dilutum, hypnitricum, et dein etiam hydrargyrum liberantur. Ab acido hydrochlorico et solutione chlorei natrici non turbatur.

Sedimentum, ab addita ammonia ortum, minime sit griseum. Liquor cum aqua dilutus neque a chlorei natrici, neque a nitratis argentici solutione turbetur. Satis intenso calore penitus in vapores abeat.

NITRAS BISMUTHICUS BASICUS.

SUBNITRAS BISMUTHICUS. BISMUTHUM SUBNITRICUM PRAECIPITATUM. BISMUTHUM OXYDATUM SUBNITRICUM. SUBNITRAS BISMUTHI. NITRAS BISMUTHI. BISMUTHUM NITRICUM PRAECIPITATUM.

MAGISTERIUM BISMUTHI.

R. Acidi nitrici puri, cujus pondus specificum est 1,250, quantum velis;
Bismuthi puri, quantum sufficit.

In acidum nitricum, in cucurbita vitrea ampla, bismuthum in pulverem grossum contusum partitis vicibus immittatur, ita ut nova metalli portio non addatur, antequam prior soluta sit. Metallum solutio ope caloris lente sed magis magisque aucti, ita ut liquor tandem ebulliat, promoveatur. Simulac pulvis crystallinus griseus aut

albus observatur, liquor a metallo insoluto fundatur in vas vitreum, eique addatur

Aquae purae calidae pars aequalis.

Solutio quam celerrime filtretur, et inter strenuam agitationem effundatur in vas vitreum, quod contineat

Aquam puram, tricesies superantem bismuthum acido nitrico solutum.

Sedimentum album decantatione et filtratione quam celerrime separetur ab humore acido; e filtro exemptum in vase vitreo bis aut ter aqua pura et frigida addita abluatur, ac denuo filtro imponatur, ut aqua defluat. Pulvis albus porro supra chartam bibulam dividatur, in loco obscuro lenissimo calore siccetur, et in lagena nigra servetur.

Pulvis est albissimus, subtilissimus, qui oculo armato ostendit crystallos admodum parvas, aciculares, splendentes, nullius odoris et fere nullius saporis, in multa aqua frigida difficillime et partim solubiles. Chartam coeruleam probatoriam humidam rubro colore tingit. Ab acido nitrico et acido hydrochlorico facile solvitur, quae solutio ab alcalibus, carbonatibus alcalinis et cyaneti kalico-ferrosi solutione albo colore, acido hydrosulphurico colore intense fusco, iodeti kalici solutione colore fusco, et a tinctura gallarum colore flavo, praecipitatur, et a zinco, cadmio aut cupro reducitur. Calore satis intenso dissolvitur, et oxydum bismuthicum coloris intense flavi relinquitur. Acidum sulphuricum concentratum ex eo acidum nitricum expellit. Cum carbonate natrico flammae interiori, ope tubi ferruminatorii in illum ductae, admotus, praebet globulos metallicos, fragiles, dum carbo pulvere obtegatur, qui calidus coloris est e flavescente fuscis, refrigeratus flavo colore insignis est.

Hic pulvis sit minime griseus. Ab acido nitrico sine

effervescentia solvatur, quae solutio neque ab acido sulphurico, neque a nitratis argentici solutione turbetur: solutio autem in acido hydrochlorico puro a cyaneti kalico-ferrosi solutione colore coerulescente aut rubescente non praecipitetur. Cum aqua triturratus ab addita iodii tinctura colore coeruleo non tingatur. Cum solutione hydratis kalici calefactus, liquor filtratus ab acido hydrosulphurico neque nigro neque albo colore turbetur; et cum acido hydrochlorico supra punctum saturationis commixtus addito hydrosulphurico acido sedimentum flavum minime praebet.

c. PHOSPHATES.

~~~~~

PHOSPHAS NATRICUS CUM AQUA.



NATRUM PHOSPHORICUM. ALCALI MINERALE

PHOSPHORATUM. SODA PHOSPHORATA.

SUBPHOSPHAS SODAE. TRIPHOSPHAS NATRICUS

CUM AQUA BASICA.

*SAL MIRABILE PERLATUM. PHOSPHAS SODAE.*

R. Acidi phosphorici, cujus pondus specificum est  
1,120-1,130 quantum volueris.

Commisceatur cum

Aquae purae partibus septem.

In vase porcellaneo calefiat acidum dilutum, et huic sensim addatur, inter agitationem cum bacillo vitreo,

## Carbonas natricus crystallisatus purus,

donec effervescentia non amplius observetur, et charta probatoria rubra a solutione fiat coerulea. Filtretur liquor et evaporetur, donec gutta vitro frigido instillata crystallos excutiat. Quiete crystallorum formatio in loco frigido promoveatur. Crystalli etiam post repetitam evaporationem collectae ope chartae bibulae siccentur, et in lagena clausa servantur.

Crystalli plerumque sunt irregulares, sed ex majori liquoris copia post lentam evaporationem natae, sunt prismatico-tetragonae oblique rhombicae, quatuor planis terminatae, non coloratae, recens paratae diaphanae, postea opacae et pulvere albo tectae, nullo odore sed sapore refrigerante ac salso praeditae. A 4 circiter partibus aquae frigidae, a 2 partibus aquae calidae solvuntur. Solutio limpida est, non colorata, notis alcalinis instructa. In alcohole sunt insolubiles. Hic sal in aëre fatiscit et aquae crystallisationis partem amittit. Ope caloris in hac sua aqua facile solvitur, ea magis magisque privatur, et pulverem album, aqua crystallisationis privatum, caeterum chymice non mutatum relinquit. Intensiore calore sal funditur, aquam basicam amittit, et refrigeratus massam albam et lacteam, pyrophosphatam natricum anhydram, relinquit. Phosphatis natrici solutio a nitratis argenticum solutione flavo colore praecipitatur, et a salibus terrarum et oxydorum, quae ex metallis ponderosis sunt, turbatur. In platini filo flexofusus globulum vitreum, diaphanum praebet, qui refrigeratus lactescit, et aqua solutus jam cum solutione nitratis argenticum praecipitatum album praebet.

Solutio aquosa a solutione nitratis argenticum, cui acidum nitricum additum est, vix turbetur, et ab addita solutione nitratis barytici natum praecipitatum fere totum ab acido nitrico solvatur. Itaque non nisi exiguam chloreti natricum et sulphatis natricum copiam contineat, sed cum acidis

commixtus minime effervescat, et ab acido hydrosulphurico neque turbetur, neque coloretur.

d. HYPOCHLORITES.

SOLUTIO HYPOCHLORITIS NATRICI.

$\text{NaO}$ ,  $\text{Cl}_2\text{O}$ .

NATRUM HYPOCHLOROSUM. CHLORETUM NATRI.  
NATRUM OXYMURIATICUM. NATRUM CHLORATUM  
LIQUIDUM. HYPOCHLORIS SODICUS CUM AQUA.

*LIQUOR SODAE CHLORISATAE. LIQUOR  
LABARRAQUII. SUBCHLORIS SODAE. CHLORU-  
RETUM SODAE.*

R. Hypochloritis calcici recentis,  $90^\circ$  secundum  
chlorometrum recentius Gay-Lussacii, partem  
unam,  
Aquae destillatae partes triginta.

In mortario lapideo hypochloris calcicus trituretur, aquae parva portione addita. Liquor subsidat et decantetur; quae operationes aliquoties repetantur, donec ope praescriptae aquae copiae, omnis sal solubilis ex eo solutus sit. Solutio per linteum filtretur, et residuus pulvis in eo pressione ab humore, quantum fieri possit, privetur. Huic solutioni addatur solutio facta ex

Carbonatis natrici puri crystallisati partibus  
duabus;

Aquae destillatae partibus quindecim.

Miscela concutiatur, et statim ac celeriter filtretur.

Liquor in lagena bene clausa, quae nullam admittat luminis vim, in loco frigido servetur.

Est liquor limpidus, non coloratus, odoris peculiaris cum odore acidi hypochlorosi convenientis, saporis acerbi, pungentis, et aliquomodo adstringentis ac simul alcalini. A luce solari dissolvitur, ita ut in liquore chlreti natrici portio augeatur, chloras natricus nascatur, et proprietates salium hypochloritum magis magisque diminuantur. Singulari modo multa metalloidea, uti phosphorus, sulphur, iodium et arsenicum, metalla, uti ferrum, cuprum, stannum, hydrargyrum, acida minori quantitate oxygenii praedita, uti acidum phosphorosum, sulphurosum, arsenicosum, oxydula, uti ferri, stanni, hydrargyri et sulphureta recens deposita, ab hoc liquore oxydantur, ita ut acida, oxyda, oxy-chloreta ac sulphates nascantur, et ipse hypochloris natricus in chloretum mutetur. Plurima pigmenta organica destruit. A calore lente dissolvitur, odorem ac proprietatem destruendi pigmenta organica partim amittit, et in chloretum et in chloratem natricum mutatur. A multis acidis, et ab ipso acido carbonico partim decomponitur; a minore acidorum additorum copia acidum hypochlorosum, a majori et abundante eorum portione, gas chloricum ex eo expellitur. Ab addito gas chlorico hypochloris natricus etiam dissolvitur. Corporum organicorum putrescentium foetidum odorem destruit, et per aliquod tempus putredinem arcet. Continet etiam chloretum natricum.

Hic liquor sit fere 200° secundum chlorometrum recentius Gay-Lussacii, ita ut a 50 circiter voluminibus liquoris hypochloritis natrici 100 volumina liquoris probatorii, ideoque certam acidi arsenicosi copiam continentis, dissolvantur. Cum acido tartarico abundante minime praebet sedimentum crystallinum, et ab inducto acido carbonico pulvis albus, carbonas calcicus, minime deponatur.

## HYPOCHLORIS CALCICUS.

CAO, Cl<sub>2</sub>O.

CALCARIA HYPO-CHLOROSA. CALCARIA OXYMURIA-  
TICA. CALCARIA CHLORATA. CALCARIA CHLOROSA.  
CHLORIS CALCICUS.

*OXYCHLORURETUM CALCII. SUBCHLORIS CALCIS.*  
*CHLORETUM CALCIS.*

R. Calcis in pulverem tenuissimum redactae recens  
ustae partes sex ;  
Aquaë pluvialis partes duas.

Calx cum aqua inter agitationem commisceatur. Hydras calcicus in vase clauso plane refrigeratus apte dividatur, ita ut strata tenuia formet in parvis tabulis ligneis, sic in capsâ lignea, quae apte claudi potest, supra se invicem positâ, ut intervalla maneant, et gas chloricum juxta partes earum laterales transire possit. Jam capsâ claudatur, exceptis duobus parvis orificiis, quorum alterum in superiore parte, alterum in inferiore apparatus pariete prope fundum adest. In hoc postremo orificio positus sit tubus vitreus horizontalis, altero extremo in altum flexo. Inducatur per orificium superius, ope tubi vitrei in eo firmiter et hermetice positi, gas chloricum, quod lentissime evolvatur e miscela facta ex

Chloreti natrici sicci partibus decem ;  
Bioxydi manganici partibus decem ;  
Acidi sulphurici concentrati partibus viginti, cum  
Aquaë pluvialis partibus decem commixtis.

Chloretum natricum antea bene commisceatur cum



bioxydo manganico, et his impleatur, tertia pro parte, retorta vitrea tubulata in balneo arenae posita. Acidum sulphuricum diluatur aqua et plane refrigeratum in retortam infundatur, aperturis omnibus, excepta quae in inferiori capsae parte est, bene clausis et luto rite siccato. Tubus vitreus, in retortae collo positus, gas chloricum primo ducat in minorem lagenam Woulfianam, parvam aquae portionem continentem, et dein gas ex hac depurgatum per alterum tubum vitreum, modo jam descripto, in apparatus hydrate calcico impletum perveniat. Sub finem operationis lenissimo et prudenter aucto calore chlorici evolutio promoveatur. Ubi gas chloricum non diutius evolvitur, apparatus per horas quatuor aut quinque maneat clausus, quibus praeterlapsis capsula aperiatur, et diversa strata hypochloritis calcici bene misceantur, et pulvis in lagenis minoribus, ad collum usque impletis et operculis vitreis optime clausis, in loco frigido et obscuro servetur.

Pulvis albus est, odoris peculiaris cum acido hypochloroso proxime convenientis, qui ab addita aqua intenditur. Saporis est styptici, austeri et amari. In aëre lente fit humidus. Ab aqua solvitur, relicto tamen pulvere albo, hydrate calcico quippe et parva carbonatis calcici copia. Solutio ab his purgata limpida est, non colorata, salis odore praedita, et plurima organica pigmenta destruit; coctione magis magisque dissolvitur et hanc facultatem amittit. Sal ipse etiam calore decomponitur, et in chloretum et chloratem calcicum mutatur; intensiore calore gas oxygenium expellit, et chloretum calcicum nascitur e chlorate. In aëre, celerius accedente lumine, decomponitur, ejusque solutio obtegitur lamellis carbonatis calcici. A multis aliis acidis decomponitur, ita ut ab iis acidum hypochlorosum liberum fiat, si minori copia cum eo commiscentur; a majori et abundante acidorum copia ita dissolvitur, ut gas chloricum expellatur. Immutatus diu servari non potest. Foetorem corporum organicorum putre-

dine corruptorum destruit, et per tempus quoddam putredinem impedit. Solutio limpida ab inducto acido carbonico turbatur, carbonas calcicus deponitur, ejusque odor simul augetur, dum gas chloricum expellitur. Ab ipso chlorico dissolvitur, ita ut chloreti calcici portio augeatur, et acidum hypochlorosum expellatur et simul formetur. Corpora, quae ab hypochlorite natrico oxydantur, et jam indicata sunt, etiam a solutione hypochloritis calcici oxydantur, et e quorundam salium solutionibus superoxyda aut oxychloreta ab ea deponuntur. Sic e sulphate manganoso hydratum superoxydi manganii nascitur, ex acetate aut nitrate plumbico primo loco pulvis albus, chloretum plumbicum, deponitur, quod dein flavum et fuscum colorem accipit, et sic in superoxydum plumbi mutatur, dum chloricum expellitur; sic etiam hypochloris calcicus e solutione nitratis hydrargyrosi chloretum hydrargyrosus deponit, quod mox in oxychloretum rubrum mutatur.

Hic pulvis non magnopere sit humidus, sed magna pro parte in aqua solubilis, et addito acido sulphurico multum chlorici emittat. Sit circiter 90° secundum chlorometrum recentius Gay-Lussacii, ita ut, quando 10 grammata hujus pulveris commixta sunt cum tali aquae destillatae portione, qualis requiritur, ut tota miscela litrum impleat, 111-113 volumina hujus liquoris requirantur, ad dissolvenda 100 volumina liquoris probatorii chlorometrici.

## e. CARBONATES.



## CARBONAS KALICUS.

KO, CO<sub>2</sub>.

KALI CARBONICUM. KALI SUBCARBONICUM.

*SAL TARTARI. CARBONAS POTASSAE.**SUBCARBONAS POTASSAE.*

R. Tartratis kalici acidi depurati, quantum vis.

Immittatur in ollam ferream, magis amplam quam altam, quae igni sensim sensimque aucto ita admoveatur, ut fundus candeat. Ope spatulae ferreae massa continuo agitur, donec candeat, et nec amplius fumum nec flammam edat. Massa superstes cum aqua destillata irrigata in vase aperto per aliquot dies in aëre servetur et subinde agitur, ac dein cum aqua destillata fervida commisceatur. Miscela effundatur in filtrum linteum, et tamdiu cum aqua destillata eluatur, quamdiu liquor filtratus alcalinas exhibet notas. Solutio, quae debet esse limpida et non colorata, in vase porcellaneo ad siccitatem evaporetur. Sal siccus et calidus quam citissime in pulverem trituretur, et in lagenâ vitrea clausa servetur.

Pulvis siccus est, albus, saporis alcalini; in aëre deliquescent, ita ut ex hoc aquam et acidum carbonicum attrahat, et in liquorem formae oleosae mutetur. Reactiones alcalinas in pigmenta per excellentiam possidet. Ab aequali aquae frigidae portione solvitur, aucto caloris gradu; solutio limpida est et non colorata. Ab alcohole

non solvitur. Ab addito quodam acido, v. c. sulphurico, vehementer effervescit, et ab addita acidi tartarici portione abundante e solutione carbonatis kalici pulvis crystallinus, tartras kalicus acidus, deponitur. Ab intenso calore funditur, sed minime dissolvitur.

Carbonas kalicus sit siccus et albus; ab aequali aquae portione solvatur, ita ut neque materies granulosa-calcareae, neque gelatinosa silicea, relinquatur. Ab acido nitrico puro saturatus non nisi admodum parvam sedimenti gelatinosi copiam deponat, et aqua dilutus ab addita solutione nitratis argentici et barytici fere nullum sedimentum album formet, neque ab acido hydrosulphurico turbetur aut coloretur.

Ope acidi hydrochlorici puri saturatus, ad siccitatem evaporatus, ab acido abundante calore liberatus, aqua fere totus solvatur, ac fere nullum sedimentum gelatinosum siliceum relinquatur. Solutio carbonatis kalici in aequali aquae destillatae portione ab addita magna solutionis sesquicarbonatis ammonici concentratae copia vix turbetur.

### BICARBONAS KALICUS CUM AQUA.



KALI BICARBONICUM. KALI CARBONICUM  
ACIDULUM. ALCALI VEGETABILE CRYSTALLISATUM.

KALI CARBONICUM AËRATUM.

*POTASSA AËRATA. BICARBONAS POTASSAE.  
CARBONAS POTASSAE. CARBONAS POTASSAE  
COMPLETUM*

R. Carbonatis kalici e tartrate kalico acido depurato  
praeparati partes duas,

Aquae destillatae partes duas.

Fiat solutio, et lixivium, si opus est, percoletur et in amplum immittatur excipulum, cujus vicesimam tantum partem adimpleat. Excipulum jungatur cum retorta tubulata itidem capaci, quae contineat

Carbonatis calcici, Marmoris, in frusta minora redacti, partes tres.

Retortae collum ita ingrediatur excipulum, ut lixivii superficiem fere tangat. Commisceantur porro

Acidi sulphurici depurati partes duae;  
Aquae partes octo,


et liquor refrigeratus per vices in retortam immittatur. Calor loci, ubi apparatus positus est, sit moderatus, et altera quavis hora affundatur acidi diluti pars. Post primam affusionem exacte claudatur retorta, ita ut gas acidum carbonicum aërem sensim per vasorum juncturas expellat, quae deinde ope vesicae claudantur. Massa in retorta subinde bacillo ligneo agitetur. Simulac massa crystallina non amplius augetur, per residuum lixivium ducatur acidi carbonici fluxus. Crystallorum formatione peracta, crystalli a lixivio separatae, pauxillo aquae purae abluantur, ope chartae bibulae siccentur et in vase clauso servantur.

Crystalli sunt prismata rhomboidea, ad margines plerumque truncata et duobus planis terminata, vel etiam sunt tabulae-formes et irregulares. Sunt diaphanae, sapore salso, vix alcalino. In aëre non mutantur et alcalinas proprietates vix declarant. A 4 partibus aquae frigidae solvuntur, ab aequali vero pondere aquae ebullientis, dum effervescent et acidi carbonici partem amittunt. Permagn-

nam alcoholis quantitatem requirunt, ut solvantur. Calori intenso admotae, ita ut candeant, aquam et acidum carbonicum emittunt, et carbonas kalicus relinquitur. Bicarbonatis kalici solutio pulverem ferri solvit, expulso gas hydrogenio. Cum acidis vehementer effervescit, et solutio ejus concentrata, cum abundante solutionis concentratae acidi tartarici portione commixta, deponit praecipitatum crystallinum tartratis kalici acidi.

In aëre minime fiat humidus; sit decolor et ejus solutio cum solutione chloreti hydrargyrici commixta sedimentum albissimi minime vero flavescens coloris praebeat, atque solutio sulphatis magnesici ab eâ minime turbetur. Ab acidó hydrosulphurico neque turbetur neque coloretur hujus salis solutio. Haec acido nitrico puro saturata a solutione nitratis argentici aut barytici vix turbetur.

### CARBONAS NATRICUS CUM AQUA.



NATRUM CARBONICUM. NATRUM SUBCARBONICUM.

ALCALI MINERALE. SUBCARBONAS NATRICUS.

*SODA. CARBONAS SODAE ACALINUM.*

*SUBCARBONAS SODAE.*

R. Carbonatis natrici venalis, quantum vis.

In vase porcellaneo solvatur in aqua ebulliente, donec haec sale prorsus sit saturata. Ponatur vas in aqua frigida, et refrigeretur solutio inter continuam agitationem cum bacillo porcellaneo. Massa e parvis crystallis constans immittatur in infundibulum aptum, et liquor ab ea defluat. Mox parva aquae destillatae copia in illam instilletur,

atque haec iterum defluat, quod aliquoties repetatur, donec liquor qui defluxit, acido nitrico puro saturatus et cum aqua destillata dilutus, a solutione nitratis argentici aut nitratis barytici vix turbetur. Dein massa residua crystallina in aquae destillatae fervidae sufficiente copia solvatur, solutio filtretur, et post debitam evaporationem loco frigido ponatur ad crystallisandum. Crystalli a liquore separentur et ope chartae bibulae siccatae in lagena clausa servantur. Residuus liquor denuo evaporetur et refrigeretur, donec crystallos non amplius praebet.

Crystalli sunt prismaticae rhomboideae obliquae, vel aciculares, hyalinae, saporis refrigerantis, alcalini. Notas alcalinas praebent. In aëre aquae partem celeriter amittunt, et pulvere albo obteguntur. A duabus partibus aquae frigidae solvuntur, cum evolutione frigoris; ab alcohole non solvuntur. Leni calore in aqua crystallisationis solvuntur, quam magis magisque amittunt, ita ut massa alba, concreta et dura, carbonas natricus anhydus, relinquatur, qui ope caloris intensioris funditur, sed non decomponitur. Ab additis acidis effervescit; sed solutio aquosa ab acido tartarico non turbatur, et acido hydrochlorico neutra facta, addita solutione chloreti platinici, praecipitatum flavum non praebet.

Ab aqua penitus solvatur; solutio sit limpida, neque ab acido hydrosulphurico, neque ab acido oxalico turbetur. Addito acido hydrochlorico, acidum sulphurosum non emittat et sulphur non deponat. Addito acido nitrico puro neutram naturam adeptus et aqua destillata dilutus cum solutione nitratis argentici et nitratis barytici praecipitatum album aut nullum aut vix ullum praebet.

## BICARBONAS NATRICUS.



NATRUM BICARBONICUM. NATRUM CARBONICUM  
ACIDULUM. BICARBONAS SODAE. ALCALI  
MINERALE SATURATUM.

*CARBONAS SODAE COMPLETUM.*

*CARBONAS SODAE.*

R. Carbonatis natrici crystallisati puri partem unam;  
Aquae calidae partes duas.

Fiat solutio, quae coletur et refrigeretur, et quae eadem ratione in simili apparatu tractetur, ac carbonatis kalici lixivium. Si crystalli non diutius formantur, per residuum liquorem ducatur acidum carbonicum. Sal denique ope chartae bibulae solita aëris temperie siccetur, et in lagena clausa servetur.


Crystalli sunt sive parvae tabulae quadrangulares, sive irregulares et crustas albas crystallinas formantes. Sunt saporis salsi et alcalinam reactionem in charta exploratoria curcumae vix exercent. A tredecim partibus aquae frigidae solvuntur, quae solutio limpida est, et ab additis acidis valde effervescit. In aqua ebulliente etiam effervescunt, et acidi carbonici partem amittunt. Ab alcohole non solvuntur. In aëre sicco non mutantur, sed in humido aëre acidi carbonici partem amittunt, aquam attrahunt, formam salis fatiscantis accipiunt, et sic tandem in carbonatem natricum mutantur. Partem acidi carbonici et aquam amittunt, ubi vim caloris satis intensi experiuntur.

Curcumae solutio ab hoc sale vix mutetur. Solutio sulphatis magnesici a solutione bicarbonatis natrici non



turbetur, atque huic addita solutione chlreti hydrargyrici praecipitatum album, minime flavum, deponatur. Solutio sit limpida, cum acido tartarico abundante praecipitatum crystallinum non praebeat, neque ab acido hydrosulphurico coloretur, aut ab hydrate kalico turbetur. Ab acido nitrico puro saturatus sal, addita solutione nitratis argentici et nitratis barytici, praecipitatum album non aut vix exhibeat.

### SESQUICARBONAS AMMONICUS.



AMMONIUM SESQUICARBONICUM. AMMONIUM  
CARBONICUM. CARBONAS AMMONIAE. ALCALI  
VOLATILE CONCRETUM.

#### *FLORES SALIS AMMONIACI VOLATILES.*

##### *SUBCARBONAS AMMONIAE.*

- R. Chlreti ammonici puri et siccati partem unam;  
Carbonatis calcici depurati et siccati partem  
unam et dimidiam.

Hi sales diligenter siccati, in pulverem subtilem redacti et accuratissime mixti, immittantur in retortam vitream, brevi sed amplo collo instructam, ita ut retortae quinta fere pars a pulvere libera sit. Retorta usque ad collum in balneum arenae apte ponatur, et bene jungatur cum excipulo vitreo, in cujus parte extrema superiori foramen parvum adest, quod initio sit apertum, sed simulac vapores emittat, apte sed leviter claudatur. Commissura ad collum excipuli ope luti e farina lini humida et sulphate calcico usto confecti bene clausa, ita ut nulli vapores per sublimationem ope tubi vitrei acido hydrochlorico diluto irrigati detegantur, ignis initio sit lenis, et magis magis-

que augeatur, dum excipulum, in vase quodam idoneo positum et charta bibula tectum, ope aquae frigidae in illud continuo instillatae refrigeratur. Sublimatione paracta, quod etiam ex eo cognoscitur, quod igne valde aucto, calor excipuli tamen non multum augeatur, refrigerat retorta, et refrigerata ab excipulo separetur, quod a parva aquosae solutionis copia effusione privetur, et cujus collum subere bene claudatur, dum e retorta sal deliquescentiam quam citissime sumatur, et haec nova portione miscelae indicatae chloreti ammonici et carbonatis calcici impleatur. Apte retorta denuo jungatur cum excipulo, et fiat sublimatio eodem, ut indicatum est, modo et iisdem cautelis; et hae operationes aliquoties repetantur, donec salis ammonici copia talis sit, qualis requiratur. Sal collectus in lagena optime clausa loco frigido servetur.

Crustae sunt albissimae, durae, structurae crystallinae, fibrosae, partim diaphanae, saporis pungentis, alcalini, odoris valde ammoniacalis. Sal etiam omnes proprietates alcalinas possidet, sed solita aëris temperie jam in vapores mutatur. Solvitur a duabus fere aquae frigidae partibus, ab aequali circiter aquae calidae copia. Ab alcohole non solvitur. Solutio in aqua limpida est, non colorata, eodem, quo sal odore praedita, quae crystallos limpidas octaëdricas hujusque formae varietates praebere potest. Ab additis acidis valde effervescit. Ab aqua ebulliente dissolvitur. Sal diu servatus in vase leviter clauso odorem ammoniacalem sensim amittit, ac bicarbonas ammonicus relinquitur, fere sine odore et qui ab aqua difficilius solvitur.

Sal siccus sit, et odorem spargat valde ammoniacalem, minime vero simul empyreumaticum. A calore penitus in vapores abeat, a duabus circiter aquae frigidae partibus solvatur, quae solutio sit limpida, et acido nitrico puro saturata, ab acido hydrosulphurico non coloretur aut praecipitatum praebet, et a solutione nitratis barytici et nitratis argenti vix turbetur.

## SOLUTIO SESQUICARBONATIS AMMONICI.

LIQUOR AMMONIACI CARBONICI AQUOSUS.

*CARBONAS AMMONIAE LIQUIDUM.**SUB-CARBONAS AMMONIAE LIQUIDUM.*

R. Sesquicarbonatis ammonici partem unam;  
Aquae destillatae partes quatuor.

Fiat solutio quae filtretur, si opus est, per chartam bibulam, et vase clauso servetur.

Solutio est limpida, odorem ammoniacalem spargit et saporem alcalinum ac pungentem habet, et alcalinas proprietates exhibet. Pondus ejus specificum est 1,073-1,076. Addita idonea alcoholis copia, massa crystallina granulosa, bicarbonas ammonicus, deponitur. Cum acidis effervescit. Leni calore sal in vapores abit, et aqua tandem relinquitur.

Hujus solutionis integritas eodem modo exploretur, quo solutionis salis modo memorati, sicuti jam indicatum est.

## CARBONAS CALCICUS DEPURATUS.

 $\text{CaO}, \text{CO}_2.$ 

CALCARIA CARBONICA DEPURATA. CARBONAS  
CALCIS DEPURATUS.

*CRETA PRAEPARATA. SUBCARBONAS CALCIS  
DEPURATUM.*

R. Cretae frustula leviora et albissima, quantum vis.

In pulverem redigatur, affundatur in vase idoneo amplo aqua, et cum bacillo ligneo bene agitetur. Concessa brevi

quiete, liquidum album supernatans effundatur in aliud vas. Cretae residuae nova aqua iterum iterumque affundatur, donec haec vix lactescat. E collectis liquoribus particulae calcariae, per subsidentiam et porro ope lintei secretae, bene siccentur et siccatae in pulverem redigantur et servantur.

Pulvis albissimus est, insipidus, in aqua pura insolubilis. Ab aqua acidum carbonicum continente solvitur. Cum acidis effervescit, et ab acido nitrico, hydrochlorico et acetico solvitur, et ex his solutione hydratis kalici, salium sulphuricorum et oxallicorum deponitur sedimentum. Calore intenso in vasis apertis acidum carbonicum amittit, et oxydum calcicum relinquit.

Cum aqua commixtus pulvis particulas lapideas quiete non dimittat. Ab acido nitrico fere penitus solvatur. Solutio ab acido hydrosulphurico non turbetur. Solutio in acido hydrochlorico cum sulphureto ammonico commixta ne vel minimam albi aut viridescens sedimenti copiam deponat.

*f.* ARSENIITES.



SOLUTIO ARSENIITIS KALICI COMPOSITA.

KALI ARSENICOSUM SOLUTUM. ARSENIIS KALICUS SOLUTUS. SOLUTIO ARSENICALIS. SOLUTIO FOWLERI.

*LIQUOR KALI ARSENICOSI. GUTTAE FEBRIFUGAE FOWLERI.*

R. Carbonatis kalici puri,  
Acidi arsenicosi puri et in pulverem redacti,  
utriusque grana sexaginta quatuor,

Aquae destillatae uncias octo.

Commisceantur in cucurbita vitrea iisque admoveatur calor, donec acidum arsenicosum solutum sit. Liquori frigido addantur

Spiritus aromatici uncia dimidia,  
Aquae destillatae quantum sufficit,

ut pondus hujus liquoris sit duodecim unciarum. In vase vitreo bene clauso servetur.


Liquor est limpidus, odore et sapore spiritus admixti praeditus. Nitratis argentici solutione addita, praecipitatum flavi coloris nascitur, et post additionem acidi nitrici puri et acidi hydrosulphurici aqua soluti praecipitatum flavum, quod ab ammonia liquida facile solvitur. Ab aqua calcis et solutionibus salium calcicorum ita decomponitur, ut praecipitatum album, a salibus cupricis, ut sedimentum e flavescente viridis coloris oriatur. Solutiones salium baryticorum, magnesticorum, plumbicorum et ferricorum cum eo commixtae praecipitatum provocant, quod ab acido nitrico diluto solvitur, ab hydrate ferrico vero non decomponitur. Cum acido hydrochlorico puro et zinco puro commixtus gas hydrogenium arseniatum expellit, quod per tubum vitreum longum, parvo orificio instructum et ope lampadis, in qua alcohol comburitur, in parte quadam candentem, ductum ita decomponitur, ut arsenicum sub forma annuli metallici splendentis, et ope caloris in alium tubi locum se deferentis, deponatur. Drachma una et dimidia hujus liquoris continent acidi arsenicosi granum unum.

Hunc liquorem praescriptam acidi arsenicosi copiam continere apparet ex eo, quod illius drachma una et dimidia a quinquaginta tribus granis solutionis nitratis argentici, cujus centum partes sex et dimidiam partem nitratis

argentici continent, adeo decomponentur, ut liquor ab orto praecipitato ope filtri separatus ab addita nova salis argentici solutionis copia non turbetur, aut flavum praecipitatum deponat.

*g.* SULPHO-SALES.

SULPHO-STIBIAS NATRICUS CUM AQUA.



SULPHURETUM STIBII ET NATRII CUM AQUA.  
 NATRIUM SULPHURATO-STIBIATUM CRYSTALLI-  
 SATUM. NATRIUM STIBIATO-SULPHURATUM.  
 NATRIUM SULPHURATO-HYDROTHIONICUM ANTI-  
 MONIATUM. SULPHURETUM NATRII ET STIBII.  
 NATRIUM SULPHO-ANTIMONIATUM. SULPHIDUM  
 NATRII ET ANTIMONII. NATRUM ANTIMONIATO-  
 SULPHURATUM.

*SAL SCHLIPPIANUM.*

R. Sulphuris puri partes tres et unam quartam;  
 Carbonatis natrici anhydri partes duodecim;  
 Oxydi calcici recentis partes tredecim;  
 Sulphidi hypostibiosi pulverisati et laevigati par-  
 tes octodecim.

Pulveres subtilissimi accurate commisceantur, et his in  
 olla ex ferro fuso fabrefacta addantur

Aquae partes centum.

Ebulliat miscela, dum aqua evaporata, affusa aqua

fervida, restituitur, per tres circiter horas. Occludatur vas ferreum, et quando sedimentum fundum petiit, liquor limpidus ope siphonis vitrei separetur, et in lagena bene impleta et clausa servetur. Residuo pulveri statim addantur

Aquae partes viginti quinque,


et denuo ebulliant per dimidiam circiter horam. Liquor quiete et refrigeratione in olla ferrea clausa limpidus factus eodem modo ac antea a sedimento separetur, et in lagenam bene claudendam immittatur. Sedimentum in filtro parva aquae copia abluatur. Liquores conjuncti cito filtrentur, et in vase ferreo quam citissime ad crystallisationis punctum ebulliant. Vas tectum loco frigido ponatur; crystalli e liquore desumptae ope chartae bibulae mox siccentur. Liquor residuus denuo evaporetur, quamdiu crystallos bonae notae formari constat.

Crystalli sunt tetraëdricae, plerumque vero tabulares, rhomboidales, obtusae, sibi invicem impositae, limpidae, splendentes, non coloratae; quae postremo loco concresecunt, plerumque levissimo flavo colore tinctae sunt. Habent saporem ingratum, salinum, pungentem e metallico sulphureum. A tribus circiter aquae frigidae partibus solvuntur; in alcohole sunt insolubiles. Solutio in aqua ab acidis et salibus acidis ita dissolvitur, ut gas acidi hydrosulphurici expellatur, et sulphidum stibicum, sulphur auratum antimonii, deponatur. Crystalli ipsae eodem modo decomponuntur, et praeterea licet siccae in aëre dissolvuntur, colorem flavum accipiunt, et dein pulvere fusco magis magisque teguntur. Calore in aqua crystallisationis solvuntur, et massam relinquunt e cinereo albam, ex aëre aquam denuo attrahentem, et quae nunc in pulverem mutatur. Solutio in aqua, et aëris actionem diu experta, dissolvitur gradatim, continet carbonatam et hyposulphitem natricum et sulphidum hypostibiosum deponit. Immutatus

hic sal diu servari non potest, et siquidem ad sulphur auratum antimonii praeparandum adhibeatur, uti pag. 213 descriptum est, semper recens parandus est. Decomponitur etiam a plerisque salibus metallorum ponderosorum.

Habeat sal descriptas proprietates, et ad usum indicatum non adhibeatur, qui in aqua solutus ab addito acido sulphurico diluto parvam tantum acidi hydrosulphurici copiam expellat, et ex quo pulvis magis flavi quam aurantiaci coloris deponatur.

### SULPHO-HYDRAS AMMONICUS.



SULPHYDRAS AMMONICUS. LIQUOR AMMONII HYDROTHIONICI. LIQUOR AMMONII SULPHURATI. SOLUTIO AMMONII HYDRO-SULPHURATI. HYDRO-SULPHAS AMMONIAE. BIHYDROTHIONAS AMMONIAE.

*HYDROSULPHURETUM AMMONIAE. HYDROSULPHURETUM AMMONII LIQUIDUM.*

R. Ammoniae liquidae, quantum vis.

Immittatur in lagenam, in aqua frigida positam, ita ut liquor ammonicus tres quadrantes lagenae partes impleat. Ope tubi vitrei in duos angulos rectos flexi, qui ad fundum hujus lagenae fere porrectus sit, haec jungatur cum parva lagena, aquâ quarta pro parte repleta, et epistomio suberino clausa, per quod alter tubi vitrei pes brevior transeat. Haec secunda lagena rursus ope tubi vitrei, in duos angulos rectos flexi, et cujus pes longior infra aquae superficiem positus sit, conjuncta sit cum tertia majori



lagena, epistomio suberino etiam clausa, per quod alter brevior secundi tubi pes porrigatur. Per idem epistomium transeat tertius tubus vitreus rectus, qui sese usque ad hujus lagenae fundum extendat, et cujus tubi superiori parti infundibulum sit impositum. Haec major lagena contineat

Sulphureti ferrosi frustula,

et his per vices addatur

Acidum sulphuricum dilutum,

ita ut gas acidi hydrosulphurici in media parva lagena lavetur, et tamdiu in ammoniae solutionem ducatur, quamdiu ab hac absorbetur. In parvis lagenis, ad collum usque impletis, bene clausis, et sub aqua in vase figulino inverse positis servetur.

Liquor limpidus est et primum non coloratus; accessu aëris flavescit. Spargit odorem foetidissimum hydrosulphurici acidi et simul leviter ammoniacalem. In aëre et ab acidis dissolvitur, ita ut ab his acidi hydrosulphurici magna copia ex eo expellatur. In lagenis dimidiam partem repletis et non probe clausis in hyposulphitem ammonicum mutatur. Cum sulphure caloris vim subeundo dissolvitur, expulso gas acidi hydrosulphurici. Plurimi sales, quos metallicos vocant, hoc liquore ita dissolvuntur, ut sulphureta nascantur.

Sit liquor limpidus, non nisi paululum flavescens. Leni calore facile in vapores abeat. Ab additis acidis multum acidi hydrosulphurici emittat, sed ex eo sulphur non deponatur. Solutio sulphatis magnesi ab eo non praecipitetur. Ubi intense flavi coloris est, ubi pulverem deposuit, aut si ab addito acido sulphurico diluto praecipitatum album nascitur, rejiciendus est.

## SULPHO-STIBIAS CALCICUS IMPURUS.

SULPHURETUM STIBII ET CALCII. ANTIMONIUM ET  
CALCIUM SULPHURATUM. CALCARIA SULPHURATO-  
STIBIATA. CALCIUM SULPHURATO-STIBIATUM.  
HEPAR ANTIMONII CUM SULPHURE HOFFMANNI.

*HEPAR ANTIMONII CALCAREUM. CALX ANTIMONII  
CUM SULPHURE. SULPHURETUM CALCIS  
STIBIATUM.*

R. Sulphuris puri partes quatuor;  
Carbonatis calcici depurati partes sedecim;  
Sulphidi hypostibiosi partes quatuor.

Accurate mixta ingerantur in crucibulum et pressione firmiter facta in minus volumen redigantur. Tegantur carbonate calcico depurato ad pollicis altitudinem. Crucibulum operculo bene tectum et luto munitum in furnum ponatur, et ignis ita instruat, ut per dimidiam horam rubescat. Post refrigerium tollatur stratum carbonatis calcici; reliqua massa in mortario lapideo in pulverem teratur, et in lagenis parvis probe obturatis servetur.

Pulvis siccus est, ex albo flavescens vel fuscus. Saporem habet austerum, alcalinum, sulphurosum; aqua madefactus odorem levem acidi hydrosulphurici spargit. Cum acido hydrochlorico commixtus multum acidi hydrosulphurici emittit et colorem aurantiacum assumit. Partim tantum ab aqua solvitur, et relinquitur pulvis fuscus, in aqua insolubilis. Solutio limpida est et non colorata, addito acido hydrochlorico diluto gas acidi hydrosulphurici expellit, dum sedimentum floccosum fuscum aut aurantiaci coloris praecipitatur. In aëre dissolvitur et colorem accipit obscuriorem.

Habeat descriptas proprietates. Rejiciatur pulvis magnam partem decompositus, qui parum ab aqua solvitur, et ab additis acidis aut nullum aut vix ullum gas acidum hydrosulphuricum expellit, et colorem aurantiacum non aut vix accipit.


## B. CORPORA ORGANICA.

### a. BASES VEGETABILES

SEU

### ELEMENTA PLANTARUM ALCALOIDEA.

#### CHININUM.



#### CHININA PURA.

R. Sulphatis chinici, quantum vis.

Solve in larga copia aquae bullientis et instilla

Solutionis natri caustici, quantum sufficit,


ut omne chininum praecipitetur, aut donec liquor naturam manifeste alcalinam assumerit. Materiem floccosam, cum eam quae liquori innatat, tum illam quae vasis parietibus adhaeret, filtri ope separa, aquâ tepidâ saepius ablue, et loco calidiore lente at probe exsiccata in pulverem redige.

Chininum e connubiis salinis ope alcali cujusdam caustici, natri v. gr. praecipitatum, substantia est resinoso-floccosa, quae siccata ac prudenter contrita in pulverem

abit levissimum, sordide album, saporis peramari, haud tamen ingrati.

Vulgari caloris gradu aquâ difficile solvitur, cujus bullientis partibus 250 opus est; majori portione solvitur aethere sulphurico, facillime autem alcoholc tam genuino (absolutum vocant), quam eo, qui majorem habet densitatem; ex qua solutione chininum crystallulis admodum parvis, splendentibus, acicularibus, aut forma resinoso viscosa, lentâ sub evaporatione, relinquitur. Solutiones pristinum chartae exploratoriae coeruleae rubefactae restituant colorem. Alcalina vero chinini indoles optime cognoscitur ex eo, quod plerisque acidis solvatur et sales cum his constituat. Leni calore funditur et in liquidum abit quasi unctuosum; supra laminam autem platineam igni fortiori expositum, odorem spirat empyreumaticum peculiarem et penitus comburitur, nullis relictis cinerum vestigiis.

### CINCHONINUM.



### CINCHONINA PURA.

R: Sulphatis cinchonici, quantum vis.

Crystallos in pulverem redactas in

Aquae calidae debitâ copia

solvas ac ope

Solutionis natri caustici

omne cinchoninum praecipitetur, uti pro chinino indicatum est. Pulverem probe ablutum et siccatum solve in sufficiente quantitate

Alcoholis bullientis, densitatis 0,83,


filtra, ac menstrui lentâ evaporatione crystallos excute leni calore siccandas.

Cinchoninum prismata exhibet tenuia, tetragona, alba, aut crystallos aciculares, pellucidas, nitentes, fragiles, inodoras ac fere insipidas.

Solita temperaturâ aegrius solvitur alcohole, optime autem calore adjuvante, nempe partibus 13 ebullientis; minime solvitur aethere, nec aquâ frigidâ, cujus ebullientis non minus quam 2500 partes requiruntur, facillime quibusdam acidis dilutis, quibuscum connubia salina inicit.

Leni calore funditur, intensiori partim vapores nebulosi ex eo sublimantur, fortiori autem decomponitur, relicto carbone levissimo, aegrius comburendo.

### MORPHINUM.



### MORPHINA PURA.

R. Opii in frustula minuta concisi, quantum vis.

Iterata maceratione in aquâ frigidâ quodcumque hac solubile probe extrahatur; liquores collecti defaecati ad syrupi tenuioris spissitudinem evaporentur. Residuo admisceatur

Chloreti calcici, quantum octavam opii adhibiti partem aequat, parvâ aquae quantitate soluti.

Ebulliant simul per quadrantem horae partem et effundatur liquor in

Aquae frigidae quintuplum, aut sextuplum,

sedulo agitetur; tum sibi relinquatur. Sedimentum filtris ope separatum aquâ frigidâ probe abluatur, liquores collecti limpidi in vase stannéo aut figulino evaporentur, donec pars explorata sub crebra agitatione in massam crystallinam abeat, tum agitentur ad refrigerium. Expri-  
mendo per linteum, liquidum spissum separa et collectas crystallas utpote impuriore et valde coloratas, saepius iteratâ solutione ac expressione, postremo digestionem cum pauxillo pulveris carbonis animalis et filtratione depuratas, solve in

Aquae purae largâ copiâ,

et solutioni limpidae sub continua agitatione instilla

Ammoniam liquidam,

quamdiu praecipitatum oriatur, quod filtro collectum, probe ablutum et siccatum

Alcoholis bullientis, densitatis 0,83,


sufficiente copiâ solve, solutionemque calidam filtratam sepone. Leni evaporatione ac refrigeratione morphinum crystallorum formâ separabitur, quas parvâ alcoholis portione ablue ac in bibula charta leni tantummodo calore sicca.

Crystallulos exhibet prismaticos, tenues, nitidos, diaphanos, fere decolores, saporis amari diu persistentis.

Aquâ frigidâ morphinum vix, fervidâ parum, alcohole bulliente facile, frigido aegrius, aethere minime, alcalibus causticis optime solvitur; leni calore funditur et corpus anhydram fit; refrigeratione massa crystallina turbida

relinquitur; fortiori igne destruitur ac comburitur nullis relictis cineribus. Naturam refert manifeste alcalinam, hinc etiam solvitur acidis dilutis, et sales constituit, ex quorum solutione kali caustico praecipitatur, in cujus tamen excessu rursus penitus solvatur. Crystalli acido nitrico concentrato humectatae colorem profunde rubrum, chlreti ferrici solutione intense coeruleum nanciscuntur.

### STRYCHNINUM.



### STRYCHNINA PURA.

R. Seminum Strychni Nucis Vomicae, quantum vis;

in pulverem grossum redactis affunde in vase figulino

Aquae octuplum et

Acidi sulphurici partem quadragessimam

seminum adhibitorum. Post digestionem frigidam per viginti quatuor horas sub sedulâ agitatione, cribri setosi ope liquorem separa, et residuum cum novâ aqua eâdemque acidi portione iterum digere, quae operatio tertia ac quarta vice, et cum dimidiâ acidi parte, iteranda. Liquores permistos et subsidentiâ faecibus liberatos evapora, donec quarta pars remanserit, cui calidae admisce

Calcem causticam in aquâ diffusam,

ea copiae ratione ut, saturato acido, alcali paululum abundet. Quod post viginti quatuor horas depositum est sedimentum lintei ope separa, probe ablue, sicca et in

pulverem tritum ter quaterve calide digere cum sufficiente copia alcoholis densitatis 0,845; tincturas defaecatas immitte in retortam vitream, destillando septem octavas partes abstrahere et residuum adhuc calens in vas figulinum effunde; lentâ sub evaporatione crystallos excute, quas contritas spiritu vini densitatis 0,935 aliquoties ablue, tum

Acido sulphurico diluto

dissolve, solutionem cum

Pulvere carbonis animalis

calide digere, filtra eique instilla

Ammoniam liquidam,

quamdiu praecipitatum oriatur, quod probe ablutum, siccatum et in pulverem tritum cum

Alcoholis densitatis 0,845

debita quantitate coque, calide filtra et collectas sub refrigerio crystallos leni calore sicca.


Crystalli sunt prismaticae, tetragonae vel octagonae, nitidae, decolores, saporis amarissimi ingrati, in aëre non fatiscentes.

Strychninum aegrius solvitur aquâ, cujus partes 7000 solitâ temperaturâ, bullientis autem 2500 requiruntur. Solutio attamen, magis etiam diluta, sapore eminenti ingrate amaro; aethere minime solvitur, nec etiam alcalibus causticis; aegrius quoque alcohole absoluto, addito autem pauxillo aquae solubilitas augetur; solitâ nempe temperaturâ alcoholis densitatis 0,845 partes viginti ad solutionem requiruntur, minor tamen quantitas ejusdem menstrui



ferventis. Alealium notas manifeste refert strychninum; quapropter faeillime solvitur plerisque acidis dilutis; si autem minus diluta acida, sulphuricum praesertim aut nitricum, illi affunduntur, in massam abit quasi mucilaginosam, quae tamen majori aquae copia perfecte solubilis est. Acido nitrico concentrato prorsus non, aut saltem non nisi leviter rubeseat. Calore nec funditur nec sublimatur; intensiore igne totum quantum comburitur.

### VERATRINUM.



### VERATRINA PURA.

R. Seminum Sabadillae, quantum vis.

Contunde et eum quintuplo aquae, cui admisceatur

Acidi hydrochlorici pars decima sexta

seminum adhibitorum, calide digere, saepius agita et post viginti quatuor horas massam exprime. Affunde eandem aquae acidique portionem, iterum digere et exprime, ac eandem eneheiresin tertia vice et cum dimidia aquae et acidi parte repete. Liquores permixti et subsidentia faecibus liberati colentur, leniter calefiant, iisque sub continuâ agitatione admisceatur tantum

Caleis causticae in aqua diffusae,

quantum requiritur, ut acido saturato paululum praevaleat alcali. Seponatur et, debitâ concessâ quiete, sedimentum positum filtro colligatur, aquâ purâ saepius abluatur, tum

siccetur et in pulverem teratur; digeratur porro ter quaterve cum sufficiente copia

Alcoholis fervidi, densitatis 0,83.

Permixtae tincturae probe defaecatae destillationi subjiciantur, donec partes spirituosae fere omnes abstractae sint; quod superest,

Acido hydrochlorico dilutissimo

solve, solutionem filtra illique adde

Pauxillum carbonis animalis,

calide digere per aliquot horas ac denuo filtra: instilla tunc guttatim

Ammoniam liquidam,

quamdiu sedimentum oriatur. Veratrinum cono chartaceo collectum et aquâ purâ probe ablutum lenissimo calore sicca, et cautâ manu, ne particulae in aërem elevatae nares moleste afficiant, in pulverem tere.

Prostat veratrinum forma pulveris albidî, levis, saporis urentis, odoris nullius, sternutationem vehementissimam provocantis.

Aqua vix solvitur, sat facile autem alcohole absoluto, praesertim calore adjuvante; minus aethere sulphurico. Indolem exhibet leviter alcalinam, et cum acidis chymice jungitur, imprimis sulphurico et hydrochlorico dilutis, quibuscum sales crystallisabiles constituit. Acido autem nitrico et sulphurico concentratis decomponitur colore primum flavo, dein sanguineo. Leni jam calore funditur, majore destruitur.

## b. ACIDA ORGANICA.

## ACIDUM HYDROCYANICUM.

C<sub>2</sub> N<sub>2</sub> H<sub>2</sub> AQUA SOLUTUM.ACIDUM BORUSSICUM. ACIDUM COERULEI  
BEROLINENSIS.*ACIDUM PRUSSICUM.*R. Cyaneti kalico-ferrosi partes duas,  
Aquae destillatae partes octo.

Solve calore digestionis et solutio infundatur in retortam vitream tubulatam, altam, cui adjungatur refrigeratorium pharmaceuticum (1), tum etiam lagena, ad recipiendum acidum hydrocyanicum apta, cui quidem lagenae admoveatur frigus, paratum miscela chloreti ammonici, nitratis kalici et aquae, aut, tempore hyemali, miscela nivis et salis culinaris.

Apparatu rite disposito et juncturis bene clausis, infunde in tubum retortae

Acidi sulphurici concentrati partem unam, antea dilutam una parte aquae.

Fiat destillatio leni calore ad siccitatem usque. Lagena, quae acidum hydrocyanicum continet, epistomio vitreo bene claudatur, et loco obscuro atque frigido servetur.

Acidum hydrocyanicum sic paratum magna copia

---

(1) Est tubus vitreus circumdatus tubo metallico longiore, aqua frigida repleto. Tubus metallicus in partibus inferiore et superiore tubis recurvatis ita instructus est, ut aqua frigida renovari possit.


aquae dilutum est. Pars una hujus acidi  $\frac{1}{50}$  partem acidi puri continet.

Liquor est volatilis, decolor, odoris grati, toxica vi notabili praeditus. Facillime corrumpitur, minus tamen si parva portione acidi sulphurici inquinatus est. Post evaporationem nihil remaneat, nec acido hydrosulphurico materia nigra praecipitetur. Si illi adduntur sulphatis ferroso-ferrici et oxydi kalici solutiones, et deinde acidum quoddam, ut v. c., acidum hydrochloricum, tunc coeruleum Berolinense formatur. Cum nitrate argentico materies praecipitatur alba, floccosa. Hujus ope portio acidi in liquore contenti definiri potest. Acidum enim, ad usum medicum rite paratum, hujus materiae praecipitatae, item rite paratae et siccatae, 0,12 ponderis acidi adhibiti largitur.

Parva ei immixta acidi sulphurici portio non nocet in usu medico.

Quod luminis actione coloratum et decompositum est acidum hydrocyanicum rejiciendum.

### ACIDUM ACETICUM CONCENTRATUM.



ACETUM RADICALE. ACETUM WESTENDORFFII.

#### ACETUM GLACIALE.

R. Acetatis plumbici quantum sufficit.

In pulverem redigatur et calore  $60^{\circ}$ - $70^{\circ}$ , interdum agitando, tandem calore  $100^{\circ}$  ab aqua liberetur in vase terreo.

Hujus salis bene siccati partes triginta

immittantur in retortam vitream tubulatam, refrigeratorio

pharmaceutico instructam et excipulo munitam; sali sensim superinfunde et cum illo bene misce

Acidi sulphurici concentrati partes octo.

Destilletur ex balneo chlorethi calcici usque ad siccitatem. Liquori destillato adde

Parvam bioxydi manganici laevigati copiam,

donec odor acidi sulphurosi, quo scatet acidum, evaserit.

Destilletur denuo et in vasis clausis ad usum servetur acidum aceticum.

Liquor sit decolor, saporis et odoris fortissimi, plane volatilis, aquam ex atmosphaera attrahens; calore 17° densitatis 1,063; infra 17° in crystallos tabulares mutatur. Acidum est fortius; corpore ardente admoto facillime in flammam erumpit, comburiturque lumine coeruleo. Aqua dilutum saporem aceti profert.

Neque sales barytici, neque plumbici, neque argentici aliquid ex acido puro, aqua pura diluto, dejiciant. Colorem fuscum ab acido hydrosulphurico non accipiat; quando cum solutione pigmenti indici coquitur, hujus color non flavus evadat.

Sit expers odoris acidi sulphurosi.

## ACIDUM ACETICUM DILUTUM.

*ACIDUM ACETOSUM. ACETUM DESTILLATUM.*

R. Acetatis plumbici crystallini partes quatuor;  
Acidi sulphurici concentrati partem unam.

Dilue acidum sulphuricum

Quadruplo pondere aquae,

illudque infunde in acetatem plumbicum. Destilla eodem modo, quo acidum concentratum et libera destillatum ab acido sulphuroso immixto, addendo

Parvam bioxydi manganici copiam

et denuo destillando. Ut acidum hoc ad usum aptum reddatur, addita aquae copia misceatur, donec acquisiverit densitatem 1,007.


Parari etiam potest ex aceto ligni puro, tanta aquae copia addita, quanta requiritur ad densitatem indicatam liquori tribuendam.

Sit liquor decolor, limpidus, saporis acidi, odoris fere aceti vini, plane volatilis.

Iisdem puritatis notis instructum sit, quibus acidum aceticum concentratum, aqua dilutum.

Octo partes hujus acidi unam partem carbonatis natrici crystallini neutram reddant.

### ACIDUM TARTARICUM.



### *ACIDUM TARTAROSUM. ACIDUM TARTARI.*

R. Tartratis kalici acidi quantum vis.

Solve aqua ebulliente in vase stanneo, eique continuo ebullienti adde

Carbonatis calcici

parvas simul portiones, donec effervescentia non amplius oriatur. Una pars carbonatis calcici fere sufficit, si quatuor partes cremoris tartari sint adhibitae.

Filtri ope tartras calcicus separetur et aqua deinde bene lavetur.

Omni liquori simul collecto adde

Solutionem chloreti calcici,

qua portione opus est ad decomponendum tartratem kalicum solutum.

Altera tartratis calcici portio, aquâ bene lota, priori jungatur et utrique infundatur

Acidi sulphurici antea octo partibus aquae diluti

tantum, quantum sufficit, ut omnis tartras calcicus decomponatur, in quem finem pars una acidi sulphurici concentrati sufficit, si duae partes cremoris tartari sint adhibitae et operatio rite peracta sit.

Calide digerantur per plures horas, deinde filtrentur; lavetur sulphas calcicus et omnes liquores evaporentur calore admodum modico. Sulphas calcicus, e liquore evaporato praecipitatus, filtro iterum separetur; deinde liquor loco tepido, caloris gradum indicante  $40^{\circ}$ - $60^{\circ}$  evaporationi tradatur, ut sic crystalli nascantur, quae auferantur, ut nova evaporatione liquoris aliae formentur.

Crystalli omnes colligantur, aqua solvantur et iterata crystallisatione depurentur. Depuratae super chartam bibulam aëris vim experiantur, siccentur et servantur usui.

Sunt prismata sex lateribus praedita, extremitatibus oblique huic formae affixis, pyramidalibus, aut crystalli tabulares, decolores, saporis acidi fortioris, odoris nullius, in aëre immutabiles. Ubi calori admovetur, funditur primum acidum tartaricum, nihilque amittit; dein spargit singularem odorem; largitur acida diversa et magnam tandem carbonis copiam relinquit. Hoc dein combusto nihil amplius remanet.


Acidum tartaricum purum aqua plane solvitur; solvitur etiam alcohole; barytae et calcis solutionem turbidam reddit, attamen quod sic praecipitatum est, plane evanescit

addita parva copia acidi hydrochlorici. Ab acido hydro-sulphurico non mutatur.

In aëre non liquescat; ab aqua penitus solvatur. Solutio aquosa a solutione chloreti barytici, oxalatis kalici, nitratis argentici non turbetur. Calori admotum et plane combustum non relinquat sive salem kalicum sive calcicum.

Quod acidum impurum relinquit corpus album, aut sulphas calcicus, aut chloretum calcicum, aut carbonas kalicus esse potest. Ultimus ex combustione tartratis kalici non rite decompositi nascitur.

### ACIDUM BENZOÏCUM.



#### *ACIDUM BENZOËS. FLORES BENZOËS.*

R. Benzoës amygdalinae quantum sufficit.

Immitte in vas ferreum cylindricum, charta bibula tectum et pileo chartaceo instructum. Ponatur vas supra lampadem aut in balneum arenae, et sublimetur acidum benzoicum leni calore, ita ut per poros prioris chartae in pileum chartaceum ducatur, ibique crystallorum formâ affigatur.

Crystalli sunt albae ac splendentes, aciculares, aut prismaticae, hexagonae, odoris benzoës, saporis paululum fauces irritantis. Funditur calore 120° et hoc ulterius aucto in vapores abit irritantes, inflammabiles, ita ut nihil relinquatur. Facillime alcohole et aqua fervida, minus facile aqua frigida solvitur. Solutiones pigmentum laccae musicae rubrum reddunt. Solubile etiam est in acido sulphurico, ex quo addita aqua praecipitatur.

Cum hydrate calcico trituratam minime exhalet vapores ammoniacales, sive odore, sive tubo vitreo acido hydrochlorico humectato detegendos.



## ACIDUM VALERIANICUM.



R. Radicum Valerianae contusarum, quantum vis;  
Aquae purae, quantum sufficit,

et vase destillatorio apto, alembico stanneo munito, destilla secundum regulas pro parandis aquis destillatis aromaticis propositas. Quod prodiit oleum caute separa, aquae vero manifesta acidi vestigia praebenti solutionem instilla carbonatis natrici ad perfectam saturationem. Liquorem evapora et, qui sub fine relinquitur, valerianatem natri-cum, leni tantummodo calore ope balnei aquae exsicca.


Salis in pulverem triti partibus quinque in retortâ  
vitrea affunde

Acidi sulphurici partes quatuor, aquae pari pon-  
dere ante diluti;

applica excipulum vitreum et destilla fere ad siccitatem. Collectum sic acidum valerianicum, cum aquosum, tum quod innatat, iteratae submitte destillationi; separetur tunc supernatans acidum quasi oleosum, et vase vitreo probe clauso servetur.

Sit limpidum, fere decolor aut coloris leviter citrini, odoris penetrantissimi, peculiaris, valerianacei, densitatis 0,944, aquae innatans quidem, hujus autem partibus viginti quinque solubile. Alcohole et aethere sulphurico facillime solvatur; aquosa ejus solutio nec nitratis argentici, nec barytici solutione turbetur.

## ACIDUM SUCCINICUM.

*SAL SUCCINI.*

- R. Succini in pulverem redacti partes viginti quatuor,  
Acidi sulphurici et  
Aquae, utriusque partem unam.

Immitte in retortam vitream, balneo arenae impositam et, apposito excipulo tubulato, destilla, donec sit exsiccatum.

Destillatum et massa in collo retortae haerens aqua ebulliente solvatur, oleum supernatans separetur et liquor aquosus filtretur per chartam madefactam. Quod a superficie liquoris separatum est et in filtro remanet, oleum succini est. Qui per filtrum transiit liquor, evaporatione crystallos acidi succinici largiatur, iterata solutione et evaporatione depurandas.


Sunt prismata rectangularia, pyramidibus quadrilateralibus terminata, albo-flavescentis coloris, odoris olei succini, saporis aciduli. Facillime et alcohole et aqua fervidis solvuntur; aquae autem frigidae 25 partes, alcoholis frigidi majorem copiam, ut solvantur, requirunt.

Funditur acidum calore  $176^\circ$  et omne etiam calore ulterius aucto in vapores abit, si excipias pauxillum carbonis, quod ab oleo adhaerente et decomposito remanet.

Solutio acidi succinici non adulterati in acido nitrico diluto cum salibus baryticis et argenticis nihil praecipitet.

A solutione chlreti calcici non turbetur, neque ea concentrata cum parva admodum hydratis kalici copia praebet sedimentum crystallinum, parum solubile. Cum hydrate calcico trituratam ammoniam non expellat.

## ACIDUM TANNICUM.

*TANNINUM. PRINCIPIUM SCYTODEPSICUM.*

R. Gallarum Turcicarum, quantum vis.

Redigantur in pulverem rudiores et per aliquot dies in loco humido serventur, ut aqua saturentur. Immittantur tum in apparatusum lixiviatorium iisque infundatur

Aetheris, aqua saturati,

quantum sufficit, ut spatium inter pulverem superstes repleatur. Apparatu clauso haec sibi relinquuntur per 48 horas, tum exitus concedatur liquori in infundibulum, parte inferiore clausum, parte superiore lamina vitrea tegendum. Post aliquam quietem hic in duo strata secernitur, quorum inferius solutio acidi tannici est in aqua, aetheri mixta, separato superiore, quod praecipue acidum gallicum aethere solutum continet. Inferius stratum ter cum aetheris pari volumine lavetur, deinde sub campana antliae pneumaticae, aut si non adest, loco tepido quam celerrime evaporetur ad siccitatem.

Sit materies amorpha, alba, aut non nisi leviter tincta colore flavo, odoris nullius, saporis fortiter adstringentis, in aëre sicco immutabilis, facillime aqua et spiritu vini solubilis. Solutio aquosa concentrata cum acido sulphurico et hydrochlorico praecipitata alba format, aqua et alcohole solubilia. Sales ferrosi ab illo non mutantur, ferrici autem nigro colore vel minimam illius indicant portionem.

Praecipitat gelatinae animalis, albuminis ovorum, amyli et salium alcaloïdeorum solutiones. Destillatione sicca, praeter alia, etiam acida pyro- et meta-gallica reddit. Solutio aquosa aëre decomponitur et praeter alias materies acidum gallicum praebet.

Purum acidum tannicum post combustionem nihil relinquat.

c. SALES CUM ACIDIS ORGANICIS.

ACETAS KALICUS.

KO, C<sub>4</sub>H<sub>6</sub>O<sub>3</sub>.

KALI ACETICUM. ACETAS POTASSAE.

*TERRA FOLIATA TARTARI.*

R. Carbonatis kalici, quantum vis,  
Aceti ligni puri, quantum sufficit

ad perfectam saturationem. Adde insuper paucillum acidi acetici, ita ut acida sit solutio. Filtretur, tum evaporetur in vase porcellaneo, et exploretur num acida manserit solutio. Evaporetur denuo sub continua agitatione ad siccitatem et calidus sal immittatur in vas vitreum calefactum, bene claudendum.

Est sal neuter, albus, amorphus, hygroscopicus, odoris nullius, saporis calefacientis, salsi, mitioris. Aqua et alcohole est plane solubilis et nihil ex illis solutionibus deponitur. Acidum tartaricum in solutione aquosa, et chloretum platonicum in solutione alcoholica, oxydum kalicum indicant; acidum sulphuricum in salem siccum infusum expellit acidum aceticum. Aquam ex aëre attrahit et diffluit. Destillatione sicca decomponitur, ita ut carbonas kalicus remaneat, et acetone praecipue destilletur.

Solutio diluta hujus salis neque nitrate argentario, neque chloreto barytico, neque acido hydrosulphurico affusis aliquid praecipitet aut coloris mutationem subeat.

Post combustionem carbonatem kalicum purum relinquat.

## ACETAS KALICUS LIQUIDUS.

LIQUOR KALI ACETICI. ACETAS POTASSAE  
LIQUIDUM.

*LIQUOR TERRAE FOLIATAE TARTARI.*

- R. Salis modo memorati aut saturationis neutrius carbonatis kalici et acidi acetici ligni, quantum sufficit.

Solvatur aut misceatur cum aquae tanta quantitate, quanta liquor perfecte neuter acquiratur, densitatis 1,05.

Solutio limpida et neutra dignoscitur characteribus in descriptione salis ipsius allatis.

## ACETAS NATRICUS.

$\text{NaO}, \text{C}_4 \text{H}_6 \text{O}_3, + 6 \text{AQ.}$

NATRUM ACETICUM. ACETAS SODAE.

*TERRA FOLIATA TARTARI CRYSTALLISABILIS.*

- R. Carbonatis natrici, quantum vis.

Solvatur aqua et addatur

Aceti ligni, quantum sufficit ad saturationem.

Adjice pauxillum acidi acetici et evaporetur, ut crystalli oriantur, quae siccentur et in usum serventur.

Crystalli sunt pellucidae, formae prismaticae, saporis salsi, amari et refrigerantis; efflorescunt in aëre, funduntur calore aquae ebullientis. Alchhole parum, facillime autem

aqua solvuntur. Calefactae odorem aceticum spargunt; addito acido sulphurico acidum aceticum emittunt; sal ipse flammam spiritus vini flavam reddit.

Post combustionem carbonatem natricum purum relinquit. In aëre humido non deliquescat. Caeterum ejus notae eodem modo, quo acetatis kalici, explorentur.

### ACETAS AMMONICUS LIQUIDUS.

$N_2H_3O$ ,  $C_4 H_6 O_3$ , CUM AQUA.

### LIQUOR ACETATIS AMMONIAE. ACETAS AMMONIAE LIQUIDUM.

#### *LIQUOR AMMONII ACETICI. SPIRITUS MINDERERI.*

R. Ammoniae liquidae ;  
Acidi acetici fortioris, utriusque quantum sufficit  
ad saturationem.

Misceantur inter se, et, si necesse est, addatur aquae purae tanta quantitas, quanta liquor obtineatur perfecte neuter, densitatis 1,05. Explora solutionem acetatis ammonici post aliquot dies, utrum adhuc neutra sit. Usui servetur vasis bene clausis.

Liquor est pellucidus, decolor, saporis salini, odoris suavis, plane volatilis. Evaporatione in vase altiori crystalli bi-acetatis ammonici ex eo sublimantur. Hydras kalicus ex liquore isto ammoniam, acidum sulphuricum autem acidum aceticum expellit. Colores plantarum aut non aut vix mutet. Aqua dilutus, addito acido nitrico puro, a sale argentario aut barytico non turbetur, neque ab oxalate ammonico pulvis albus deponatur.

## ACETAS PLUMBICUS LIQUIDUS.

PbO, C<sub>4</sub> H<sub>6</sub> O<sub>3</sub>, AQUA SOLUTUS.

SOLUTIO PLUMBI ACETICI.

*ACETUM PLUMBI, SEU LITHARGYRI.*

R. Acetatis plumbici, quantum vis,

solve in aquae depuratae ea copia, qua liquor densitatem 1,252 acquisiverit.

Si prorsus limpida non est solutio, illam cola, servaque usui in lagenae clausa.

Omnes characteres habeat solutionis acetatis plumbici. Conferantur igitur quae de eo sale dicta sunt.

## ACETAS PLUMBICUS TRIBASICUS.

3 PbO, C<sub>4</sub> H<sub>6</sub> O<sub>3</sub>, AQUA SOLUTUS.

SUB-ACETAS PLUMBI LIQUIDUM. ACETUM SATURNINUM

*ACETUM PLUMBI CONCENTRATUM.**EXTRACTUM SATURNI.*

R. Acetatis plumbici partem unam.

Solve in

Aquae partibus quatuor.


Digere calore, eique per vices adde

Parvas portiones oxydi plumbici puri et bene pulverisati,

donec nihil amplius solvatur. Aquam, digestionem evaporatam, interdum restitue, et si necesse est, denuo adde, ut liquor densitatem habeat 1,5.

Est liquor spissus, decolor, aqua purissima et ab omni sale et acido carbonico libera solubilis, alcohole vero insolubilis. Acidum sulphuricum ex illo acidum aceticum expellit. Solutio aquosa a carbonatibus et sulphatibus alcalinis colore albo, ab acido hydrosulphurico colore nigro, a bichromate kalico colore flavo praecipitatur. Saporem dulcem et adstringentem notatur et exhibet alcalinam reactionem. Aëre decomponitur et praecipitatur materiae alba; servetur igitur lagenae clausae. Post combustionem plumbum cum oxydo plumbico relinquit. Magna addita ammoniae copia caeruleum colorem non ostendat.

### TARTRAS KALICUS.



TARTRAS POTASSAE. KALI TARTARICUM.

### TARTARUS TARTARISATUS.

R. Carbonatis kalici, quantum vis.

Solve in

Aquae bullientis sufficiente copia,

adde

Tartratis kalici acidi, quantum sufficit

ad perfectam saturationem. Refrigeratam solutionem filtra et evapora leni calore. Servetur in vasis bene clausis.

Sal decolor est, inodorus, saporis salsi, amari; facillime aqua solvitur. Aëris humiditatem attrahit; calore admoto



nigrescit et odorem acidi tartarici, quod comburitur, spargit; post combustionem carbonatem kalicum relinquit, carbone mixtum. Acidum hydrochloricum ex ejus solutione non diluta cremorem tartari praecipitat.

Ab aqua penitus solvatur, ejusque solutio multa aqua diluta post aliquod tempus non turbetur. Cum acido nitrico puro commixta solutio et dein filtrata ab addita solutione chloreti barytici aut nitratis argentici vix turbetur. Ab acido hydrosulphurico non coloretur. Alcalinam reactionem non ostendat.

TARTRAS KALICUS ACIDUS CUM AQUA  
DEPURATUS.



BI-TARTRAS POTASSAE. BITARTRAS KALICUS.

*SUPERTARTRAS POTASSAE. CREMOR TARTARI  
DEPURATUS.*

R. Tartratis kalici acidi venalis, quantum vis.

Solvatur aqua ebulliente, cola liquorem calidum, ut evaporatione et refrigeratione crystalli nascantur, siccandae et usui servandae.

Crystalli sunt prismaticae, durae, in aëre immutabiles, saporis acidi et reactionis acidae. Difficulter aqua frigida, facile autem calida solvuntur. Kali causticum autem hunc salem facile in aqua frigida solubilem reddit formando tartratem kalicum. Admoto calore nigrescunt crystalli et odorem acidi tartarici, quod comburitur, spargunt. Post combustionem remaneat solus carbonas kalicus cum carbone

mixtus. Carbonas kalicus sic e tartrate acido paratus solvitur in acido hydrochlorico; admixtis ammoniae solutione et oxalate ammonico, sedimentum album vix praebeat, neque ab addita cyaneti kalico-ferrosi solutione turbetur.

### TARTRAS KALICO-NATRICUS CUM AQUA.



TARTRAS POTASSAE ET SODAE. SODA  
TARTARISATA. TARTARUS NATRONATUS.

### *SAL POLYCHRESTUS SEIGNETTI.*

R. Carbonatis natrici, quantum vis.

Solve in aquae bullientis sufficiente copia, adde per vices


Tartratis kalici acidi, quantum sufficit ad perfectam saturationem.

Liquorem sepone per duos dies et filtra, deinde evapora, ut nascantur crystalli, quae siccentur et serventur in usum.

Crystalli sunt majores, pellucidae, decolores, systematis rhombici, odoris nullius, saporis salini, amari. Efflorescunt in aëre sicco et calido; calore funduntur. Facillime aqua solvuntur. Post combustionem, qua odorem spargunt acidi tartarici quod comburitur, relinquunt miscelam carbonatis kalici, carbonatis natrici et carbonis et praeter haec nihil. Solutio hujus salis non diluta sedimentum cremoris tartari cum acido hydrochlorico praebet.

Eodem modo puritatis notae explorentur, quo tartratis kalici.

## TARTARUS BORAXATUS.

BORAX TARTARISATUS. CREMOR TARTARI  
SOLUBILIS.*TARTRAS POTASSAE BORAXATUS.*

R. Biboratis natrici depurati partem unam ;  
Aquae bullientis, quantum sufficit

ad solutionem. Adde


Tartratis kalici acidi partes duas.

Liquor refrigeratus filtretur et evaporetur in vase porcellaneo sub continua agitatione ad siccitatem. Massam etiamnum calidam tere in pulverem in mortario itidem calefacto et pulverem in vasis bene clausis usui serva.

Pulvis est albus, qui humiditatem aëris facile attrahit, saporis acidi, aqua facillime solubilis, alcohole insolubilis. Igne decomponitur, alcalinam et carbonaceam massam relinquens, quae addito acido sulphurico flammam alcoholis viridem reddit.

Solutio aquosa limpida sit et ab acido hydrosulphurico neque turbetur, neque coloretur. Dignoscitur caeterum proprietatibus boratis natrici et tartratis kalici.

## TARTRAS KALICO-STIBICUS.



## TARTRAS POTASSAE ET OXYDI ANTIMONII.

## KALI ANTIMONIATO-TARTARICUM.

*TARTARUS EMETICUS.*

- R. Oxydi stibici in subtilissimum pulverem redacti partes quinque;  
 Tartratis kalici acidi depurati partes quatuor;  
 Aquae depuratae partes viginti.

Digere per aliquot horas in vase porcellaneo sub moderato calore; restitue aquam expulsam et coque per quadrantem horae, filtra liquorem calidum et sepone. Crystalli formatae triturentur in pulverem iterumque aqua solvantur calida. Solutio filtretur calida et loco frigidus ponatur, ita ut iterum orientur crystalli siccandae et servandae in vitro clauso.

Crystalli sunt columnares rectangulares, aut rhombo-octaëdricae, recentes pellucidae, postea opacae, odoris nullius, saporis salsi, nauseosi. Solvuntur facillime aqua calida, satis facile etiam aqua frigida, qualis solutio reactionem acidam offert et acido sulphurico sedimentum album, acido hydrosulphurico praecipitatum fusco-rubrum largitur. In apparatus clauso, intensissimo calore admoto, relinquat massam, quae cum aqua commixta gas hydrogenium inodorum exhalet, ab omni arsenico liberum. Ab abundante copia sulphureti ammonici praecipitatum, in solutione primo ortum, plane deinde solvatur. Calefactum, post decompositionem acidi tartarici, stibium regulinum tectum carbonate kalico, carbone mixto, relinquit.

## VALERIANAS ZINCICUS.



## VALERIANAS ZINCI.

*ZINCUM VALERIANICUM.*

- R. Hydratis oxydi zincici e sulphate ope kali caustici recens praecipitati, probe abluti, nec vero siccati, quantum vis.

In cucurbitâ vitreâ affunde aquae depuratae partes quadraginta pro quavis portione sulphatis zincici adhibiti. Leniter calefactis crebrâ sub agitatione per vices instilla

Acidi valerianici, quantum sufficit,

ut post digestionem aliquot horarum fere omne oxydum solutum sit. Liquorem tunc filtra et in vase figulino leni calore evapora; quae in superficie oriuntur crystallos interdum separa et ita perge, donec pars liquoris fere decima supersit, quae rejiciatur. Collectas crystallos absque pressione in chartâ bibulâ loco calido probe siccatas in vase clauso serva.

Crystalli sunt lamellares, levissimae, niveae, nitidissimae. Aquae ebullientis partes sexaginta postulant, ut solvantur; frigidae autem quinquaginta partes sufficiunt.

Acidi valerianici odorem referunt; saporis sunt metallici adstringentis; leni calore funduntur et vapores exhalant albidos, intensiore comburuntur, relicto oxydo zincico puro.

**LACTAS FERROSUS.**

**LACTAS OXYDULI FERRI. FERRUM OXYDULATUM  
LACTICUM.**

*LACTAS PROTOXYDI FERRI.*

- R. Lactis vaccini acescentis partes viginti quatuor,  
Sacchari lactis partem unam,  
Limaturae ferri partem unam.

Digerantur per plures dies, calore 30°-40°, donec gas hydrogenium non amplius emittatur. Tum adde novam sacchari lactis portionem et digestionem continua tamdiu, quamdiu hydrogenium emittitur. Si ferrum fere disparuerit, digestio sustineatur et ebulliat miscela, illaque ebulliens et quam citissime filtretur, ita ut liquor recipiatur lagena, post filtrationem statim claudenda.

Post refrigerium oriuntur crystalli, quae per plures dies formantur et deponuntur. Colligantur, aqua abluantur, et inter chartam bibulam loco tepido celerrime siccentur. Serventur in lagenis bene clausis.

Lactas ferrosus, tali modo paratus, licet non purus, ad usum tamen medicum utique aptus est.

Crystalli sunt viridi-albae, aciculares, quatuor lateribus instructae, ubi siccissimae sunt, in aëre immutabiles, aqua frigida parum solubiles. Solvuntur autem in alcohole aqua diluto, dum insolubiles sunt in alcohole et aethere. Ferri sapor in iis minus detegitur, quam in aliis hujus metalli praeparatis.

Aqua solutus et aëre accedente sal ferrosus in salem ferricum mutatur. Solutio aquosa a solutione alcoholica

acetatis plumbici limpida vix turbatur, qua nota ab aliis e ferro praeparatis medicaminibus distinguitur.

Acidum lacticum ex hoc sale separatum et evaporatum, liquor est spissitudinis syrupi, inodorus, saporis acidi; parum aethere, facillime aqua et alcohole solubilis. Calori admotum partim mutatur in sublimatum album crystallinum, partim producta destillationis siccae offert.

### TINCTURA FERRI CYDONIATA.

#### TINCTURA MARTIS CYDONIATA.

R. Hydratis ferrici (Rubiginis ferri) partem unam;  
Succi cydoniorum recens expressi partes duodecim.

Digerantur per dies aliquot sub crebrâ agitatione, tum leniter coquantur in vase ferreo, donec dimidium liquoris supersit, qui in vas aptum effundatur et post debitam quietem filtretur, et cujus tandem partibus duodecim


Spiritus Cinnamomi pars una

probe admisceatur.

#### d. SALES CUM BASI VEGETABILI.

~~~~~

SULPHAS CHINICUS BASICUS.



SULPHAS BICINNICUS. SULPHAS CINNINI.

R. Corticis peruviani regii uncias triginta duas.

In pulverem grossum contuso cortici affunde

Aquae purae libras sedecim, quibus admisce
Acidi hydrochlorici uncias duas et
Acidi sulphurici unciam unam.

Coque per horam dimidiam in vase figulino, dein cola et
exprime; residuo denuo affunde aquae et acidorum eandem
copiam; fiat iterum coctio ut ante, quae tertiâ vice repe-
tenda cum acidorum portione dimidiâ. Liquores collecti
calefiant iisque addantur

Calcis vivae unciae quatuor, aquae partibus
duodecim extinctae

et in pulverem redactae, sub agitatione assiduâ, donec
liquor indolem leviter alcalinam ostendat; tum sibi relin-
quatur, ut sedimentum ponat, quod aquâ purâ frigidâ
ablutum supra linteum colligatur, exprimatur et leni calore
siccetur; dein in pulverem teratur, qui iteratis vicibus
calide digeratur

Cum sufficiente quantitate spiritus vini den-
sitate 0,86,

donec omni amaritie exemptus sit. Permixtis tincturis,
destillando inde abstrahantur septem octavae partes; resi-
duum in vas aptum effundatur et cum aquae largâ quantitate
coquatur,

per vices ac guttatim fere addito acido sul-
phurico diluto,


ita tamen ut acidum non praevaleat. Solutio cum parvâ
carbonis animalis copiâ bulliat, fervida filtretur et sepo-
natur, ut crystalli oriantur. Crystalli repetitâ solutione

depuratae tandem in linteum colligantur et sine pressione aut calore siccentur.

Crystalli sunt tenuissimae, levissimae, aciculares, niveosericeae, subflexiles, saporis intense at non ingrante amari, aëri calido expositae fatiscentes, luce solari fuscescentes.

Sulphas chinicus aegre solvitur aquâ frigidâ, cujus quippe partibus 725 ad solutionem opus est, bullientis autem partes 32 sufficiunt. Solutio chartae exploratoriae colorem non mutet; chinino, ope alcali cujusdam cautâ manu ex illâ praecipitato et probe separato, liquore dein leni calore inspissato, residuum saporem subdulcem nequaquam obferat, nec igni admotum peculiarem sacchari, quod comburitur, odorem spargat. Alcohole, praesertim leviter calefacto, totus quantus solvatur sulphas chinicus, nullis relictis particulis non solutis; vix solvatur aethere sulphurico; solutio alcoholica flammâ coeruleâ, non vero in viridem vergente, uratur. Crystalli hujus salis acido sulphurico concentrato conspersae sine coloris mutatione solvantur; addita autem largâ aquae copiâ, solutio acida colorem peculiarem laete coeruleum obferat, sed lacteâ quadam albedine minime turbetur.

HYDROCHLORAS CHINICUS.



MURIAS CHININI.

R. Chinini, quantum vis,

in vase figulino affunde

Aquae purae duodecuplum,


cui leniter calefactae instilla

Acidi hydrochlorici diluti, quantum sufficiat,

ut chininum solvatur. Solutionem per aliquot horas calide digere cum carbonis animalis parvâ quantitate, tum filtra et post debitam evaporationem sepone, ut crystalli fiant, in chartam bibulam colligendae et sine calore siccandae.

Prismata exhibet tenuia, acicularia, alba, sericeo-margaritacea. Crystalli minori gaudent levitate, aut multo magis solubiles sunt aquâ frigidâ, quam quae ex Sulphate chinico sunt.

ACETAS CHINICUS.



ACETAS CHININI.

Eadem ratione paretur ut sal modo indicatus, sed loco acidi hydrochlorici acidum aceticum adhibeatur.

Hujus salis crystalli sunt tenerrimae, aciculares, niveo-sericeae, splendentes, aquâ facile solubiles, attamen in aëre humido non deliquescentes.

Puritatis investigatio cum hydrochloratis tum acetatis chinici eadem prorsus est, quam qualem pro sulphate chinico indicavimus; addendum insuper, eorum solutionem aquosam chloreti barytici solutione non turbari. Acetatem chinicum, additis acidi sulphurici parum diluti ac calefacti nonnullis guttulis, acidi acetici vapores exhalare omnino necesse est.

VALERIANAS CHINICUS.

*VALERIANAS CHININI.*

R. Chinini, quantum vis.

Solve in

Alcoholis densitatis 0,82 parum calefacti pondere
quadruplici.

Instilla prudenter

Acidum valerianicum,


donec, saturato chinino, levissima aciditatis vestigia pro-
ferat solutio, cui tunc admiscenda

Aquae depuratae pars aequalis et pauxillum car-
bonis animalis in pulverem redacti.

Post calidam digestionem per aliquot horarum spatium
filtretur liquor, et calore quam lenissimo evaporetur, ut
crystallos praebeat in chartâ bibulâ caute siccandas et in
vase vitreo probe clauso servandas.

Crystalli sunt albae, subdiaphanae, splendentes, ac
acidi valerianici odorem et chinini amaritiam offerant.
Aqua et alcohole solubiles sint; solito autem aëris calore,
prioris liquoris centum et decem partes postulatur, dum
posterioris sex jam sufficiunt.

Caeterum puritatis investigatio eadem sit, quae pro
sulphate chinico indicata est.


SULPHAS CINCHONICUS BASICUS.*SULPHAS CINCHONINI.*

R. Corticis peruviani fusci, quantum placet.

Simili prorsus modo tractetur, uti pro Sulphate chinico praescriptum est. Solutio autem, post digestionem cum carbone animali ac filtrationem, leni calori exponatur, ut lentâ sub evaporatione crystalli fiant, colligendae, abluendae, et in bibulâ charta siccandae.

Prismata exhibet insignia basibus rhomboideis, vel lamellas albas, micantes, margaritaceas, in aëre immutabiles, saporis amari, sapore autem sulphatis chinici multo mitioris, at minus grati.

Calore facile funditur sulphas cinchonicus; aquae partibus sexaginta, alcoholis partibus septem, in solitâ aëris temperie solvitur; aethere sulphurico insolubilis est. Solutio turbatur alcalibus causticis, et cinchoninum praecipitatur, cujus puritas descriptis notis cognoscenda.

SULPHAS MORPHICUS.*SULPHAS MORPHINI.*

R. Morphini puri, quantum vis.

In pulverem redactum immitte in vas figulinum aut porcellaneum, eique instilla

Acidi sulphurici sufficienter diluti et parum calefacti quantum sufficit,

ut solvatur; cave tamen, ne acidum praevaleat. Solutio, si opus fuerit, cum pauxillo carbonis animalis pulverisati digeratur; filtretur et evaporetur ut, concessâ quiete, crystalli fiant levissimo calore siccandae.

Crystallulos sistit aciculares, albos, in aëre persistentes, saporis amari, aquâ et alcohole facile solubiles. Calori expositus sal aquam crystallisationis amittit.

HYDROCHLORAS MORPHICUS.



MURIAS MORPHINI.

Eadem ratione paratur ut sal modo indicatus, sed loco acidi sulphurici diluti acidum hydrochloricum dilutum adhibeatur.

Crystalli sunt aciculares, tenues, albae, saporis amari, in aëre deliquescentes; aquae frigidae partibus viginti, bullientis parte aequali solvuntur; alcohole etiam admodum solubiles sunt.

ACETAS MORPHICUS.



ACETAS MORPHINI.

R. Morphini puri quantum vis.

In vase figulino partitis vicibus affunde


Acidi acetici, aquae depuratae sextuplo diluti,

quantum sufficit ut, leni adhibito calore, penitus solvatur. Solutioni adde parum carbonis animalis in pulverem redacti, ac sub digestionem per aliquot horas, nonnullas instilla acidi acetici guttulas, ut reactio acida praevaleat. Liquorem filtratum evapora, et cuticulâ in superficie natâ in loco admodum calido sepone, donec in pulveris formam transeat, qui probe siccandus et in vase rite clauso servandus.

Pulvis sit albidus vel subgriseus, acidum aceticum parum redolens, saporis peramari, aquâ facile et penitus solubilis; solvitur et alcohole. In aëre partem acidi facile amittit, ita ut deinde aqua non plane solvatur.

Morphini sales aequae ac Morphinum purum acido nitrico concentrato colore rubro, solutione chloreti ferrici coeruleo tingantur; praecipitatum in illorum aquosâ solutione ab affuso kali caustici lixivio natum in hujus excessu rursus totum quantum solvatur.

NITRAS STRYCHNICUS.



NITRAS STRYCHNINI.

R. Strychnini puri, quantum placet.

In pulverem tritum solve

Acido nitrico dilutissimo parum calefacto;


solutionem perfecte neutram filtra et debitâ ac lentâ evaporatione in crystallos redige leni calore siccandas.

Crystalli sunt sericeo-splendentes, aciculares, coloris expertes, aqua facile solubiles, etiam alcohole, non vero

aethere sulphurico. Calori expositae mox flavo colore induuntur, expanduntur, levem faciunt explosionem et carbonem relinquunt.

Solutio aquosa sit prorsus decolor, nec ab admixtis acido sulphurico aut hydrochlorico concentratis colore rubro tingatur.

HYDROCHLORAS STRYCHNICUS.




MURIAS STRYCHNINI.

Eodem modo paretur, quo sal cum acido nitrico, ex strychnino et acido hydrochlorico diluto.

Crystalli sunt aciculares, nitentes, aqua facillime solubiles, nec tamen deliquescentes. Aëri expositae nitorem amittunt.

ACETAS STRYCHNICUS.



ACETAS STRYCHNINI.

R. Strychnini puri, quantum vis.

In pulverem reductum solve

Acido acetico sufficienter diluto,

ita ut solutio perfecte neutra appareat, quae filtrata lenissimo calore ad siccitatem evaporetur.

Sit pulvis albus, aquâ, additis nonnullis acidi acetici guttulis, facile solvendus.

Strychnini sales criteriis speciatis jam relatis dignoscendi, omnes sint saporis peramari, ingrati, diu persistentis. Eorum solutiones dilutae addito pauxillo acidi hydrochlorici, chlreti hydrargyrici solutione mox praecipitantur; praecipitatum sit album, crystallinum et majoris voluminis.

e. SAPONES.

~~~~~

SAPO MEDICATUS.

- R. Solutionis natri caustici, densitatis 1,33 (1), partem unam;  
Olei olivarum partes duas.

Misce agitando; seponatur miscela et interdum agitetur, donec quam citissime homogenea sit. Digeratur tum balneo aquae, ut sapo fiat; solvatur dimidia parte aquae et misceatur cum solutione salis culinaris saturata, calida; agitetur miscela et seponatur. Hac refrigerata, auferatur sapo a superficie, in linteum ponatur, frigida aqua parumper abluatur, ut a liquore salino quantumpotest liberetur. Liquescat dein sapo in balneo aquae et refrigeratus in frustula dividatur, ad usum servanda in lagena vitrea clausa.

Sit massa alba, solida, lubrica, odoris et saporis saponacei, aqua et alcohole plane solubilis. Vulgo reactionem aliquam alcalinam declarat. Cavendum tamen, ne alcali excedat. Acidum hydrochloricum in solutionem aquosam saponis instillatum producit praecipitatum album, quod superficiem petit, et humorem limpidum infra super-

---

(1) Quae continet 23,75 natri caustici et 76,25 aquae partes.



ficiem. Acetatis plumbici solutio alcoholica praecipitatum profert album saponis plumbici. Post combustionem carbonatem natricum relinquit.

Partes constituentes sunt margaras et oleas natricus et pauillum salis culinaris cum aqua immixta. Rejiciatur sapo coloratus, vetustus, rancidus, corporibus heterogeneis inquinatus.

Solutio aquosa ab acido hydrosulphurico non coloretur.

### SAPO AMMONIAE.

#### *LINIMENTUM VOLATILE. LINIMENTUM AMMONIAE.*

R. Ammoniae liquidae partem unam ;  
Olei olivarum partes quatuor.

Agitetur massa et ad usum servetur in vase vitreo epistomio vitreo bene clauso.

Sit coloris albi, odoris ammoniae, consistentiae mellis, aut et spissiõris.

Post aliquod tempus miscela olei et ammoniae liquidae, quae genuinus sapo non est habenda, in verum ammoniae saponem mutatur.

### SAPO AROMATICUS.

#### *LINIMENTUM SAPONATO-CAMPHORATUM.*

#### *LINIMENTUM CAMPHORAE COMPOSITUM.*

#### *BALSAMUM OPODELDOCH.*

R. Saponis albi ;  
Sevi ovilli partes sex ;

Camphorae partem unam ;  
 Alcoholis densitatis 0,828, partes octoginta.

Liquescant solida in alcohole ope balnei aquae; cola per chartam in apparatu clauso et liquori calido adde

Olei bergamotti partes duas;  
 Solutionis saturatae gas ammoniaci in alcohole densitatis 0,828, partes tres.

Misceantur et linimentum servetur in vasis clausis.

Sit gelatina semi-pellucida, odoris ammoniacae, camphorae, olei bergamotti et alcoholis; calore manus liquescat, coloris sit fere albi, characteres chymicos saponis referens.

Temporis vi plane albescit.

### SAPO JALAPPINUS.

R. Resinae Jalappae ;  
 Saponis medicati, utriusque partes aequales ,  
 Alcoholis densitatis 0,828, quantum sufficit

ad solutionem in balneo aquae. Agitetur miscela sub evaporatione, donec massa sit pilularis.

Sit massa fusco-grisea, solubilis alcalibus et spiritu vini.

Dignoscitur proprietatibus resinae jalappae et saponis medicati.

### SAPO STIBIATUS.

#### *SAPO ANTIMONIALIS.*

R. Sulpho-stibiatis natrici partem unam.

Solve balneo aquae in

Aquae partibus tribus,

tum adde

Saponis albi venalis partes tres.


Solvatur et balneo aquae evaporetur ad spissitudinem satis solidam. Ubi massa sub evaporatione colore rubro tincta est, prudentissime addatur pauxillum solutionis hydratis natrici, ita ut colorem cinereum denuo accipiat. In lagena bene clausa servetur.

Sit massa cinerea, aqua solubilis; cum acidis rubescit et acidum hydrosulphuricum evolvit. Aëre decomponitur, colore rubro tingitur et sulphuretum antimonium separatur. Dignoscitur characteribus saponis et salis Slippensis. Rejiciatur sapo vetustus et aqua non plane solubilis.

*f.* MATERIES NEUTRAE.

~~~~~

AMYGDALINUM.



R. Amygdalarum amararum, pressione inter laminas ferreas calidas ab oleo, quantum fieri potest, liberatarum, quantum sufficit.

Coquantur cum

Spiritu vini rectificatissimo

et liquor fervidus filtretur.

Evaporetur destillando in retorta vitrea, in balneo aquae posita, et cui excipulum junctum est, ad syrapi

spissitudinem; aquâ solvatur residuum, et liquori addatur aliquantulum fermenti. Caloris gradu 25° decomponatur hoc modo saccharum, amygdalis contentum et alcoholc ex his solutum. Saccharo decomposito, filtretur et evaporctur liquor ad syrupi spcciem, illique addatur

Alcohol rectificatissimus,

quo amygdalinum praecipitetur. Colligatur hoc, exprimat inter chartam bibulam et alcohole calido solvatur, ut refrigeratione in crystallos concreseat.

Postrema haec methodus tandiu repetatur, donec crystalli sint decolorcs.

Sint crystalli lamellares aut minute aciculares, sericeae, inodora et insipida, aqua facile solubiles, alcohole item fervido, parum frigido. Solutio aquosa cum amygdalis dulcibus comminutis mixta, odorem acidi hydrocyanici exhalat. Alkali fixum ei additum ammoniam liberam reddit et acidum amygdalicum format, quod cum alcali jungitur.

Amygdalinum, admoto calore, odorem peculiarem spargit et carbonem purum volumine satis notabili relinquit, plane comburendum. Materies per se iners videtur; si autem sumatur una cum amygdalis dulcibus aut amaris, in vehementissimum venenum mutatur.

Amygdalinum solutum emulsione amygdalarum dulcium, inter alia producit acidum hydrocyanicum et hydrurctum benzoyli: elementa activa olei lauro-cerasi et aquae eodem nomine indicatae. Loco Olei Laurocerasi et Aquae Lauroccerasi destillatae, amygdalinum ita adhiberi potest, ut solvatur ejus pars definita certâ portione emulsionis amygdalarum dulcium. Septemdecim partes amygdalini hac ratione unam partem acidi hydrocyanici fortissimi producant, et fere octo partes olei laurocerasi.

Si itaque loco acidi hydrocyanici amygdalinum adhibere cupias, hanc sequaris formulam.

AMYGDALINUM CUM EMULSIONE.

- R. Emulsionis amygdalarum dulcium unciam unam;
Amygdalini grana octo;

solve.

Continetur illo liquore $\frac{1}{2}$ granum acidi hydrocyanici, si indicatam normam sequaris nostrae Pharmacopoeae. Est itaque amygdalinum fere ad acidum hydrocyanicum uti 1 est ad 10; id est decies mitius aget quam acidum hydrocyanicum.

Loco Aquae laurocerasi, quae facile corrumpitur, haec formula adhiberi potest amygdalini.

AQUA EX AMYGDALINO PARATA.

- R. Emulsionis amygdalarum dulcium unciam unam;
Amygdalini grana tria,

solve.

Liquor ille eandem acidi hydrocyanici portionem continet, quam aqua lauro-cerasi Pharmacopoeae Neerlandicae.

SANTONINUM.

*SANTONINA.*

- R. Seminis Santonici in pulverem rudiores redacti
partes quatuor;
Hydratis calcici recens parati partem unam;

Spiritus vini densitatis 0,86 partes viginti.

Probe misceantur et digerantur calide per horas aliquot. Postquam refrixerit liquor preli ope separetur, et quod remansit, secundâ et tertiâ vice cum spiritu vini ejusdem densitatis simili modo tractetur. Permisceantur tincturae ac destillationi committantur, donec quarta pars remanserit. Haec penitus refrigerata filtretur eique instilletur

Acidum aceticum concentratum,

donec hoc paululum abundat, tunc sibi relinquatur. Quae post aliquot dierum spatium separata est massa crystallina, aquâ purâ abluatur, et deinde in

Alcoholis densitatis 0,82 sufficiente portione

solvatur, ut post digestionem calidam

cum pulvere carbonis animalis


ac filtrationem, leni tandem evaporatione, crystalli obtineantur, quae probe siccatae in vase clauso loco obscuro servantur.

Crystalli sint decolores, nitentes, odore ac fere etiam sapore carentes, densitatis 1,247. Luce solari mox flavescunt, hinc loco obscuro servandae. Aquâ frigidâ non solvitur santoninum, fervidâ aegre; majori copiâ aethere sulphurico et alcohole frigido, cujus autem ebullientis partes tres jam sufficiunt, ut solvatur. Solutiones chartae exploratoriae colorem prorsus non mutant, ac crystalli flammâ coeruleâ, nequaquam viridi comburantur.

g. ALCOHOL.



ALCOHOL ABSOLUTUS.



R. Spiritus vini genuini, quantum vis.

Destilla super carbonem vegetabilem recens ustum. Destillatum iterum destilla super Chloretum calcicum fusum, et repete destillationem, donec liquor densitatem 0,795, gradu caloris 15° C, acquisiverit.

Liquor volatilis, odoris fortioris peculiaris, vasis optime clausis servandus, neuter. Cum flamma coerulea ardet, nihil post combustionem relinquit, quavis portione aquae miscetur et primum calor miscelae augetur.

Aquam ex atmosphaera et corporibus pluribus organicis aliisque, quae aquam continent, attrahit. Plura corpora, inter alia, resinas, olea, iodium, acetatem plumbicum, nitratem argenticum plane solvit. Ebullit calore 78°,5 pressione 760 mm.

Alcohol pondus specificum indicatum habeat, neque alcalinam ostendat reactionem; nec odore neque sapore stirpem suam declaret. Ab acido hydrosulphurico non coloretur nec turbetur.

ALCOHOL CUM AQUA.

SPIRITUS VINI RECTIFICATISSIMUS.

Eodem modo paretur quo alcohol absolutus, ita tamen ut non omnis aqua detrahatur.

Sit densitatis 0,828.

SPIRITUS VINI RECTIFICATUS.

R. Spiritus vini genuini, quantum vis.

Destilla partem prius prodeuntem ita, ut liquor obtineatur densitatis 0,878.

Dignoscuntur duo ultimi liquores proprietatibus alcoholis et aquae. Puritatis notae eodem modo explorentur, quo alcoholis absoluti.

h. AETHERES.



OXYDUM AETHYLICUM.

*AETHER. AETHER SULPHURICUS.*

R. Spiritus vini rectificatissimi partes quinque,
Acidi sulphurici concentrati partes novem.

Misceantur, ita ut acidum spiritui per vices addatur, ne liquor calefiat.

Miscelam in retortam tubulatam amplam immitte, munitam refrigeratorio pharmaceutico et excipulo refrigeratorio. In tubulo retortae pone tubum vitreum apertum, qui parva apertura infra superficiem liquoris desinit ad pollicis distantiam et in tubulo retortae ope epistomii suberini retinetur. Supra partem superiorem tubi, quae infundibuli formam habeat, pone lagenam, in inferiore parte tubo et epistomio instructam et continentem spiritum vini rectificatissimum, ut ex eo guttatim et ad libitum spiritus per tubum in retortam fluere possit.

Instrue ignem lenem ope balnei arenae, parca copia arenae repleti, ita ut ebullire cernatur liquor et si aliquid destillatur, talem spiritus rectificatissimi portionem per tubum in retortam inducas, qualem destillare videbis, et liquoris altitudo in retorta per totam destillationem semper eadem maneat. Ita perge destillando tamdiu fere, quamdiu volueris.

Destillatum miscela est aetheris, aquae et parvae alcoholis copiae.

Miscelam illam destilla supra hydratem calcicum, deinde supra chloretum calcicum fusum, ut densitatem acquirat 0,724 in calore 12°.

Oxydum aethylicum purum liquor est valde volatilis, facile comburendus, odoris suavis; in decem partibus aquae solvitur, quacunq̄e proportione alcohole solubilis est. Solvit iodium, phosphorum, sulphur, olea aetherea et unguinosa et plura alia corpora. In lagenis partim aëre impletis decomponitur, ita ut aqua et acidum aceticum formentur.

Sit neuter, plane volatilis, ebulliat calore 35°,6 C, pressione aëris 760 mm.

Sit limpidissimus, acidam reactionem minime ostendat, et cum aqua commixtus prorsus non turbetur. Ab acido hydrosulphurico non coloretur.

OXYDUM AETHYLICUM CUM ALCOHOLE.

SPIRITUS SULPHURICO-AETHEREUS. AETHER
SULPHURICUS ALCOHOLICUS.

LIQUOR ANODYNUS MINERALIS HOFFMANNI.

R. Spiritus vini rectificatissimi,
Oxydi aethylici, pondera aequalia.

Mixta servantur usui in lagenis rite clausis.

Liquor sit densitatis 0,819. Cum parva aquae copia ubi miscetur, aether separatur. Caeterum proprietates habet miscelae alcoholis et aetheris.

Acidam reactionem non monstret: tam odorem quam saporem habeat pure aethereum. Ab acido hydrosulphurico non coloretur.

SULPHAS AETHYLICUS ACIDUS CUM
ALCOHOLE.

$C_4 H_{10}O, SO_3 + SO_3, H_2O$ CUM ALCOHOLE.

ALCOHOL SULPHURICUS ACIDUS.

ELIXIR ACIDUM HALLERI.

R. Spiritus vini rectificatissimi;
Acidi sulphurici destillati, pondera aequalia.

Alcoholi in lagena refrigerata contento guttatim et per vices, agitando miscelam, adde acidum, ita ut non calefiat.

Serva in lagena bene clausa.

Sit liquor decolor, odore aetheris et alcoholis, valde acidus. Destillatione aetherem producit. Ex liquore aqua diluto sales barytici acidum sulphuricum praecipitant. Sit densitatis 1,2. Minime acidi sulphurosi spiret odorem; sit porro pellucidus et ab acido hydrosulphurico neque coloretur neque turbetur, praecipitato sulphureti metallici deposito.

NITRIS AETHYLICUS CUM ALCOHOLE.

$$C_4 H_{10} O, N_2 O_3 \text{ CUM ALCOHOLE.}$$

AETHER NITRICUS ALCOHOLICUS.

*SPIRITUS NITRICO-AETHEREUS. SPIRITUS
NITRI DULCIS.*

R. Spiritus vini rectificatissimi partes quatuor ;
Acidi nitrici densitatis 1,3 partem unam.

Misceantur prudenter et destillentur lenissimo calore ex retorta ampla, juncta cum refrigeratorio pharmaceutico et amplo excipulo refrigerato, tubum Welterianum habente, donèc tres partes et dimidia fere transierint.

Ubi liquor exploratus acidam naturam declarat, supra cretam rectificationi subjiciendus est.


Optime servatur loco obscuro in lagenis prorsus repletis et bene clausis, unciam unam liquoris continentibus.

Sit decolor, neuter, odoris aetherei dulcis. Cum aqua quacunque proportione commisceri potest. Aëre celeriter acidus accipit notas. Cum solutione kali caustici destillatus, alcohollem largitur et nitritem kalicum facile dignoscendum.

Sit densitatis 0,84.

Non nisi exiguam acidam reactionem ostendat; ab aqua facile solvatur, neque ex hac solutione species liquoris oleosi deponatur. Cum aqua et parva nitratis argentici solutionis portione commixtus et inflammatus, post combustionem chloretum argenticum non relinquat.

ACETAS AETHYLICUS.



NAPHITHA ACETI.

AETHER ACETICUS.

R. Acetatis plumbici anhydri (vide Acidum aceticum)
pulverisati partes sedecim.

Immitte in retortam amplam, refrigeratorio pharmaceutico et amplo excipulo refrigerato munitam. Huic adde miscelam, caute et sub refrigeratione factam,

Spiritus vini rectificatissimi partium quatuor cum
dimidia et

Acidi sulphurici concentrati partes sex.

Destilla leni calore ad siccitatem fere. Destillatum cum

Miscela chloreti calcici et cretae

e balneo aquae rectifica. Servetur in lagenis bene clausis.

Sit liquor valde volatilis, odoris grati, aetherei, neuter, valde inflammabilis; cum flamma flavescente comburitur; densitatis est 0,89. Ebullit calore 74°. Septem partibus aquae, quavis portione alcoholis et oxydi aethylici solvitur. Kali causticum illum decomponit in alcoholem et acidum aceticum, quod cum kali jungitur. Reactionem acidam minime ostendat; neque ab acido hydrosulphurico coloratur. Post evaporationem nihil relinquat.

AETHER MURIATICUS ALCOHOLICUS.

*SPIRITUS MURIATICO-AETHEREUS. SPIRITUS
SALIS DULCIS.*

R. Chloreti natrici partes octo,
 Bioxydi manganici partes tres.

In pulverem redigantur, misceantur et immittantur in retortam amplam, tubulatam, refrigeratorio pharmaceutico et excipulo refrigerato instructam. His adde

Acidi sulphurici concentrati partes sex;
Spiritus vini rectificatissimi partes viginti quatuor.

Quae singula prudenter et refrigerata inter se mixta sint.

Destilla modico calore, donec partes octodecim acquisiveris. Si liquor acidus prodierit, cum sufficiente portione cretae rectificationi subjiciendus est. Servetur in vitris bene clausis.

Liquor est decolor, odoris aetherei suavis, combustibilis, vapores acidos acidi hydrochlorici sub combustionem producens. Si cum kali caustico calefit, cique insuper additur acidum nitricum purum, ut acidus sit liquor, nitras argenticus floccosum et album in illo producit praecipitatum, ammonia liquida solubile.

Sit densitatis 0,840-0,860.

Reactionem acidam non declaret. Calore omnis liquor in vapores abeat. Tincturam guajaci colore coeruleo non induat.

CHLOROFORMYLUM.



SUPERCHLORIDUM FORMÝLI.

CHLOROFORMUM. CHLORAETHERIDUM.

R. Aquae partes triginta quinque.

In apparatu destillatorio cupreo, stanno obducto, in balneo aquae posito et cum apparatu refrigeratorio bene conjuncto, caloris 40° fiant. Commisceantur cum

Hydratis calcici recens parati partibus quinque

et

Hypochloritis calcici recens parati partibus decem.

Addantur porro

Alcoholis 0,842 densitatis partes tres,

et bene misceantur.

Apparatus bene claudatur et ita calefiat, ut post brevissimum tempus miscela ebulliat. Quando alembici collum calefit, ignis diminuatur. Destillatione peracta chloroformylum impurum a reliquo liquore separetur. Mox massae in apparatu destillatorio superstiti addantur

Aquae partes decem,

et, calore miscelae denuo ad 40° aucto, addantur

Hydratis calcici recens parati partes quatuor;
Hypochloritis calcici recens parati partes decem.

Bene misceantur et addatur residuus liquor etiamnum chloroformylum continens et insuper

Alcoholis jam indicatae densitatis partes duae et dimidia.

Bene commixtae miscelae destillatio fiat eodem jam descripto modo, et chloroformylum a reliquo liquore separctur.

Reliquus liquor adhuc chloroformylum continens et cum alcohole miscendus servari potest ad novam destillationem alio tempore peragendam.

Chloroformylum, ope

Solutionis admodum dilutae carbonatis natrici

a chlorio libero, et dein lotionem

Cum triplici aquae portione

purgetur; quo facto in balneo aquae cum

Chloreto calcico fuso

ex retorta vitrea destilletur. In lagena bene clausa servetur.

Liquor est limpidus, odoris peculiaris, aetherei, grati, saporis aetherei dulciusculi, densitatis 1,480. Caloris gradu 60°,8 ebullit. Ab aqua non solvitur. Quacunque portione cum alcohole et oxydo aethylico misceri potest. Difficile comburitur. Quando cum hydratis kalici solutione coquitur, lente dissolvitur, ita ut chlorctum kalicum et formias kalicus nascantur. Quando illius vapores ducuntur ad kalium calefactum, flamma comburuntur et explodunt.

His proprietatibus distinguatur, neque chlorium admixtum, neque alcoholem vel oxydum aethylicum contineat. Quando in tubo vitreo in gradus diviso tria volumina

liquoris , e partibus aequalibus acidi sulphurici concentrati et aquae destillatae facti , cum uno volumine chloroformyli commiscentur , post concussionem et quietem volumen non diminutum sit , qua quippe diminutione alcohol admixtus indicatur. Ubi oxydum aethylicum continet , volumen miscelae non imminuitur , sed chloroformylum impurum natat in acidi diluti superficie ; et si praeterea alcoholem continet , conquassando liquoris volumen diminuitur , quandoquidem ille solvitur. Si commiscetur cum parva portione bichromatis kalici et acidi sulphurici , oxydum chromicum viride non nascatur.

i. PRODUCTA DESTILLATIONIS SICCAE.



CARBONAS AMMONICUS PYRO-ANIMALIS.

AMMONIUM CARBONICUM PYRO-OLEOSUM.

SAL VOLATILE CORNU-CERVI. SAL CORNU-CERVI.

R. Salis volatilis , destillatione materierum animalium in officinis parati , impuri , quantum vis.

Misce cum

Pulveris carbonis vegetabilis quadruplici copia.

Sublimetur sal in vase vitreo , ut a majori olei empyreumatici portione liberetur.

Ad usum medicum aptus habeatur sal venalis , aut iteratae sublimationi submissus , ubi easdem exhibet notas , quae sali secundum formulam parato competunt. Prorsus quippe volatilis , sit odoris mixti ex carbonate ammonico

et oleo empyreumatico animali; formam referat massae crystallinae albae; saporis sit caustici; reactionem habeat alcalinam; tandem aqua plane solvatur, et cum acidis effervescentiam producat.

Sal admodum volatilis in vasis rite clausis servandus est.

Exceptis iis, quae ad oleum pyro-animale pertinent, iisdem characteribus, quibus carbonas ammonicus, distinguitur.

A tribus partibus aquae solvatur, et solutio acido nitrico puro saturata a nitrate argentario aut chloreto barytico non turbetur, neque ab acido hydrosulphurico coloretur.

CARBONAS AMMONICUS PYRO-ANIMALIS LIQUIDUS.

CARBONAS AMMONIAE PYRO-ANIMALE LIQUIDUM.

LIQUOR AMMONII PYRO-OLEOSI.

SPIRITUS CORNU CERVI.

R. Carbonatis ammonici pyro-animalis partem unam;
Aquae depuratae partes quatuor.

Solvatur et servetur usui in vasis bene clausis.

Characteres iidem sunt, qui salis modo descripti et aqua soluti.

Sit densitatis 1,06.

SUCCINAS AMMONICUS PYRO-ANIMALIS LIQUIDUS.

SPIRITUS CORNU CERVI SUCCINATUS.

LIQUOR CORNU CERVI SUCCINATUS.

R. Acidi succinici partem unam;

solve in

Aquae depuratae partibus octo.

Huic solutioni adde

Carbonatis ammonici pyro - animalis, quantum
sufficit

ad saturationem perfectam. Explora liquorem post aliquot dies, num neuter manserit, iterumque, si necesse est, satura.

Sit densitatis 1,25.

Solutio hujus salis omne ferrum e solutione neutra salis ferri praecipitat; ex sale manganico nihil praecipitat. Sit odoris olei cornu cervi et saporis salsi, empyreumatici. Ad siccitatem evaporata ammoniae dimidiam partem amittit, fitque sal acidus, qui plane est volatilis, si calori moderato admovetur.

Dignoscitur caeterum characteribus acidi succinici et ammoniae.

Calore in vapores abeat et nihil relinquat. Addito acido acetico puro liquor ab aqua calcis, a nitrate argentario, chloreto barytico aut acido hydrosulphurico non turbetur, neque coloretur a postremo. Addita solutione chlreti ferri neutra tamdiu, quamdiu sedimentum nascitur, liquor filtratus minime fusco-rubrum colorem exhibeat.



III. MEDICAMENTA PHARMACEUTICA

VULGO

GALENICA DICTA.

a. MEDICAMENTA OPERATIONIBUS MERE MECHANICIS OBTINENDA.

a. PULVERES COMPOSITI.

Regulae pro parandis pulveribus.

1. Corpora e quibus pulveres componuntur, pro variâ eorum naturâ, in mortario ferreo, cupreo aut lapideo, vel seorsim, vel ubi praestat, ante permixta, tamdiu contundantur aut terantur, donec prorsus fere per cribrum sericeum texturae subtilioris transierint.

2. Seorsim pulverisata accuratissime misceantur; sint itaque pulveres coloris perfecte homogenei, nec particulae laetius aut profundius coloratae in iis conspiciantur.

3. Serventur pulveres in vasis vitreis probe clausis, praesertim ubi principio aromatico gaudent, aut quibus humores ex aëre attracti nocerent.

4. Si quibus lux solaris noxia foret, loco obscuro sep-
nantur, aut in vasis e vitro obscurum quemdam colorem
habente confectis, vel chartâ nigrâ obductis, asserventur.

Secundum has regulas parentur.

PULVIS ANTACIDUS.

PULVIS TERRESTRIS.

R. Pulveris lapidum cancrorum partes duas;
Pulveris carbonatis magnesiци partem unam.

Probe misceantur.

PULVIS GUMMOSUS.

PULVIS DIATRAGACANTHAE.

R. Gummi arabici;
Gummi tragacanthae;
Sacchari albi, singulorum partes aequales.

In pulverem redacta misceantur.

PULVIS AROMATICUS.

SPECIES AROMATICA.

R. Radicis zingiberis;
Corticis cinnamomi;
Seminum cardamomi, singulorum par pondus.

Mixta in pulverem redigantur.

PULVIS OPII COMPOSITUS.

PULVIS IPECACUANHAE CUM OPIO.

PULVIS DOVERI.

- R. Corticis radices Ipecacuanhae,
Opii depurati, utriusque partem unam;
Sulphatis kalici partes novem.

Seorsim in pulverem redacta probe misceantur; serva loco obscuro.

PULVIS SALINUS COMPOSITUS.

PULVIS ANTISPASMODICUS.

- R. Sulphureti hydrargyrici partem unam;
Sulphatis kalici partes duas;
Nitratis kalici partes quatuor.

In pulverem trita misceantur. Servetur miscela loco obscuro.

PULVIS AËROPHORUS.

- R. Sacchari albi,
Bicarbonatis natrici, utriusque unciam unam;
Acidi tartarici drachmas novem.

Seorsim in pulverem trita et leni calore probe siccata misceantur.

b. GUMMI-RESINAE DEPURATAE.



GUMMI-RESINA GALBANUM DEPURATA.

R. Gummi-resinae galbani, quantum vis.

Tempore hiberno tere in mortario ferreo aut cupreo in pulverem, ope cribri sericei ab admixtis partibus lignosis aliisque heterogeneis separandum, et vesicâ bubulâ oleo amygdalarum illinitâ inclusum, loco frigido servandum.


Eodem modo parentur

GUMMI-RESINA AMMONIACUM DEPURATA

ET

GUMMI-RESINA ASAE FOETIDAE DEPURATA.

c. PULPAE.



PULPA PRUNORUM.

R. Fructuum Pruni domesticae siccatorum quantum vis.

Cum duplici fere aquae quantitate lente ebulliant, postquam haec penitus fere avolaverit, fructus admodum emolliti, seminibus exemptis, terendo per cribrum setosum in pulpam cogantur.

Sit massa mollis, aequabilis, saporis acidiusculi dulcedine permixti, coloris rubro-fuscescentis, odoris fere nullius.

PULPA CASSIAE.

R. Leguminum Cassiae, quantum vis.

Medulla e leguminibus diffractis exenta, aquâ fervidâ in mortario lapideo affusâ, redigatur in pulvem, quae dentis seminibus et quantum fieri potest, dissepimentis, per cribrum setosum terendo depuretur, et deinde blando calore in spissitudinem extracti mollioris cogatur. Sit massa aequabilis, tenaciuscula, odoris peculiaris, aromatici, saporis dulciusculi, coloris nigro-fusci.

PULPA TAMARINDORUM.

Eadem ratione paretur ut pulpa modo indicata, sed e medulla fructuum Tamarindi indicae. Sit massa aequabilis, mollis, odoris peculiaris vinosi aut acetosi, saporis acidi haud ingrati, coloris nigro-fuscescentis. Lamina ferrea polita per aliquod tempus pulpae ingesta superficiem cupream non proferat; e mixtura ejus aquosâ ne sedimentum pulverulentum albidum deponatur.

d. OLEA PINGUIA.



OLEUM AMYGDALARUM.

R. Amygdalarum recentium, quantum vis.

Probe mundatas et supra cribrum setosum omnibus adhaerentibus sordibus liberatas, molae aut pistilli lignei ope, coge in pastam, quam panno cannabino inclusam prelo committe, et absque calore oleum exprime, quod, post-

quam subsederint partes solidae, caute effundendum et in vase probe clauso servandum.

Sit coloris straminei, odoris ac saporis peculiaris amygdalini. Rejiciatur vetustum, rancidum; prorsus pellucidum frigore demum intensiore spiscescere incipiat.

OLEUM NUCUM JUGLANDIS.

Eadem ratione paretur ut oleum modo indicatum, sed e nucleis seminum Juglandis regiae.

Sit fere decolor, aliquantulum in flavedinem vergens, inodorum, fere insipidum, blandum, haud rancidum.

OLEUM CROTONIS TIGLII.

R. Scminum Tiglii officinalis non vetustorum, quantum vis.

Putamine orbata ac dein in mortario lapideo pistilli lignei ope in pastam redacta immittantur in lagenam vitream. Affundatur

Aetheris sulphurici quadruplum,

probe claudatur lagena, saepius agitctur ac post aliquot horas lintei ope fluidum separetur. Massa iterum maceretur cum parte dimidiâ aetheris ante adhibiti, quod tertiâ vice repetendum, tum exprimatur. Collecti liquores aethereo-oleosi faecibus probe liberentur, leni calore duae tertiae partes destillatione e vase vitreo abstrahantur, ac residuum in vase aperto aëri libero aliquamdiu exponatur. Quod remansit oleum ab inhacrentibus forte particulis alienis et aquosis filtri auxilio liberetur, et in vase clauso loco obscuro servetur.

Sit limpidum, tenue, odoris fere expers, coloris flavescens in rubrum parumper vergentis, saporis initio blandioris, mox autem acris ac valde urentis.

b. MEDICAMENTA SOLUTIONE AUT PERFECTA AUT PARTIALI PARANDA.

a. SOLUTIONES AQUOSAE.

a. MUCILAGINES.



MUCILAGO GUMMI ARABICI.

R. Pulveris gummi arabici,
Aquaе purae, pondera paria.

Solve gummi terendo cum aquâ per vices affusa, ut fiat mucilago.

MUCILAGO GUMMI TRAGACANTHAE.

R, Pulveris gummi tragacanthae partem unam,
Aquaе fervidae partes duodecim.

Gummi sub continuâ et lentâ aquae affusione diligenter in mortario lapideo tere, ut in aequabilem mucilaginem abeat.

MUCILAGO SEMINUM CYDONIORUM.

R. Seminum cydoniorum drachmam unam,
Aquaе purae uncias quatuor.

Ebulliant leniter, donec speciem prae se ferant mucilaginis tenuioris, leni expressione per pannum linteum a faecibus separandae.

b. EMULSIO.



EMULSIO AMYGDALINA.

R. Amygdalarum dulcium decorticatarum uncias duas.

Contunde in mortario lapideo ope pistilli lignei ; emul-
gendo sensim admisce

Aquae purae uncias duodecim.

Cola per linteum et adde

Sacchari albi unciam dimidiam ;
Aquae florum aurantiorum drachmas duas.

c. INFUSA ET DECOCTA.



Regulae pro parandis Infusis et Decoctis.

1. Corpora aquae infundenda aut cum hac coquenda vel integra sint, vel in pulverem grossum contusa aut conscissa, prouti eorum indoles postulat. .

2. Vasa adhibeantur vel stannea e metallo purissimo confecta, vel cupræa stanno probe obducta, vel

etiam, ubi opus est, porcellanea aut figulina crustâ vitreâ tecta.

3. Liquoris decoquendi volumini respondeat vasorum magnitudo, angustiori orificio praedictorum, ne nimia superficies contentorum aëri exponatur.

4. In universum Decocta ab Infusis in eo differunt, quod haec fiant e corporibus principio volatili gaudentibus, illa contra ex herbis aut plantarum partibus oleo aethereo carentibus. Quae igitur infundenda sunt, in vase semper tecto, minori cum aquae copiâ non nisi leviori igni exponantur, et instante coctione mox ignis vi subtrahantur; tum penitus refrigerat infusum, deinde forti expressione ac subsidentiâ a faecibus separetur. Quae contra coquenda sunt largiori cum aquae copia per horae quadrantem aut dimidiam partem, vividiore aut leniore igne, semper tamen aequabili et non interrupto tractentur, prouti diversa illorum natura postulet; quum duriora, rigidiora, aut magnâ materiae extractivae copiâ praedita longiorem ac fortiosem postulent coctionem quam mucilaginosâ, pro quibus lenis tantummodo calor gradus et brevior coctio commendanda.

5. Finita coctione, liquor fervidus per pannum linteum premendo trajiciatur, deinde, concessâ quiëte, a faecibus sponte depositis liberetur et in vasis clausis servetur. Decocta autem medicamentorum resinam continentium non diu quiëscant, et non nisi aliquam partem refrigerata, effundantur, ne simul cum faecibus partes resinosaes efficaces separentur.

Infusorum atque Decoctorum formulae quum maxime, prout Medicos lubet aut aegrotantibus congruum est, differre soleant, pauca jam exempla hoc loco notasse sufficiat.

Secundum has regulas praeparentur.

INFUSUM RHEI AQUOSUM.

TINCTURA RHEI AQUOSA.

ANIMA RHEI.

- R. Radicis Rhei unciam unam;
Aquae purae uncias sex.

Digere leni calore in vase clauso per bihorium.
Colaturae quiëte faecibus liberatae admisce

Carbonatis kalici drachmas duas,
Aquae Cinnamomi unciis quatuor

solutas.

DECOCTUM CORTICIS PERUVIANI FUSCI.

- R. Corticis Peruviani fusci uncias duas;
Aquaë purae libras tres.

Coque leni igne, donec dimidium liquoris avolaverit;
residuum cola, et simulac paulisper refrigescat, a faecibus
sponte depositis in vas aptum effunde.

DECOCTUM CORTICIS PERUVIANI RUBRI.

Eadem ratione paretur ut Decoctum modo indicatum,
sed e cortice Peruviano rubro.

DECOCTUM CORNU CERVI COMPOSITUM.

DECOCTUM ALBUM SYDENHAMI.

R. Rasurae cornu cervi uncias duas;
Aquae purae libras tres.

Coque leniter; sub finem adde

Micae panis albi uncias duas.

In colaturâ librarum duarum solve

Sacchari albi unciam unam cum dimidia.

Praeparetur etiam ejusmodi Decoctum e cornu cervi phosphate calcico orbato (1); hujus autem drachmae duae loco unciarum duarum adhibeantur.

b. SOLUTIONES ACETOSAE.



ACETUM SCILLAE.

ACETUM SCILLITICUM.

R. Squamarum bulbi Scillae siccatarum partem unam;
concisis adde

(1) Digeratur nempe rasura cornu cervi acido hydrochlorico purissimo dilutissimo, ut omnis phosphas calcicus auferatur; dein saepius aqua frigida abluatur et lenissimo calore siccetur.

Aceti vini partes sex.

Digere leni calore in vase vitreo per octiduum; liquorem exprime eique admisce

Spiritus vini densitatis 0,88 partem unam.

Post subsidentiam limpidus liquor in vas vitreum probe claudendum decantetur.

ACETUM COLCHICI.

Eadem ratione paretur ut Acetum modo indicatum, sed

e bulborum Colchici parte unâ,
Aceti vini partibus duodecim.

ACETUM AROMATICUM.

ACETUM ANTISEPTICUM.

R. Radicis Calami aromatici,
Radicis Angelicae, utriusque drachmas sex;
Foliorum Rutae uncias quatuor;
Foliorum Salviae uncias tres;
Macis drachmas duas;
Aceti vini libras octo.

Digerantur leni calore per aliquot dies in vase vitreo;
liquorem exprime et filtra, tunc adde

Solutionis camphorae alcoholicae unciam dimidiam,

et in vase bene clauso serva.

c. SOLUTIONES VINOSAE.

*Regulae pro parandis Vinis medicatis.*

1. Corpora vinis medicatis parandis destinata, pro diversâ eorum naturâ aut conscindantur, aut in pulverem vel grossum vel subtiliorem redigantur, antequam in liquores ad extrahenda elementa efficaciora idoneos immittuntur.

2. Digestio fiat lenissimo adhibito calore, in vase vitreo amplo.

3. Sub digestionem crebra mixtorum agitatio commendanda.

4. Peractâ digestionem partes non solutae forti expressione separentur, liquor deinde aut coletur, aut per chartam bibulam filtretur, prouti pro singulis indicabitur.

5. Vina medicata in vasis vitreis loco frigidiusculo servantur.

Secundum has regulas praeparentur.

VINUM IPECACUANHAE.

INFUSUM IPECACUANHAE VINOSUM.

R. Corticis radice Ipecacuanhae partem unam;
Vini hispani partes quatuordecim;
Spiritus vini densitatis 0,9 partes duas.

Digere per dies sex et filtra.

VINUM SCILLITICUM.

VINUM SCILLAE.

- R. Squamarum bulbi Scillae siccatarum partem unam ;
Vini hispani partes undecim ;
Spiritus vini densitatis 0,85 partem unam.

Digere per decem saltem dies et filtra.

VINUM SEMINUM COLCHICI.

- R. Seminum Colchici partem unam ;
Vini hispani partes octo ;
Spiritus vini densitatis 0,85 partem unam.

Digere per dies sex et filtra.

VINUM SEMINUM DATURAE STRAMONII.

- R. Seminum Daturae Stramonii partem unam ;
Vini hispani partes quatuor ;
Spiritus vini densitatis 0,85 partem unam.

Digere per dies sex et filtra.

VINUM OPII.

TINCTURA OPII VINOSA.

- R. Extracti opii partem unam ;
Vini hispani partes octo ;
Spiritus vini densitatis 0,9 partes duas.

Misce exactissime et filtra.

VINUM OPII AROMATICUM.

LAUDANUM LIQUIDUM SYDENHAMI.

- R. Stigmatum Croci unciam dimidiam ;
Corticis Cinnamomi ;
Caryophyllorum aromaticorum, utrorumque drachmam unam.
Spiritus vini densitatis 0,9 unciam unam ;
Vini Hispani uncias undecim.

Digere per dies quatuor et exprime.

Liquori expresso caute admisce

Extracti opii unciam unam,

et filtra.

VINUM AMARUM.

ELIXIR VISCERALE HOFFMANNI.

- R. Extracti Gentianae ;
" Cascarillae ;
" Cardui benedicti ;
" Centaurei minoris ;
" Myrrhae,
singulorum partem unam ;
Vini Hispani partes nonaginta.

Solve, cola et colaturae adde

Tincturae Corticum aurantiorum partes sex.

VINUM CHALYBEATUM LONDINENSE.

R. Hydratis ferrici (Rubiginis ferri) unciam unam ;
Corticis Cinnamomi ;
Macis , utriusque drachmas duas ;
Vini Rhenani uncias viginti.

Digerantur frigide per duodecim saltem dies ac saepius agitentur ; deinde filtretur liquor et loco obscuro servetur.

VINUM STIBIATUM.

VINUM EMETICUM.

LOCO VINI ANTIMONIALIS HUXHAMI.

R. Tartratis stibico-kalici grana viginti.

Solvatur sal trituratione in mortario vitreo aut lapideo in

Vini Hispani unciis decem.

Seponatur solutio per aliquot dies loco calidiusculo ,
tum filtretur.

VINUM TARTRATIS KALICO-FERRICI.

TINCTURA TARTRATIS POTASSAE FERRICI.

TINCTURA FERRI TARTARISATA.

- R. Tartratis kalici acidi in pulverem subtilissimum
redacti partes quatuor ;
Ferri pulverisati partem unam ;
Aquae purae quantum sufficit,

ut in massam pultiformem redigi possit, quam in vase
figulino loco calidiore, aut etiam, quod praestat, tempore
aestivo, sic sepone, ut radii solares admittantur, et,
additâ interdum novâ aquae copiâ, saepius agita., donec
colorem viridi-nigrum acquisiverit. Tunc caute exsicca, in
pulverem tere et cum

Vini albi Gallici partibus quinquaginta

per biduum lenissimo calore digere et filtra.

d. SOLUTIONES ALCOHOLICAE.

SOLUTIO CAMPHORAE ALCOHOLICA.

TINCTURA CAMPHORAE.

SPIRITUS VINI CAMPHORATUS.

- R. Camphorae partem unam ;
Spiritus vini rectificati densitatis 0,88 partes
duodecim.

Solve agitando in vase vitreo bene clauso et filtra.

SOLUTIO IÖDII ALCOHOLICA.

TINCTURA IÖDII.

- R. Iödii partem unam;
Alcoholis densitatis 0,81 partes duodecim.

Solve diligenter agitando in vase clauso, et concessâ quiete, solutionem limpida[m] effunde in lagenam vitream probe claudendam, loco obscuro et frigido servandam.

SOLUTIO AMMONIACI ALCOHOLICO-ANISATA.

SPIRITUS AMMONIAE ANISATUS.

SPIRITUS SALIS AMMONIACI ANISATUS.

- R. Spiritus vini rectificati densitatis 0,83 partes duodecim;
Ammoniae liquidae partes tres;
Olei anisi partem dimidiam.

Misce agitando.

TINCTURAE.

Regulae pro parandis Tincturis.

1°. De parandis tincturis eadem valent praecepta, quae pro vinis medicatis sub n°. 1 et 3 indicata sunt.

2°. Digestio cum spiritu vini fiat aut frigida aut calida. Frigida digestio, quam in vulgari aëris temperatura fieri constat, in lagenis vitreis fiat, epistomio vitreo clausis; calida vero in cucurbitis vitreis, satis amplis, vesicâ suillâ madefactâ et acu perforandâ, clausis.

3°. Spiritus vini adhibendi densitas ac proportio, tempus digestionis, et caloris gradus pro diversâ digerendorum naturâ differunt; in universum tamen gradus quadragessimus ne superetur.

4°. Digestione paractâ, liquor a residuo non soluto pressione per pannum linteum separetur, per chartam bibulam filtretur et in lagenis probe clausis servetur.

5°. Varia jam nostris temporibus instrumenta ad præparandas tincturas proposita sunt, prelum imprimis Realianum, infundibulum s. d. dislocatorium et quaedam alia, quae omnia tamen improbanda et prohibenda videntur, quum sic medicamenta parari constiterit, quorum vires admodum dispares sunt.

Tincturae e singulari corpore paratae *simplices*,
e pluribus junctis *compositae* vocantur.

TINCTURAE SIMPLICES.

Harum praeparandarum ratio sequentibus tabulis
exhibetur.

1°. Tincturae simplices digestionem frigidam
parandae.

NOMINA.	Recipiatur pars una.	Digeratur cum Spiritus vini densitatis.	Partibus.	Per diēs.
Tinctura Valerianae .	Radicis Valerianae . .	0,905	6	6
» Cinnamomi .	Corticis Cinnamomi. .	0,880	8	8
» Absinthii . .	Summitatum Absinthii	0,905	6	6
» Croci	Stigmatum Croci	0,905	8	4
» Castorei. . .	Castorei Sibirici	0,880	8	12
» Cautharidum	Cantharidum	0,880	8	8

2°. Tincturae simplices digestionem calidam parandae.

NOMINA.	Recipiatur pars una.	Digeratur cum Spiritus vini densitatis.	Partibus.	Per diēs.
Tinctura Gentianae. .	Radicis Gentianae. . .	0,905	6	6
» Corticis Peruviani fusc.	Corticis Peruviani fusc.	0,880	8	6
» Corticis Peruviani rubri	Corticis Peruviani rubri	0,880	8	6
» Corticum aurantiorum. .	Corticum aurantiorum	0,905	6	6
» Digitalis. . .	Foliorum Digitalis. . .	0,905	4	4
» Catechu. . .	Succi condensati Catechu.	0,905	6	3
» Asae foetidae	Gummi resinae Asae foetidae	0,880	8	4
» Myrrhae. . .	Gummi resinae Myrrhae.	0,880	8	6
» Succini . . .	Succini albi.	0,820	8	12

TINCTURAE COMPOSITAE.

TINCTURA GUAJACI VOLATILIS.

ELIXIR GUAJACI VOLATILE.

- R. Resinae Guajaci partem unam ;
Spiritus vini densitatis 0,835 partes sex ;
Ammoniae liquidae partes duas.

Post digestionem frigidam per dies octo filtra.

TINCTURA ALOËS COMPOSITA.

TINCTURA ALOËS CUM MYRRHA.

ELIXIR PROPRIETATIS.

- R. Gummi resinae Myrrhae ;
Gummi resinae Aloës ;
Stigmatum Croci, singulorum partem unam ;
Spiritus vini densitatis 0,80 partes triginta.

Crocum cum spiritu vini per quatuor saltem dies digere.
Tincturae; post croci expressionem, adde gummi-resinas,
iterum digere per dies sex et filtra.

TINCTURA ACIDA AROMATICA.

ELIXIR ACIDUM AROMATICUM.

ELIXIR VITRIOLI MYNSICHTI.

R. Spiritus vini densitatis 0,87 partes viginti ;
Acidi sulphurici puri partes duas.

Lente permixtis adde

Corticis Cinnamomi ;

Radici Zingiberis , utriusque partem unam.

Digere frigide per octiduum et filtra.

e. SOLUTIO AETHEREA.

SOLUTIO PHOSPHORI AETHEREA.

AETHER SULPHURICUS PHOSPHORATUS.

NAPHTHA PHOSPHORATA.

R. Aetheris sulphurici uncias duas ;

huic in lagenâ probe claudendâ addantur

Phosphori depurati, in frustula minutissima redacti,
grana quatuor.

Saepe et diu agitando solvatur quantumpote phosphorus ,
cujus vapores quum solutio manifestissime exhalat, haec
effundatur in lagenulas minores, accuratissime claudendas,
loco frigido et obscuro servandas.

f. SOLUTIO OLEOSA.

INFUSUM HYOSCYAMI OLEOSUM.

OLEUM HYOSCYAMI NIGRI.

R. Foliorum Hyoscyami recentium partem unam.

In mortario lapideo probe contusis affunde

Olei olivarum partes quatuor.

Lenissimo igni committe, donec omnes aquosae partes avolaverint, tum exprime, et post subsidentiam oleum limpidum in lagenam probe claudendam effunde.

Sit limpidum, coloris profunde virentis, odoris peculiaris olei olivarum, nequaquam rancidi.

c. MEDICAMENTA SOLUTIONE PARTIALI

ET

MENSTRUI EVAPORATIONE OBTINENDA.

a. EXTRACTA.

Regulae pro parandis Extractis.

Solutiones inspissatas, *extracta* dictas, e vegetabilibus eorumve partibus vel recentibus vel siccatis rite prae-

paratas, illorum viribus medicatis, volumine quantumpote minori, instructas esse oportet. Hunc in finem varia menstrua adhibenda, variae praeparandi methodi instituendae sunt, prouti singularis plantarum aut etiam partium ex illis extrahendarum natura postulat.

Itaque parentur Extracta:

- 1°. Expressione.
- 2°. Maceratione frigidâ aquosâ.
- 3°. Infusione calidâ aquosâ.
- 4°. Maceratione frigidâ alcoholicâ.
- 5°. Digestione calidâ alcoholicâ.
- 6°. Maceratione aethereâ.
- 7°. Coctione.

Quum autem singula saepe singularem curam postulent, praeparandi methodum in quovis capite, vel etiam ubi opus videbitur, in quovis extracto singulari indicabimus. Attamen in universum haec fere praecepta tenenda sunt.

- I. In usum vocentur vegetabilia integra, a partibus alienis aut corruptis libera, apto tempore collecta; plerumque herbae recentes instante anthesi colligantur, nisi aliter praecipiat.
- II. Adhibeantur vasa aut vitrea, aut figulina, aut cuprea stanno obducta, vel etiam lignea ubi opus; a vasis autem cupreis stanno non obductis omnino absteantur.

- III. Colaturae, maceratione, digestionem aut coctionem paratae, per aliquod tempus quiescant, ut partes insolubiles ac heterogeneae fundum petant; tum caute effundantur et per pannum linteum trajiciantur, aut etiam filtrentur.
- IV. Evaporatio primo loco fiat ignis gradu quam moderatissimo et aequabili, ita ut fere idem semper caloris gradus sustineatur; liquor vero nunquam bulliat; deinde semper in balneo aquae aut vaporis aquosi ope instituat; crebra etiam sub agitatione massa extractiva in consistentiam aequabilem cogatur.
- V. Extracti parati in universum mellis aut terebinthinae spissitudo sit, nisi, ut pro nonnullis necessarium duximus, aliter praecipiat.

I.

EXTRACTA EXPRESSIONE PARANDA.

Hunc in finem adhibeantur herbae recentes secundum propositas regulas generales collectae ac purgatae; addito pauxillo aquae pluvialis in mortario lapideo contundantur in pulvem, quae panno cannabino aut sacco linteo inclusa fortiter exprimatur. Succus leniter calefiat, a faecibus in superficie sponte collectis depuretur, post subsidentiam per pannum linteum coletur et lenissimo calore inspissetur, donec cum tertiâ parte pulveris herbae adhibitae in massam pilularem cogi possit, qui tamen pulvis non nisi post plenam refrigerationem est admiscendus.

Descriptâ methodo paretur :

EXTRACTUM	}	HYOSCYAMI.
		ACONITI.
		CONII SEU CICUTAE.
		BELLADONNAE.
		DATURAE STRAMONII.
		LACTUCAE VIROSAE.

Serventur haec extracta vasis vitreis epistomio vitreo claudendis.

Sint coloris nigro-fusci in viridem vergentis, odoris peculiaris narcotici herbae, e quâ parata sunt, proprii, aquâ, separato pulvere, facile solvantur, leni jam calore penitus exsiccentur, ut pulveris speciê adhiberi possint.

EXTRACTUM RHOIS TOXICODENDRI.

Tali etiam modo hoc extractum est parandum e foliis recentibus, quorum tamen pulvis succo inspissato non est admiscendus.

Hoc sit melleae spissitudinis, lacte fuscum, aquâ facile solubile.

II.

EXTRACTA MACERATIONE FRIGIDA IN
AQUA PLUVIALI PARANDA.

EXTRACTUM CORTICIS PERUVIANI FUSCI.

- R. Pulveris subtilissimi corticis Peruviani fusci partem unam;
Aquae frigidae partes viginti.

Partitis, tribus v. gr. aut quatuor, vicibus aquam pulveri affunde, et crebrâ sub agitatione per viginti quatuor saltem horas sibi relinque, semper ante ulteriorem aquae affusionem preli ope liquorem separa. Sedimento posito collecti liquores per pannum linteum trajiciantur, septem octavae partes moderato calore abigantur, et quod remansit, post refrigerium filtretur, demumque evaporetur ad terebinthinae spissitudinem.

Sit hoc extractum coloris pallide fusci aut lateritii, temporis tractu profundius tinctum, subdiaphanum. Aquâ facillime solvatur; mixtura aquosa sit parum colorata nec partes resinosas aut grumosas deponat.

EXTRACTUM RHEI.

- R. Radicum Rhei minutim conscissarum quantum vis.

Cum quadruplici aquae portione macerentur per viginti quatuor horas sub crebrâ agitatione et leniter exprimantur; quae operatio per duas praeterea vices repetenda. Liquores

commixti debitam post subsidentiam per pannum linteum trajiciantur et in extracti spissitudinem evaporentur.

Sit spissioris consistentiae cum aliquâ viscositate, saporis amari, nauseosi, rhabarbarini, coloris e flavo fusci, limpidum non vero diaphanum. Mixtura aquosa sit sordide flava, non prorsus limpida; alcohol ex illâ flocculos fuscus separet, supernatans liquor pellucidus evadat et aureum colorem induat. Ab alcohole absoluto minori tantum pro parte suscipitur, orto colore citrino.

EXTRACTUM OPII.

R. Opii minutim divisi quantum vis.

Cum duodecuplo aquae frigidae, partitis vicibus, malaxetur et per aliquod temporis spatium maceretur, ita ut omnes partes aquâ solubiles ex eo auferantur. Liquores commixti subsidentiâ probe defaecati colentur et in debitam spissitudinem evaporentur.

Extractum hoc spissitudine aemuletur fere opium genuinum, profunde fuscum sit, subdiaphanum. Aquâ tam frigidâ quam fervidâ facillime suscipitur, nec tamen prorsus solvitur, flocculis nonnullis relictis. Alcohol minimam tantum ejus partem solvit; spiritus vini autem densitatis 0,9 solutionem penitus limpida praebet.

Narcotino fere caret, morphino contra multo magis abundat quam opium genuinum.

EXTRACTUM TRIFOLII FIBRINI.

R. Herbae recentis Trifolii fibrini quantum vis.

Contunde in mortario lapideo et in vase figulino vel ligneo;

affunde aquae frigidae octuplum. Post macerationem viginti quatuor horarum sub crebra agitatione, exprime, residuoque iterum affunde dimidium aquae ante adhibitae, denuo macerentur et fortiter exprimantur. Liquores collecti secundum datas regulas depurati in debitam extracti spissitudinem evaporentur.

Sit limpidum, aequabile, saporis peramari, odoris peculiaris, ingrate aromatici, coloris nigro fusci.

EXTRACTUM FUMARIAE.

Eadem ratione paretur ut extractum modo indicatum. Extracto Trifolii, si colorem respicias, non absimile, saporis multo minus amari, nauseosi.

EXTRACTUM MARRUBII.

Eadem ratione paretur. Coloris itidem nigro-fusci; parumper grumosum, particulis salinis intermixtis.

EXTRACTUM ABSYNTHII.

Eadem ratione paretur ex herba et summitatibus recentibus. Saporis salsi, peramari, coloris obscure fusci.

EXTRACTUM CALENDULAE.

Eadem ratione paretur ex herba recente florente. Sit coloris fusci in viridem vergentis. Mixtura aquosa est turbida.

EXTRACTUM CENTAUREI MINORIS.

Eadem ratione paretur ex herba recenti florente.

Sit saporis peramari, haud tamen ingrati, coloris fusco virentis, aliquantulum grumosum.

EXTRACTUM CHELIDONII.

Eadem ratione paretur ex recente herba florente.

Sit fuscum, aequabile, saporis fatui, ingrati, amariusculi.

EXTRACTUM TARAXACI.

Eadem ratione paretur ex herba et radicibus recentibus.

Sit nigro-fuscum, saporis salsi, amari, ingrati. Mixtura aquosa parum turbida, obscure fusca.

EXTRACTUM DULCAMARAE.

Eadem ratione paretur e stipitibus recentibus.

Sit fuscum, aequabile, saporis amari in dulcedinem aliquantulum abeuntis, odoris peculiaris narcotici.

III.

EXTRACTA PARANDA INFUSIONE AQUOSA
CALIDA.

EXTRACTUM HELENII.

R. Radicum Helenii minutim conscissarum, quantum vis;
Aquae bullientis sextuplum.

Sub crebrâ agitatione infunde, ac post viginti quatuor horas exprime; radicibus adde iterum quadruplum aquae pluvialis bullientis et exprimendo, ut ante, liquorem separa. Utramque colaturam, quantum opus est, defaecatam evapora ad debitam spissitudinem.

Sit saporis amariusculi peculiaris, neque contineat inulinum immixtum, itaque extractum haud turbidum sit, et mixtura aquosa itidem fere limpida, nec pulverem albidum deponat.

EXTRACTUM GENTIANAE.

Eadem ratione paretur ut extractum modo indicatum,
e radice conscissâ.

Sit saporis peramari persistentis, obscure fuscum, pelucidum.

Mixtura aquosa sit prorsus limpida.

EXTRACTUM CARDUI BENEDICTI.

Eadem ratione paretur ex herba siccata conscissa:

Sit saporis peramari, salsi, ingrati; coloris nigro-fusci.

Mixtura aquosa turbida est.

EXTRACTUM CHAMOMILLAE.

Eadem ratione paretur e floribus siccatis.

Sit saporis amariusculi, fatui, laete fuscum, parumper turbidum; mixtura aquosa itidem turbida.

EXTRACTUM ALOËS.

R. Gummi-resinae Aloës quantum vis.

Contunde in pulverem rudiorum ac cum aquae duplici portione sub continuâ agitatione leni calori committe, donec homogenea appareat; coletur tunc calide et in vase apto quieti detur. Postridie supernatans liquor caute a resinâ, quae subsederit, effundatur, iterum per pannum trajiciatur et lenissimo calore evaporetur, donec refrigeratione massam solidam constituat.

Sit fragile, pellucidum, obscure fuscum, consistentiae aloës genuinae, aquâ solubile, exceptis tamen flocculis resinosis.

Alcohole minima tantum pars suscipiatur, facile tamen ac penitus solvatur spiritu vini densitatis 0,9.

EXTRACTUM MYRRHAE.

R. Gummi-resinae Myrrhae quantum vis.

In pulverem rudiolem contusae affunde quadruplum aquae, ac subinde agitans calori primum leni dein paululum intensiori expone. Instante coctione per pannum cola, residuo adde aquae partes duas et operationem repete, ut ante; liquores permixtos sepone. Post viginti quatuor horas a faecibus, quae subsederint, caute effunde, iterum per pannum trajice et leni calore in massam quantumpote siccam evapora.

Sint glebae duriusculae aut tenaciusculae, parum fragiles, saporis et odoris myrrhae genuinae, coloris profunde grisei aut pallide fusci, aquâ praesertim calidâ solubiles quidem, solutione tamen lactescente et parum colorata.

IV.

EXTRACTA PARANDA MACERATIONE
ALCOHOLICA FRIGIDA.

Folia recens siccata, a corruptis et alienis probe liberata, terantur in pulverem, cui in vase rite claudendo affundatur alcoholis densitatis 0,83 pondus quadruplum. Saepius agitetur, ac post frigidam digestionem per 24 horas, decantetur et expressione separetur liquor, ac massae residuae iterum alcoholis eadem copia affundatur. Post iteratam digestionem ac expressionem ut ante, liquores commixti filtrentur, e vase destillatorio vitreo tres quartae partes abstrahantur residuumque, sub agitatione ad refrigerium, in butyri consistentiam cogatur.

Relata methodo parentur :

EXTRACTUM	}	HYOSCYAMI.
		ACONITI.
		CONII SEU CICUTAE.
		LACTUCAE VIROSAE.
		BELLADONNAE.
		DATURAE STRAMONII.

Serventur haec extracta in vasis vitreis probe clausis.

Sint coloris lactius aut profundius, plerumque sordide virentis, in fuscum parumper vergentis; alcohole plane solubilia, nec tamen aquâ, cujus ope materies unguinosa, mollis, digitis fortiter adhaerens separatur.

Attamen in his praescribendis necesse erit, tum ut Medicus in ipsa formula indicet, quale extractum aut spirituosum aut aliud requiratur, tum ne immemor sit diversitatis virium, quae ab ipsa parandi methodo pendet.

V.

EXTRACTA PARANDA DIGESTIONE ALCOHOLICA CALIDA.

EXTRACTUM NUCIS VOMICAE.

R. Seminum nucis vomicae quantum vis.

His limae, aut, quod praestat, molae ope in pulverem rudiorem coactis affunde

Alcoholis densitatis 0,83, sextuplum.

Fiat digestio per viginti quatuor horarum spatium.

Liquor decantetur ac residuum denuo cum alcoholis ejusdem densitatis partibus quatuor ut ante digeratur, quod tertiâ saltem vice iterandum. Liquores probe defaecati destillationi subjiciantur, ac postquam septem octavae partes transierint, residuum in vas porcellaneum effundatur et ad debitam extracti spissitudinem cogatur.

Melle vulgari paulo spissius sit, viscidum, quasi resinosum, laete fuscum; in minori copia subdiaphanum.

Solutio alcoholica sit limpida, mixtura aquosa turbida quasi emulsiva, non vero materiem floccosam deponens.

EXTRACTUM SALSAPARILLAE.

Eadem ratione paretur ut extractum modo indicatum, sed

e radicibus Salsaparillae conscissis et contusis.

Sit coloris pallide fusci, turbidum, nec forma resinosa praeditum. Aqua fere totum solvatur, mixtura tamen sit lactea ac turbida, haud vero grumosa nec saturate colorata. Alcohole absoluto, praesertim adjuvante calore, maximam partem, non vero totum solvatur.

EXTRACTUM SCILLAE.

R. Squamarum Scillae leni calore siccatarum et in pulverem rudiores redactarum, quantum vis.

Immitte in cucurbitam vitream iisque affunde

Spiritus vini densitatis 0,9, partes quatuor.

Fiat digestio leni caloris gradu per viginti quatuor horas; leni expressione separentur partes fluidae, ac residuum iterum digeratur cum dimidia parte spiritus vini ante in usum vocati. Post iteratam expressionem collecti liquores filtrentur ac destillationi e vase vitreo subjiciantur, donec partes spirituosae transierint; quod in retortâ remanet in balneo vaporis ad debitam spissitudinem evaporetur.

Terebinthinam spissitudine aemulatur; coloris sit laete fuscus, fere plane pellucidum, aquâ facile solvatur, solutio sit limpida parum colorata, ex hac alcohole absoluto flocculi separentur; ipso alcohole fere prorsus insolubile sit.

VI.

EXTRACTA MACERATIONE AETHEREA PARANDA.

EXTRACTUM FILICIS MARIS.

R. Turionum viridium, seu foliorum nondum evolutorum Filicis maris, quantum vis;
Aetheris sulphurici rectificati decuplum.

Turionibus in pulverem redactis in vase vitreo probe claudendo affunde aetheris partes tres quatuorve, post macerationem frigidam sub crebrâ agitatione quantum pote separandas. Iteratis vicibus residui aetheris ope eodem modo, quidquid in eo solubile, extrahe. Collecti liquores probe defaecati destillationi e retortâ vitreâ subjiciantur, donec tres quartae partes transierint; quod in retorta

remanserit, in vase vitreo aut porcellaneo, balneo aquae expone, donec omni aethere abacto, residuum refrigeratum butyri mollis spissitudinem acquisiverit.

Sit coloris profunde viridis, quasi unguinosum, aethere sulphurico plane, alcohole absoluto minimam tantum partem solubile, quae solutio pulchre viridis ab additâ aquâ fortiter lactescat; aquâ igitur nequaquam solvatur.

EXTRACTUM SEMINIS SANTONICI.

Eadem ratione paratur ut extractum modo indicatum, sed e seminibus (acheniiis) in pulverem redactis.

Sit coloris profunde et sordide viridis, viscidum, tenax.

Solvatur optime aethere sulphurico, maximam etiam partem alcohole absoluto, relictâ materie viscosâ fere docolore. Solutio alcoholica sit pulchre viridis et lentâ sub evaporatione santoninum crystallorum formâ deponat. Trituratione extracti cum aqua, haec lactea reddatur; colorem tamen viridem nequaquam assumat.

VII.

EXTRACTA COCTIONE IN AQUA PLUVIALI PARANDA.

EXTRACTUM GRAMINIS.

R. Radicum graminis siccatarum, conscissarum et contusarum quantum vis;
Aqua octuplum.

Coque per horam dimidiam, cola et exprime; residuo adde iterum aquae bullientis quadruplum, coque ac exprime ut ante. Liquores probe defaecati secundum regulas propositas ad extracti mollis spissitudinem evaporentur.

Sit saporis haud ingrati, dulcis cum aliquâ amaritie; laete fuscum, fere pellucidum; mixtura aquosa non sit turbida.

EXTRACTUM BARDANAE.

Eadem ratione paretur ut extractum modo indicatum,

e radicibus siccis minutim conscissis.

Sit saporis fatui, amariusculi ingrate salsi, fuscum, pellucidum, mixtura aquosa non nisi parum turbida.

EXTRACTUM QUASSIAE.

R. Rasurae ligni Quassiae, quantum vis;
Aquae duodecuplum.

Coque per horam, cola, residuumque expressum coque iterum ac tertiâ vice cum aquae partibus octo. Liquores probe defaecati evaporentur, sub finem admisceatur paucillum spiritus vini densitatis 0,84, ut extractum quantumpote aequabilem referat spissitudinem. Sit peramarum, coloris nigro-fuscescentis; parumper grumosum. Facile suscipiatur aquâ tam frigidâ quam fervidâ, itidem alcohole, non tamen plane solvatur; utraque nempe solutio turbida sit.

Simili modo, omissa autem Spiritu vini, parentur:

EXTRACTUM GEOFFROYAE.

E corticis pulvere rudiore paretur, quod extractum sub finem operationis in patinam figulinam dispergatur, et aëri calido v. gr. graduum 40-50 ad ulteriorem exsiccationem exponatur.

Sint glæbae tenaciusculae, nigrescentes, saporis amari, ingrati. Aquâ, praesertim calidâ, solvitur quidem, solutio tamen turbida est partesque resinosas deponit.

EXTRACTUM SALICIS.

Paretur e cortice conscisso, et extractum itidem quantumtunc exsiccandum.

Sit tenax, coloris nigri fuscescentis, saporis amari balsamici. Solutio aquosa sit rubro-fusca, turbida, odoris peculiaris haud ingrati.

EXTRACTUM CORTICIS PERUVIANI FUSCI.

R. Corticis Peruviani fusci in pulverem rudiorem redacti, quantum vis;
Aquae octuplum.

Coque lenissimo tantum igne per horam dimidiam. Calide cola et exprime. Residuo affunde aquae bullientis quadruplum et coque ut ante. Utramque colaturam brevi committe quieti, et etiamnum fervidam per pannum trajice, tunc misce et ad extracti spissitudinem evapora.

Sit saporis amari haud ingrati, aliquantulum aromatici, colore obscure fusci. Mixtura aquosa lactea, fuscescens, ipsius temporis vi partes resinosas deponat.

Paretur etiam :

EXTRACTUM CORTICIS PERUVIANI FUSCI DURUM

leni quippe exsiccatione, ut in pulverem teri possit, vase probe clauso servandum.

Simili modo parentur :

EXTRACTUM CORTICIS PERUVIANI RUBRI.

Eadem ratione paretur e corticis pulvere rudiore.

Iisdem proprietatibus quibus extractum C. P. fusci instructum sit; color autem sit rubicundus, etiam in mixtura aquosa conspicuus.

Hoc quoque, ubi ulteriore exsiccatione paratum est, nomine :

EXTRACTI CORTICIS PERUVIANI RUBRI DURI

pulveris formâ praesto sit.

EXTRACTUM RATANHIAE.

Paretur e radicibus minutim conscissis, itidem penitus exsiccandum uti Extractum Geoffroyae.

Sint frustula saporis amariusculli adstringentis, profunde rubentia quasi nigrescentia, friabilia. Pulvis sit rubicundus, aquâ praesertim bulliente fere totus, alcohole vero non nisi minimam partem solubilis, maximam autem spiritu vini, quae solutio prorsus sit limpida, coloremque vini rubri referat.

EXTRACTUM CASCARILLAE.

Paretur e cortice in pulverem grossum contuso.

Sit spissum, coloris profunde fusci, saporis ingrate amari, aromatici. Mixtura aquosa turbida est; post aliquod tempus particulas resinosas deponat.

Hic loci etiam recensere liceat.

FEL BOVINUN SEU TAURINUM INSPISSATUM.

Fel recens e vesiculis felleis Bovis tauri domestici exemptum, per pannum laneum coletur et in vase porcellaneo, lenissimo caloris gradu ad mellis densioris spissitudinem evaporetur. Sit fere pellucidum, coloris laete fuscescentis, in viridem colorem parumper vergentis, saporis amarissimi, odoris peculiaris nauseosi, fellei. Aqua tam frigida quam calida, itidem alcohole, non tamen penitus solvatur, ita quidem ut istae solutiones fere, non tamen prorsus limpidae sint.

b. RESINAE.



RESINA CORTICIS PERUVIANI FUSCI.

- R. Corticis Peruviani fusci, in pulverem grossum contusi, quantum vis;
Spiritus vini densitatis 0,85 quadruplum.

Digerantur calide sub crebrâ agitatione in vase amplo per biduum; decantetur spiritus, ejusque eadem copia quae ante residuo affundatur; post iteratam digestionem denuo decantetur, residuum prelo exprimatur, liquores omnes misceantur et ad subsidentiam seponantur. Ab omni faece, etiam si opus fuerit filtri ope, liberatae tincturae addatur aquae purae pars quarta, et destillando igne modico omnes partes spirituosae abstrahantur.

Resina fundo vasis destillatorii adhaerens eximatur, cum illâ, quae sub evaporatione liquoris remanentis formâ grunosâ fundum petiit, misceatur et aquâ tepidâ abluatur, donec saporis expers sit, tum aquae bullientis ope in massam homogeneam redigatur, ac leni calore probe siccetur.

Sint frustula granulosa, friabilia, fusci coloris, saporis parum aut vix amari, aromatici, odoris fere nullius, illi ipsius corticis Peruviani similis. Affusâ aquâ calidâ nihilum suscipiatur; alcohole autem, calore adjuvante, tota quanta solvatur resina.

RESINA CORTICIS PERUVIANI RUBRI.

Eadem ratione paretur e cortice Peruviano rubro, ut resina modo indicata.

Iisdem gaudeat proprietatibus quibus resina superior; sit

vero coloris in superficie laete, fracturâ profunde rubri, aequabilis, nequaquam igitur maculis magis minusve tinctis conspersa.

RESINA JALAPPAE.

Eadem ratione paretur e radice Jalappae.

Sit perfragilis, friabilis, cum aliquâ, exiguâ tamen tenacitate, fracturae splendentis, coloris fusco nigrescentis. Ebullientis aquae colorem vix mutet, nec illâ ne partem quidem minimam solvatur, optime contra et sine ullis reliquis alcohole et kali natrive caustici solutione, vix aethere aut oleis aethereis; prunis inspersa odorem peculiarem, minime terebinthinaceum, spiret. Solutio alcoholica hypochlorite natrico liquido instillato ne colore coeruleo turbetur.

MEDICAMENTA CUM SACCHARO CONFECTA.

a. TROCHISCI.



TROCHISCI IPECACUANHAE.

R. Pulveris corticis radice Ipecacuanhae grana
viginti quatuor;
Pulveris Sacchari albi uncias tres.

E probe mixtis fiant cum

Mucilaginis gummi Tragacanthae

sufficiente portione trochisci ponderis granorum decem , leni calore probe siccandi.

TROCHISCI CATECHU.

R. Pulveris succi Catechu ;
Pulveris Gummi arabici , utriusque partem unam ;
Pulveris Sacchari albi partes tres.

Misceantur , et cum Aquae rosarum parva copia fiant inde trochisci , leni calore siccandi.

b. CONSERVAE.



CONSERVA ROSARUM RUBRARUM.

R. Petalorum recentium Rosarum rubrarum , quantum vis.

Petala , aquâ frigidâ leviter abluta , et cum Aquae rosarum minimâ quantitate in mortario lapideo ope pistilli lignei in pulvem homogeneam contusa , addito

Pulveris sacchari albi pondere duplici

in conservam redigantur.

c. ELECTUARIUM.



ELECTUARIUM SENNAE COMPOSITUM.

ELECTUARIUM SENNAE CUM PULPIS.

ELECTUARIUM LENTIVUM.

- R. Pulveris foliorum Sennae partes duas;
 Pulveris Seminum Coriandri partem unam;
 Pulpae Cassiae;
 Pulpae Tamarindorum;
 Pulpae Prunorum, singulorum partem unam cum
 dimidiâ;
 Syrupi simplicis partes septem.

Accuratissime commisceantur in massam perfecte homogeneam.

d. GELATINAE.



GELATINA LICHENIS ISLANDICI.

- R. Lichenis Islandici ab omnibus alienis immixtis
 probe liberati et aquâ frigidâ abluti, unciam
 unam cum dimidiâ.

Coque cum

Aquae purae unciis viginti quatuor

ad colaturam unciarum sex. Fortiter exprime et post subsidentiam adde:

Sacchari albissimi unciam unam cum dimidiâ.

evapora, donec supersint unciae quatuor, probe despu-
mandae; tunc cola et loco frigido sepone, ut debitam
acquirat consistentiam.

GELATINA LICHENIS ISLANDICI PRINCIPIO AMARO (CETRARINO) ORBATI.

Eadem ratione paretur ut gelatina modo indicata, sed
Lichenem ante coctionem per viginti quatuor horas mace-
rando cum debita aquae frigidae copia, in cujus singulis
libris solvantur

Carbonatis kalici grana sedecim,

ac dein caute et saepius abluendo.

GELATINA LICHENIS CARRAGHENICI.

R. Lichenis Carraghenici minutim conscissi drach-
mam unam;
Aquae purae uncias sedecim.

Coque leni igne ad colaturam unciarum sex, cola et ad
subsidentiam aliquamdiu sepone. Liquorem limpidum,
additis

Sacchari albissimi drachmis sex,

leniter evapora, donec remanserint unciae tres; iterum cola
et loco frigido sepone, ut fiat gelatina.

GELATINA CORNU CERVI.

R. Cornu Cervi (secundum normam ad calcem paginae 365 indicatam) praeparati drachmas duas;
Aquae purae uncias duodecim.

Coque leni igne in vase tecto, donec remanserit liquoris dimidium et tunc cola. Colaturae adde

Sacchari albissimi unciam unam.

Evapora ad uncias quinque, iterum per pannum trajice et sepone loco frigido, ut in gelatinam abeat.

e. ROB.

~~~~~

*Regulae pro parando Rob.*

1°. Fructus succulenti alienis adhaerentibus liberati, e quibus rob parandum, aut in mortario lapideo pistilli lignei ope in pulvem contundantur, aut, additâ aquae parvâ copiâ, in vase cupreo probe mundato sub continuâ agitatione leniter ebulliant.

2°. Triturando per cribrum succus separetur, ac dein prelo eliciatur reliqua pars priori admiscenda.

3°. Succus, addito saccharo, bulliat sub crebrâ agitatione ac despumatione, donec debitam acquisiverit spissitudinem, ut refrigeratus in rob condensetur.

## ROB JUNIPERI.

R. Baccharum Juniperi quantum vis.

Addita aquae debitâ copiâ in pulvem contunde, coque per horam dimidiam; succum per cribrum separa, et quod remanserit preli ope exprime. Succus hujus partibus quatuor admisce

Sacchari albi partem unam,  
et leni igne in debitam spissitudinem evapora.

## ROB RIBESIORUM RUBRORUM.

R. Baccharum Ribis rubri quantum vis.

Baccæ contusæ cum parvâ aquae portione per horam dimidiam, sub continuâ agitatione, coquantur. Succus forti expressione separetur et illius partibus decem addantur

Sacchari albi partes quatuor;  
deinde igne vividiore ad debitam spissitudinem decoquantur.

## ROB RIBESIORUM NIGRORUM.

Eodem modo paretur e baccis Ribis nigri.  
Harum autem succi partibus quindecim addantur

Sacchari albi partes quatuor.

## ROB SAMBUCCI.

Eadem ratione paretur ut rob modo indicatus e baccis Sambuci nigrae.

*f.* SYRUPI.

~~~~~

Regulae pro parandis Syrupis.

1°. Vegetabilium partes ad parandos syrupos adhibendae, sint, pro variâ sua indole, integrae, conscissae, contusae, aut in pulverem redactae, uti pro singulis indicabitur.

2°. Sint earum infusa aut decocta quantumpote limpida, et saccharo saturentur albo purissimo.

3°. Sacchari solutio in universum fiat sub leni liquoris ebullitione et crebra despumatione; nonnulli autem syrupi calore nimis intenso, aut virium aut coloris detrimentum capiunt.

4°. Syruporum praeparatio fiat in vasis stanneis aut cupreis quam exactissime mundatis.

5°. Syrupi adhuc calentis gutta juxta vas porcellaneum aut metallicum frigidum inclinatum sensim et lente diffluet, nec post refrigerium sacchari crystallos deponat. Si autem justo spissiores fuerint syrupi et saccharum forte crystallisatione secernatur, aut si contra justo tenuiores sint, utroque in casu metus est, ne fermentatione facile corrumpantur. Quapropter utrique vitio medendum est.

6°. Postquam debitam acquisiverint consistentiam, per pannum linteum aut laneum colentur, et probe refrigerati in vasis vitreis aut porcellaneis, tegumento chartaceo clausis, loco frigidiore servantur.

Ad has regulas parentur :

SYRUPUS SIMPLEX.

- R. Sacchari albi quantum vis ;
Aquae bullientis partem dimidiam.

Solve, ut fiat syrupus.

SYRUPUS ALTHAEAE.

- R. Radicis Althaeae minutim conscissae partem unam.

Coque leni igne cum

Aquae purae partibus sedecim,

donec dimidium avolaverit; fortiter exprime, et colaturae
per subsidentiam faece liberatae adde

Sacchari albi partes sex,

et redige in syrupum.

SYRUPUS RHEI.

- R. Radicis Rhei conscissae partem unam ;
Aquae purae partes octo.

Infunde frigide per horas viginti quatuor et leniter exprime.
Liquori probe defaecato adde

Sacchari albi partes octo,

et leni calore fiat syrupus.

SYRUPUS IPECACUANHAE.

- R. Corticis radice Ipecacuanhae contusi unciam
dimidiam ;
Spiritus vini densitatis 0,935 uncias quatuor.

Digere lenissimo calore in vase clauso per octiduum ;
tincturam filtra ejusque drachmae quinque agitando ad-
misceantur

Syrupi simplicis unciis duodecim.

SYRUPUS SENNAE.

- R Foliorum Sennae mundatorum partem unam.

Fiat cum aquae purae sextuplo infusum, cui expresso et
defaecato addantur

Sacchari albi partes quatuor cum dimidia,

et leni igne redigatur in syrupum.

SYRUPUS VIOLARUM.

- R. Petalorum recentium Violae odoratae partem
unam ;
Aquae bullientis partes tres.

Infundantur per sex saltem horas in vase stanneo clauso
et leviter exprimantur ; expressus liquor aliquamdiu quieti

datum, in vas aliud effundatur, ut sic ab omni sedimento liberetur; tunc in hujus liquoris unciis sedecim

Sacchari albissimi unciae triginta

lenissimo calore solvantur.

SYRUPUS PAPAVERIS RHOEADOS.

- R. Petalorum recentium Papaveris Rhoeados partem unam;
Aquae bullientis partes duas;
Sacchari albi partes tres.

Infunde lege artis per horas duodecim et exprime; post subsidentiam adde saccharum, et leni ebullitione in syrupum redige.

SYRUPUS RUBI IDAEI.

- R. Succo expresso fructuum Rubi Idaei probe defaecati partes sedecim;
Sacchari albissimi partes triginta.

Leni calore in syrupum redigantur.

SYRUPUS CORTICUM AURANTIORUM.

- R. Corticum aurantium, ablato contextu interiore medullari, partem unam.

Conscissi digerantur per viginti quatuor horas in vase

tecto, cum aquae tepidae partibus sex. Colaturae, post debitam defaecationem, adde

Sacchari albi partes quatuor,

ut fiat syrupus, cujus singulis libris post refrigerium admisceantur

Olei corticum aurantium guttulae duodecim.

SYRUPUS PAPAVERIS ALBI.

R. Capsularum Papaveris albi siccatarum et seminibus orbatarum partem unam;
Aquae purae partes triginta.

Capsulae diffractae et contusae digerantur calide per viginti quatuor horas, deinde coquantur, donec liquoris partes octo supersint et fortiter exprimantur. Liquor ad dimidium evaporatus, et per subsidentiam probe defaecatus, cum

Sacchari albi partibus quatuor

in syrupum coquatur.

SYRUPUS OPIATUS.

R. Extracti Opii grana sedecim.

Solve in

Vini Hispanici unciâ unâ.

Solutionem probe agitando admisce

Syrupi simplicis unciis quindecim.

SYRUPUS DIACODII.

R. Syrupi Althaeae,
Syrupi Papaveris albi, utriusque partes aequales.

Probe misceantur.

SYRUPUS IÖDETI FERROSI.

SYRUPUS IÖDURETI FERRI.

R. Ferri pulverisati partem unam ;
Iödü partes duas cum dimidia ;
Aquae depuratae partes octo.

In vase porcellaneo expone leni caloris gradui, interdum agitando, donec solutio prorsus decolor evaserit, tum filtra in vas, quod contineat

Pulveris sacchari albi partes sex.

Filtrum paucâ aquâ tepidâ insuper ablue et lenissimo calore solve saccharum, liquore evaporato, si opus, donec partes quindecim supersint. Syrupum in vase probe repleto et accurate clauso, loco obscuro conserva.

g. MEL ET CUM MELLE CONFECTA.



MEL DEPURATUM.

MEL DESPUMATUM.

R. Mellis albi quantum vis.

Cum aquae purae tertiâ aut quartâ parte ebulliat et,

spumâ probe ablatâ , in syrûpi spissitudinem redigatur , ac per pannum laneum coletur.

MEL ROSARUM.

R. Petalorum Rosarum rubrarum siccatorum partem unam ;
Aquae bullientis partes sex.

Infunde per aliquot horas et exprime. Colaturae , post debitam subsidentiam , adde

Mellis depurati partes novem ,

et leni calore in syrûpi spissitudinem evapora.

h. OXYMELLA.

OXYMEL SIMPLEX.

R. Aceti vini quantum vis ;
Mellis depurati duplex pondus .

Misce et in vase stanneo leni igne in syrûpi tenuioris spissitudinem coque.

OXYMEL SCILLAE.

OXYMEL SCILLITICUM.

Eadem ratione paretur ut oxymel modo indicatum , sed adhibendo Aceto Scillae.

OXYMEL COLCHICI.

Eadem ratione paretur, Acetum Colchici adhibendo.

MEDICAMENTA DESTILLATIONE PARANDA.

a. OLEA AETHEREA.

Regulae pro parandis Oleis Aethereis.

1°. Corpora, e quibus oleum aethereum destillatione est separandum, sint aut recentia aut siccata, uti pro singulis indicabitur; plerorumque exsiccatio optime fit calore aestivo, loco umbroso.

2°. Probe curandum, ut omnia haec corpora colligantur eo tempore, quo maxime abundant elementis, quibus virtus medicata tribuitur.

3°. Pro diversâ eorum indole, ante destillationem conscindi, contundi, aut in pulverem redigi debent.

4°. Maceratio praevia imprimis pro durioribus commendanda.

5°. Destillatio fiat ope aquae purae, ex vesicâ cupreâ, intus probe stanno obducta, cui alembicus imponatur e stanno puro confectus, cum adnexo vase frigidario amplo, hujusque canali in serpentis formam reflexo, itidem ex eodem metallo confecto, ne ullâ ratione vapores ex natura acidâ, quae in nonnullis manifesta est, venenatas contrahant dotes.

6°. Aqua in vase refrigeratorio, si opus sit, saepius renovanda, ne nimis inealeseat et ut omnes vapores non nisi probe in liquidum condensati in excipulum perveniant.

7°. Ignis ab initio operationis ita est augendus, ut aqua bulliat, et sub continuâ ebullitione protrahatur destillatio, donec nullum amplius oleum transeat.

8°. Vesica quantumpote replenda est, ita tamen, ut sub operatione turgens materies in alembicum non adscendat. Haud nimia tamen aquae copia est addenda; quum suffieiat, si oleo vehiculum praebetur et simul empyreuma evitetur. Pro corporibus nonnullis valde fragrantibus, floribus imprimis ac nonnullis herbis, conducere potest, ut aquae vapores ducantur per ipsa corpora destillationi subieienda, nempe in vase destillatorio ad tertiam suae altitudinis partem diaphragma e pilis cupreis confectum habente, cui destillanda imponantur, dum inferior vasis pars aquâ impleatur. Vapores transeuntes ita quaseunque partes aromaticas volatiles in vas recipiens secum auferent.

9°. In universum convenit aquam abstractam novis corporibus destillandis affundere; hanc autem oleo quasi onustam majorem hujus copiam praebituram esse faeile intelligitur.

10°. Poterit etiam praemagna olei portio, quam aqua sub operatione suseeperit, repetitâ destillatione inde separari; oleum quippe, aquâ volatilius, hujus connubium relinquit et cum primâ ejus parte transit.

11°. Olea aquâ leviora inde separanda ope vasis vitrei peculiaris tubo in formam S praediti; pro corporibus aqua gravioribus infundibulum vitreum adhiberi poterit. Haec tamen, et quaedam alia, encheiresin singularem postulantiâ, Pharmacopoeorum judicio sunt relinquenda.

12°. Serventur olea aetherea in vasis vitreis bene obturatis, quantumpotere repletis. Calori nec luci solari exponantur, quibus quippe color ac densitas plerumque mutantur, ideoque elementorum constituentium proportione simul mutatâ, virtutes medicae magnum saepe capiunt detrimentum.

Ex norma proposita praeparetur :

VALERIANAE e radicibus siccatis
Valerianae officinalis.

Est coloris aurei, plerisque aliis spissius.

LAURO-CERASI e foliis recentibus
Pruni Lauro-cerasi.

Est decolor, mox in flavedinem vergens.

SABINAE e foliis recentibus
Juniperi Sabinæ.

Est coloris flavi pallide fuscescentis.

MENTHAE CRISPAE ex herbâ siccâtâ
Menthae crispæ. } Sunt
MENTHAE PIPERITIDIS ex herbâ siccâtâ } coloris
Menthae piperitæ } straminei,
nonnum-
quam
virentis.

ABSYNTHII ex herba recente
Artemisiae Absynthii.

Est profunde viride, quasi nigrescens,
plerisque aliis spissius.

ORIGANI ex herbâ recente florente

Origani vulgaris.

Est coloris rubro-fusci.

TANACETI e floribus recentibus (summitatibus)

Tanacetii vulgaris.

Est coloris citrini.

CHAMOMILLAE e floribus aut recentibus aut sic-
catis

Matricariae Chamomillae.

Est coloris profunde coerulei, reliquis
spissius.

RUTAE e capsulis cum seminibus recentibus

Rutae graveolentis.

Est coloris citrini.

FOENICULI e seminibus recentibus

Foeniculi vulgaris.

Est fere decolor; frigore in massam crys-
tallinam condensatur.

CARVI e seminibus siccatis

Cari carvi.

Est coloris flavi, mox obscurioris.

SINAPIS e seminibus

Brassicae melano-sinapis.

Est coloris straminei, nares et oculos
moleste afficit.

OLEUM.	}	AURANTIORUM e cortice recente aut siccato fructuum	}	Initio sunt fere decoloria, mox autem colorem citrinum induunt.
		Citri Aurantii.)		
		CITRI e cortice recenti fructuum		
		Citri medicae.)		

Cuicumque oleo aethereo adscriptus color differt tamen aliquantulum pro illius vetustate, quum temporis vi pleraque obscuriora fiant.

Sit omnibus odor fragrans materiei, e quâ parata sunt.

Sint limpida, alcohole quâvis proportione solubilia. Cum aquae purae pari portione conquassatis haec, concessâ aliqua quiete, non nisi aegre lactescat nec volumine augeatur.

Gutta in chartam instillata ac leni calore evaporata ne odorem terebinthinaceum aut alium quemlibet heterogeneum spiret; ipsa charta colorem non contrahat, nec macula unguinosa in ea relinquatur.

b. AQUAE DESTILLATAE AROMATICAE.



Regulae pro parandis Aquis destillatis.

1°. Eadem hic valent praecepta, quae pro parandis oleis aethereis sub n°. 1-6 et sub n°. 8 a medio usque ad finem data sunt.

2°. Vesica destillatoria non ultra duas tertias partes repleatur, et in universum non plus aquae adhibeatur, quam opus est, ut, post paratam debitam aquae destillatae portionem, in ipsâ vesica empyreumatis generatio praecaveatur.

3°. Si oleum in aquae destillatae superficie conspiciatur, inde exacte separetur.

4°. Quibusdam aquis destillatis intensior caloris gradus ac lux solaris nocent. Serventur itaque loco umbroso, lagenis vitreis, prioribus post destillationem viginti quatuor horis, cono chartaceo, dein epistomio vitreo aut suberino probe claudendis.

5°. Licet his cunctis rite sit satisfactum, temporis tamen vi depravantur aquae destillatae; itaque recentes saepius parentur.

Ad has regulas parentur Aquae destillatae aromaticae sequentes, ea lege, ut ex adscriptâ unicuique corpori destillando portione decem librae aquae obtineantur.

A
Q
U
A

MENTHAE CRISPAE ex herbae siccatae Menthae
crispae
librâ unâ cum dimidiâ.

MENTHAE PIPERITIDIS ex herbae siccatae Men-
thae piperitae
librâ unâ cum dimidiâ.

LAURO-CERASI e foliorum recentium Pruni Lauro-
cerasi,
libris duodecim. (1)

(1) Aquae Lauro-cerasi bonae notae uncia una, nitratis argentei solutione instillatâ, grana duo cyaneti praebat. Conferatur etiam Aqua ex amygdalino parata, pag. 341.

CINNAMOMI e corticis Cinnamomi

libra una.

FLORUM AURANTIORUM, vulgo aqua Naphae, e
florum recentium Citri
aurantii

libris tribus.

ROSARUM e petalorum recentium Rosae centifoliae
libris quatuor.

FOENICULI e seminum siccatorum Foeniculi vul-
garis

librâ unâ.

CORTICUM AURANTIORUM e corticis fructuum
Citri aurantii recentis
libris tribus.

Sint aquae destillatae fragrantēs, aromaticae, oleo aethereo maxime refertae, plus minusve lactescentes, haud limpidae, particulis tamen heterogeneis innatantibus liberae.



c. SPIRITUS DESTILLATIONE PARATI.

Regulae pro parandis corporibus aethereis, quae Spiritus vocantur.

1°. Singula fere praecepta pro parandis oleis aethereis et aquis destillatis proposita, quae corporum destillationi subjiciendorum collectionem et praeparationem, instrumenta deinde adhibenda, ipsamque destillationem spectant, hic in universum sunt observanda.

2°. Ignis non nisi levis est adhibendus, et imprimis curandum, ut liquor demum probe refrigeratus in vas excipiens defluat.

3°. Destillatio Spirituum, in quibus olea aetherea ponderosiora soluta tenentur, e retortâ vitreâ aut vesicâ humiliore instituenda. Pro destillatione Spirituum e corporibus, quorum principium activum admodum volatile est, balneum aquae est commendandum.

4°. Maceratio in vase clauso per unum alterumve diem ante destillationem non negligenda.

5°. Destillandis affundatur aquae sufficiens portio nec major quam qua opus est, ut empyreuma evitetur.

6°. Serventur Spiritus destillati in vasis, epistomio vitreo exacte clausis, loco frigidiusculo, calori saltem solari minime exponantur.

Secundum has regulas parentur:

SPIRITUS CINNAMOMI.

R. Corticis Cinnamomi partem unam ;
Spiritus vini densitatis 0,935 partes quinque.

Destillatio protrahatur, donec spiritus sit densitatis 0,92.

SPIRITUS RORISMARINI.

R. Summitatum florentium Rorismarini partem unam ;
Spiritus vini densitatis 0,935 partes quatuor.

Destillando perge, donec spiritus sit densitatis 0,885.

SPIRITUS LAVENDULAE.

Eodem modo paretur e spicis florentibus Lavendulae.

SPIRITUS CITRI.

- R. Corticum Citri recentium partem unam ;
Spiritus vini densitatis 0,935 partes tres.

Destilla donec spiritus densitatem 0,91 denotet.

SPIRITUS COCHLEARIAE.

- R. Herbae Cochleariae officinalis recentis florentis
partes quatuor ;
Radice Armoraciae rusticanae recentis partem
unam ;
Spiritus vini densitatis 0,935 partes octo.

Destilla , donec spiritus provocatus sit densitatis 0,925.

SPIRITUS COCHLEARIAE COMPOSITUS.

CEREVISIA ANTISCORBUTICA SYDENHAMI.

- R. Herbae Cochleariae officinalis recentis florentis
libras tres ;
Herbae Menthae crispae ,
Herbae Salviae , utriusque siccatae uncias tres ;
Corticum aurantium uncias quatuor ;

Nucis moschatae unciam dimidiam;
Spiritus vini densitatis 0,935 libras tres;
Aquae libras novem.

Destillando abstrahe libras sex.

SPIRITUS JUNIPERI COMPOSITUS.

R. Baccarum Juniperi libram unam;
 Seminum Carvi,
 Seminum Foeniculi, utrorumque uncias quatuor;
 Spiritus vini densitatis 0,935 libras novem;
 Aquae libras sex.

Destillando eliciantur spiritus librae novem.

SPIRITUS MASTICHES COMPOSITUS.

SPIRITUS MATRICALIS.

R. Resinae Mastiches;
 Resinae Olibani;
 Gummi-resinae Myrrhae;
 Succini, singulorum partem unam;
 Spiritus vini densitatis 0,935 partes viginti.

Destilla donec spiritus prolicitus sit densitatis 0,875.

SPIRITUS TRAUMATICUS.

AQUA VULNERARIA.

R. Herbae recentis Salviae;
 " " Melissae;

Herbae recentis Thymi ;
 » » Majoranae ;
 » » Rorismarini, singularum partes duas;
 Florum Lavendulae siccatorum partem unam;
 Spiritus vini densitatis 0,935 partes quadraginta;
 Aquae partes ducentas.

Destillando eliciantur partes septuaginta quinque.

SPIRITUS AROMATICUS.

SPIRITUS CARMINATIVUS.

R. Herbae Majoranae ;
 Corticis Cinnamomi ;
 Nucis Moschatae ;
 Caryophyllorum aromaticorum , singularum un-
 ciam unam ;
 Seminum Coriandri uncias duas ;
 Spiritus vini densitatis 0,935 libras quinque.

Destilla ad spiritus provocati densitatem 0,895.

SPIRITUS AROMATICUS AMMONIACALIS.

SPIRITUS SALIS VOLATILIS OLEOSUS.

R. Corticum Citri recentium unciam unam cum
 dimidia ;
 Corticis Cinnamomi ,
 Nucis Moschatae ,
 Caryophyllorum aromaticorum , singularum drach-
 mas duas ;

Chloreti ammonici unciam unam;
 Carbonatis kalici uncias duas;
 Spiritus vini densitatis 0,935 libras duas.

E retorta vitreâ eliciantur unciae quatuordecim.

MEDICAMENTA AD USUM EXTERNUM.

a. PINGUEDO ANIMALIS DEPURATA.

AXUNGIA PORCINA DEPURATA.

R. Axungiae Suis scrofae quantum placet.

Ablatis membranis, conscinde in frustula aquâ purâ tamdiu abluenda, donec haec limpida et decolor inde redeat; tum in vase ferreo mundissimo, sub continuâ fere agitatione, cochleari ligneo, leni igne liquanda. Axungia fluida quam primum auferatur, per linteum colata vasi figulino committatur, et loco frigido servetur.

Eodem modo paretur

SEVUM OVILLUM DEPURATUM.

b. UNGUENTA.

Regulae pro parandis Unguentis.

1°. Medicamenta externa, unguenta dicta, ex pinguedine animali et vegetabili fiunt, quibus liquatis admiscentur

resinae, gummi-resinae, pulveres vegetabilium, olea aetherea, praeparata metallica, caet.

3°. Pinguia non volatilia, ut cera, axungia, sebum, oleum, primum in vase figulino aut cupreo stanno probe obducto, cui fundus orbicularis aut subplanus, leni igne liquata, misceantur et per pannum linteum colentur. Colatis addantur dein pulveres caeteraque, sub continuâ agitatione, adhibitâ spatulâ ligneâ aptâ, donec massa refrixerit.

3°. Si unguentis immisceantur corpora volatilia, v. gr. camphora, aut olea aetherea, hacc demum addenda sub refrigerio.

4°. Unguentis sit forma mellis spissioris, accuratissime eorum partes constituentes sint mixtione aequabili unitae; non sint grumosa et facile illiniantur.

5°. Quae principio volatili gaudent, serventur in vasis bene clausis, et omnibus caveatur a rancore, quem vetustate, calore et ex oxygenio aëris contrahunt; hinc in universum non nimiâ copiâ paranda nec diu servanda.

Ad has regulas parentur:

UNGUENTUM SIMPLEX.

R. Cerae albae partes duas;
Olei olivarum partes quinque.

Leni igne liquefiant et misceantur.

UNGUENTUM CARBONATIS PLUMBICI.

UNGUENTUM ALBUM SIMPLEX.

- R. Cerae albae partes duas ;
Olei olivarum partes quinque cum dimidiâ.

Leni igne liquatis agitando admisce

Carbonatis plumbici subtilissime pulverisati partem
unam cum dimidiâ.

Agita ad refrigerium.

UNGUENTUM CARBONATIS PLUMBICI
CAMPHORATUM.

UNGUENTUM ALBUM CAMPHORATUM.

- R. Unguenti carbonatis plumbici uncias sex ;
Camphorae, olei olivarum drachmis duabus accu-
ratissime subactae, drachmas duas.

Misce.

UNGUENTUM ACETATIS PLUMBICI.

UNGUENTUM ACETATIS PLUMBI.

- R. Axungiae porcinae depuratae ;
Olei olivarum ;
Acetatis plumbici liquidi, singulorum par pondus.

Accurate misce, satis diu terendo in mortario lapideo amplo.

UNGUENTUM TARTRATIS STIBICO-KALICI.

UNGUENTUM TARTARI STIBIATI.

UNGUENTUM AUTENRIETHII.

- R. Tartratis stibico-kalici partem unam ;
 Axungiae porcinae depuratae partes sex.
 Sali in tenuissimum pulverem trito admisce axungiam
 trititando in mortario lapideo.

UNGUENTUM IÖDETI KALICI.

UNGUENTUM KALI HYDROIODICI.

UNGUENTUM HYDROIODATIS POTASSAE.

- R. Iödeti kalici in pulverem subtilissimum triti
 drachmam unam ;
 Carbonatis magnesici grana sex ;
 Axungiae porcinae recenter depuratae unciam
 unam.

Misce agitando in mortario vitreo aut lapideo.

UNGUENTUM HYDRARGYRI.

UNGUENTUM PROTOXYDI HYDRARGYRI.

UNGUENTUM NEAPOLITANUM.

- R. Hydrargyri partes duas ;
 Unguenti hydrargyri vetusti partem unam ;

Axungiae porcinae depuratae partes septem.

Hydrargyrum cum unguento tere in mortario lapideo, donec plane disparuerint particulae metallica; tunc adde axungiam leniter emollitam et agita in massam perfecte aequabilem.

UNGUENTUM OXYDI HYDRARGYRICI.

UNGUENTUM PEROXYDI HYDRARGYRI NITRATI.

UNGUENTUM OPHTHALMICUM RUBRUM.

- R. Oxydi hydrargyrici, Nitrate hydrargyrico perfecte liberi, in tenuissimum pulverem redacti drachmam dimidiam ;
Axungiae porcinae depuratae uncias duas.

Exactissime misceantur.

UNGUENTUM OXYDI ZINCICI.

UNGUENTUM ZINCI.

- R. Oxydi zincici subtilissime pulverisati partem unam ;
Axungiae porcinae depuratae partes octo.

Axungiae leni calore emollitae admisce oxydum continuo agitans, donec refrixerint.

UNGUENTUM OXYDI COBALTICI.

UNGUENTUM DEFENSIVUM COERULEUM.

- R. Cerae albae partes duas;

Olei olivarum partes quinque.

Liquatis admisce per vices et sub continuâ agitatione

Acetatis plumbici liquidi partes duas ;

deinde

Oxydi cobaltici cum terra silicea totidem partes

et agitando ad refrigerium usque perge.

UNGUENTUM SULPHURATUM.

UNGUENTUM AD SCABIEM.

- R. Sulphuris sublimati partes duas ;
 Sulphatis zincici probe pulverisati partem unam ;
 Olei Laurini partes tres ;
 Axungiae porcinae depuratae partes sex.

Accurate misceantur.

UNGUENTUM LAURINUM.

UNGUENTUM NERVINUM.

- R. Sevi ovilli depurati partes octo ;
 Olei Laurini partes decem.

Leni igne liquefiant et per linteum colentur ; deinde adde

Olei Terebinthinae partem unam ;

Olei succini depurati partem dimidiam ,

et agita massam donec refrixerit.

UNGUENTUM ELEMI.

BALSAMUM ARCAEI.

- R. Resinae Elemi,
Sevi ovilli depurati,
Axungiae porcinae depuratae, singulorum partes
quatuor;
Terebinthinae laricinae partes tres.

Leni igne liquata colentur et agitentur donec refrigescant.

UNGUENTUM PICIS.

UNGUENTUM BASILICUM.

- R. Olei olivarum partes quatuor;
Resinae flavae;
Cerae flavae, utriusque partem unam.

Leni igne liquatis vas ab igne remove et adde

Picis solidae partem unam.

Probe permixta colentur et agitentur, donec refrigescant.

UNGUENTUM POPULEUM.

- R. Gemmarum Populi siccatarum partem unam;
Foliorum recentium Belladonnae;

Foliorum recentium Hyoscyami, utrorumque partem dimidiam.

Probe contusis adde

Axungiae porcinae depuratae partes quatuor.

Coque leni igne, donec omnes partes aquosae avolaverint, deinde exprime et cola.

UNGUENTUM DAPHNES MEZEREI.

UNGUENTUM DE GAROU.

R. Corticis Daphnes Mezerei uncias sex.

Conscinde minutim et, affusâ aquae minimâ quantitate, in mortario cupreo probe contunde; adde

Aquae uncias triginta,

et post macerationem calidam per aliquot horas, admisce

Axungiae porcinae depuratae uncias decem;
Unguenti Populei uncias duas.

Sub agitatione saepius iteratâ, partibus aquosis leni calore expulsis, fortiter exprime; adde

Cerae albae unciam unam cum dimidia,

et massam leni igne liquatam per linteum cola ac agita ad refrigerium.

c. EEMPLASTRA.

Regulae pro parandis Emplastris.

1°. Quum medicamenta externa, emplastra dicta, cum unguentis magnam partem convenient et ab his solâ densitate et tenacitate majori praesertim differant, pleraque quae pro parandis unguentis sub n°. 2 et 3 praecepimus, hic quoque in universum sunt observanda.

2°. Aliquando convenit resinas et gummi-resinas Terebinthinae laricinae parvâ portione subigere, antequam reliquae massae addantur.

3°. Emplastra nondum penitus refrigerata, ideoque etiamnum mollia, malaxatione inter digitos et supra lapidem marmoreum in cylindros fingantur, adhibitâ aquae parvâ portione; pro illis autem, quae principia aquâ solubilia continent, oleo olivarum aut amygdalarum digiti illiniantur.

4°. Emplastra sint in vulgari temperaturâ adeo solida, ut manibus non adhaereant, calore leni ductilia evadant, et supra linteum aut alutam extensa et cuti admota mollia maneant et huic facile adhaereant, nec tamem liquescant.

5°. Pleraque emplastra servantur chartâ involuta; quae autem elemento quodam volatili gaudent, vesicâ bibulâ et vasis e ferro laminato confectis includantur.

Ad has regulas parentur:

EMPLASTRUM OXYDI PLUMBICI SEMIVITREI.

EMPLASTRUM PLUMBI.

EMPLASTRUM DIAPALMAE.

- R. Oxydi plumbici semivitrei in pulverem subtilissimum redacti ;
Olei olivarum, utriusque partes tres ;
Axungiae porcinae depuratae ;
Aquae purae, utriusque partes duas.

Oxydum cum oleo terendo redige in massam perfecte aequabilem, tum in vas cupreum amplum immitte et, additis axungiâ et aquâ, coque lenissimo igne, assidue agita, et aquam evaporatione amissam interdum restitue, probe cavens, ne sub operatione haec deficiat. Soluto oxydo partem massae explora, num debitam emplastri acquisiverit spissitudinem; tum vas ab igne remove, aquam frigidam affunde et malaxatione humorem omnem sedulo exprime.

Emplastrum sit album, aliquantulum in flavedinem vergens, ne minutissimas quidem oxydi metallici partes conspicuas continens.

EMPLASTRUM RESINOSUM.

EMPLASTRUM ADHAESIVUM.

- R. Emplastri oxydi plumbici semivitrei libras tres ;
Resinae flavae uncias sex ;
Terebinthinae laricinae uncias tres.

Ex liquatis leni calore et bene permixtis fiat lege artis emplastrum.

EMPLASTRUM GUMMOSUM.

EMPLASTRUM DIACHYLON CUM GUMMI.

- R. Emplastri oxydi plumbici semivitrei libras duas ;
 Cerae flavae ,
 Gummi-resinae Galbani depuratae ,
 Gummi-resinae Ammoniaci depuratae , singula-
 rum uncias tres ;
 Terebinthinae laricinae uncias duas.

Cerae et emplastro simul liquatis admisce, sub sedulâ agitatione, gummi-resinas, leni calore terebinthinâ solutas, et fiat, secundum regulas propositas, emplastrum.

EMPLASTRUM DE GALBANO CROCATUM.

- R. Emplastri oxydi plumbici semivitrei ;
 Gummi-resinae Galbani depuratae , utriusque
 libram unam ;
 Cerae flavae uncias decem ;
 Terebinthinae laricinae uncias quatuor ;
 Croci unciam unam cum dimidiâ.

Emplastro et cerae liquefactis admisce Galbanum terebinthinâ leni calore solutum, ac deinde Crocum in pulverem subtilem redactum.

EMPLASTRUM CONII.

EMPLASTRUM CICUTAE.

- R. Emplastri oxydi plumbici semivitrei,
Cerae flavae, utriusque libram unam;
Olei olivarum uncias sex.

Liquatis et parumper refrigeratis admisce

Pulveris herbae Conii maculati libram unam.

Fiat secundum datas regulas emplastrum, in vase figulino,
vesicâ suillâ probe clauso, servandum.

EMPLASTRUM HYOSCYAMI.

Eadem ratione paretur ut Emplastrum modo indicatum,
adhibito pulvere foliorum Hyoscyami nigri.

EMPLASTRUM SAPONATUM.

EMPLASTRUM DE SAPONE.

- R. Emplastri oxydi plumbici semivitrei libras tres;
Cerae flavae uncias sex;
Saponis albi rasi uncias tres.

Leni calore probe permixtis, deinde sub continuâ agitatione
fere refrigeratis, adde:

Camphorae unciam dimidiam,
Olei olivarum parva quantitate solutam.

Fiat emplastrum.

EMPLASTRUM OXYDI COBALTICI.

EMPLASTRUM DEFENSIVUM COERULEUM.

R. Emplastri oxydi plumbici semivitrei libras tres;
Unguenti acetatis plumbici uncias octo.

Simul liquatis admisce

Oxydi cobaltici cum terra silicea uncias sedecim,
et agita sedulo donec refrixerint.

EMPLASTRUM HYDRARGYRI.

EMPLASTRUM MERCURIALE.

R. Hydrargyri uncias sex;
Unguenti hydrargyri vetusti uncias tres.

Terantur sedulo et satis diu in mortario lapideo, donec
particulæ metallicae penitus disparuerint.

Admisceantur dein

Emplastri oxydi plumbici semivitrei unciis octo-
decim atque
Cerae flavae unciis tribus,

in vase figulino simul liquatis et probe permixtis. Fiat lege artis Emplastrum.

EMPLASTRUM ASAE FOETIDAE.

EMPLASTRUM FOETIDUM.

- R. Gummi-resinae Asae foetidae depuratae libram unam ;
 Gummi-resinae Galbani depuratae uncias quatuor ;
 Resinae flavae uncias octo ;
 Terebinthinae laricinae uncias duas.

Lenissimo calore emollita agitentur in massam perfecte homogineam.

EMPLASTRUM OPIATUM.

EMPLASTRUM CEPHALICUM.

- R. Resinae Olibani uncias quatuor ;
 Resinae Benzoës uncias duas.

In pulverem subtilissimum tritis adde

Terebinthinae laricinae uncias tres ,

et, adhibito quam lenissimo calore, in massam homogineam agita ; cui admisce

Opii pulverisati drachmas sex ;
 Balsami Peruviani drachmam unam cum dimidia.

Fiat emplastrum in chartâ ceratâ, aut vesicâ oleo olivarum illinitâ, loco frigidiusculo servandum.

EMPLASTRUM AROMATICUM.

EMPLASTRUM STOMACHICUM.

- R. Cerae flavae uncias decem ;
Sevi ovilli depurati uncias sex ;
Olei nucis Moschatae expressi uncias duas ;
Terebinthinae laricinae unciam unam.

Leni calore liquatis et semirefrigeratis sedulâ sub agitatione admisce :

Pulveris resinae Olibani uncias quatuor ;
Pulveris Caryophyllorum aromaticorum uncias
duas cum dimidiâ ,

ac tandem sub refrigerio ,

Olei Menthae piperitae drachmas duas.

Serva emplastrum in vase bene clauso.

EMPLASTRUM CANTHARIDUM.

EMPLASTRUM VESICATORIUM.

- R. Cerae flavae uncias octo ;
Resinae flavae ,
Picis solidae , utriusque uncias quatuor ;
Axungiae porcinae depuratae uncias duas.

Liquatis et semirefrigeratis admisce

Pulveris Cantharidum uncias octo.

Fiat emplastrum.

Praecipuorum Europeanorum Ponderum Medicinalium ratio ad Ponderus Medicinale Batavum.

PONDUS MEDICINALE.		Aequale.	Libra.	Uncia.	Drachma.	Scrupulus.	Granum.	PONDUS MEDICINALE.
BORUSSICUM.	1 Libra	==	0	11	1	2	8,02	Batavum.
	1 Uncia	"	0	0	7	1	9,002	
	1 Drachma. . .	"	0	0	0	2	16,13	
	1 Scrupulus . .	"	0	0	0	0	18,71	
	1 Granum . . .	"	0	0	0	0	0,94	
NURNBERGENSE.	1 Libra	"	0	11	3	1	17,92	
	1 Uncia	"	0	0	7	1	18,16	
	1 Drachma. . .	"	0	0	0	2	17,27	
	1 Scrupulus . .	"	0	0	0	0	19,09	
	1 Granum . . .	"	0	0	0	0	0,95	
GALLICUM VETUS (Livre poids de Marc.)	1 Libra	"	0	11	5	2	18,98	
	1 Uncia	"	0	0	7	2	9,92	
	1 Drachma. . .	"	0	0	0	2	18,74	
	1 Granum . . .	"	0	0	0	0	0,98	

PONDUS MEDICINALE.		Aequale.	Libra.	Uncia.	Drachma.	Scrupulus.	Granum.	PONDUS MEDICINALE.
GALLICUM NOVUM (Livre metrique.)	1 Libra	=	1	4	0	0	0,00	Batavum.
	= 16 unciis.							
	1 Uncia	"	0	1	0	0	0,00	
	1 Drachma.	"	0	0	1	0	0,00	
	1 Scrupulus	"	0	0	0	1	0,00	
= 24 granis.								
1 Granum	"	0	0	0	0	0,83		
GALLICUM NOVUM (Poids decimaux.)	1 Kilogramme.	"	2	8	0	0	0,00	
	1 Hectogramm.	"	0	3	1	1	16,00	
	1 Decagramme	"	0	0	2	1	13,00	
	1 Gramme.	"	0	0	0	0	15,36	
	1 Decigramme.	"	0	0	0	0	1,54	
ANGLICUM.	1 Libra	"	0	11	7	1	11,32	
	1 Uncia	"	0	0	7	2	17,61	
	1 Drachma.	"	0	0	0	2	19,70	
	1 Scrupulus	"	0	0	0	0	19,90	
	1 Granum	"	0	0	0	0	1,00	

PONDUS MEDICINALE.		Aequale.	Libra.	Uncia.	Drachma.	Scrupulus.	Granum.	PONDUS MEDICINALE.
AUSTRIACUM.	1 Libra	==	1	1	3	1	11,32	Batavum.
	1 Uncia	»	0	1	0	2	17,61	
	1 Drachma . .	»	0	0	1	0	7,20	
	1 Scrupulus. .	»	0	0	0	1	2,40	
	1 Granum. . .	»	0	0	0	0	1,12	
BAVARICUM.	1 Libra	»	0	11	4	0	9,75	
	1 Uncia	»	0	0	7	2	0,82	
	1 Drachma . .	»	0	0	0	2	17,60	
	1 Scrupulus. .	»	0	0	0	0	19,20	
	1 Granum. . .	»	0	0	0	0	0,96	
ROSSICUM.	1 Libra	»	0	11	3	2	4,14	
	1 Uncia	»	0	0	7	1	18,68	
	1 Drachma . .	»	0	0	0	2	17,34	
	1 Scrupulus. .	»	0	0	0	0	19,11	
	1 Granum. . .	»	0	0	0	0	0,96	

PONDUS MEDICINALE.		Aequale.	Libra.	Uncia.	Drachma.	Scrupulus.	Granum.	PONDUS MEDICINALE.
NORICUM.	1 Libra	=	0	11	3	1	17,92	Batavum.
	1 Uncia	»	0	0	7	1	18,16	
	1 Drachma. . .	»	0	0	0	2	17,27	
	1 Scrupulus. .	»	0	0	0	0	19,09	
	1 Granum. . .	»	0	0	0	0	0,95	
SUEVICUM.	1 Libra	»	0	11	3	0	11,77	
	1 Uncia	»	0	0	7	2	9,31	
	1 Drachma. . .	»	0	0	0	2	18,66	
	1 Scrupulus. .	»	0	0	0	0	19,55	
	1 Granum. . .	»	0	0	0	0	0,98	

Tabula, in qua densitas liquorum aquâ leviorum comparatur cum Gradibus Areometri Pharmaceutici et Beaumani. (1)

Densitas Liquorum.	Gradus Areom. Pharm.	Gradus Areom. Beaum.
1,000	0°	10°
0,993	1	11
0,987	2	12
0,980	3	13
0,974	4	14
0,967	5	15
0,961	6	16
0,954	7	17
0,948	8	18
0,941	9	19
0,935	10	20
0,929	11	21
0,923	12	22
0,917	13	23
0,911	14	24
0,906	15	25
0,900	16	26

(1) Ad densitatem liquorum definiendam adhibeatur *Densimeterum*, duabus scalis gradus et pondus specificum indicantibus instructum, et ab H. Geissler, artifice mechanico Hagae Comitum, confectum.

Densitas Liquorum.	Gradus Areom. Pharm.	Gradus Areom. Baum.
0,895	17°	27°
0,889	18	28
0,884	19	29
0,878	20	30
0,873	21	31
0,868	22	32
0,863	23	33
0,858	24	34
0,852	25	35
0,847	26	36
0,842	27	37
0,837	28	38
0,832	29	39
0,828	30	40
0,823	31	41
0,819	32	42
0,814	33	43
0,810	34	44
0,805	35	45
0,800	36	46
0,796	37	47
0,792	38	48
0,787	39	49

Densitas Liquorum.	Gradus Aecom. Pharm.	Gradus Aecom. Beaum.
0,782	40°	50°
0,778	41	
0,774	42	
0,770	43	
0,766	44	
0,762	45	
0,758	46	
0,754	47	
0,750	48	
0,746	49	
0,742	50	

Tabula, in qua densitas liquorum aquâ ponderosiorum comparatur cum gradibus Areometri Pharmaceutici et Beaumeani pro liquoribus aquâ gravioribus.

Densitas Liquorum.	Gradus Areometri.	Densitas Liquorum.	Gradus Areometri.
1,000	0°	1,152	19°
1,007	1	1,161	20
1,014	2	1,171	21
1,022	3	1,180	22
1,029	4	1,190	23
1,036	5	1,199	24
1,044	6	1,210	25
1,052	7	1,221	26
1,060	8	1,231	27
1,067	9	1,242	28
1,075	10	1,252	29
1,083	11	1,261	30
1,091	12	1,275	31
1,100	13	1,286	32
1,108	14	1,298	33
1,116	15	1,309	34
1,125	16	1,321	35
1,134	17	1,334	36
1,143	18	1,346	37

Densitas Liquorum.	Gradus Areometri.	Densitas Liquorum.	Gradus Areometri.
1,359	38°	1,736	61°
1,372	39	1,758	62
1,384	40	1,779	63
1,398	41	1,801	64
1,412	42	1,823	65
1,426	43	1,847	66
1,440	44	1,872	67
1,454	45	1,897	68
1,470	46	1,921	69
1,485	47	1,946	70
1,501	48	1,974	71
1,516	49	2,002	72
1,532	50	2,031	73
1,549	51	2,059	74
1,566	52	2,087	75
1,583	53		
1,601	54		
1,618	55		
1,637	56		
1,656	57		
1,676	58		
1,695	59		
1,714	60		

Tabula, in qua pondus specificum Alcoholis, caloris gradu + 15° C., comparatur cum partibus centesimis in volumine Alcoholis, secundum Alcoholometrum Gay-Lussacii.

Densitas Liquoris alcoholici.	Partes centesimae voluminis secundum Alco- holometrum.	Densitas Liquoris alcoholici.	Partes centesimae voluminis secundum Alco- holometrum.
1,000	0	0,979	17
0,999	1	0,978	18
0,997	2	0,977	19
0,996	3	0,976	20
0,994	4	0,975	21
0,993	5	0,974	22
0,992	6	0,973	23
0,990	7	0,972	24
0,989	8	0,971	25
0,988	9	0,970	26
0,987	10	0,969	27
0,986	11	0,968	28
0,984	12	0,967	29
0,983	13	0,966	30
0,982	14	0,965	31
0,981	15	0,964	32
0,980	16	0,963	33

Densitas Liquoris alcoholici.	Partes centesimae voluminis secundum Alco- holometrum.	Densitas Liquoris alcoholici.	Partes centesimae voluminis secundum Alco- holometrum.
0,962	34	0,924	56
0,960	35	0,922	57
0,959	36	0,920	58
0,957	37	0,918	59
0,956	38	0,915	60
0,954	39	0,913	61
0,953	40	0,911	62
0,951	41	0,909	63
0,949	42	0,906	64
0,948	43	0,904	65
0,946	44	0,902	66
0,945	45	0,899	67
0,943	46	0,896	68
0,941	47	0,893	69
0,940	48	0,891	70
0,938	49	0,888	71
0,936	50	0,886	72
0,934	51	0,884	73
0,932	52	0,881	74
0,930	53	0,879	75
0,928	54	0,876	76
0,926	55	0,874	77

Densitas Liquoris alcoholici.	Partes centesimae voluminis secundum Alco- holometrum.	Densitas Liquoris alcoholici.	Partes centesimae voluminis secundum Alco- holometrum.
0,871	78	0,810	97
0,868	79	0,805	98
0,865	80	0,800	99
0,863	81	0,795	100
0,860	82		
0,857	83		
0,854	84		
0,851	85		
0,848	86		
0,845	87		
0,842	88		
0,838	89		
0,835	90		
0,832	91		
0,829	92		
0,826	93		
0,822	94		
0,818	95		
0,814	96		

Tabula, in qua Scalae Thermometrorum
Fahrenheitii, Reaumurii et Celsii com-
parantur.

THERMOMETRUM.			THERMOMETRUM.		
Fahrenheit.	Reaumur.	Celsii	Fahrenheit.	Reaumur.	Celsii
+ 212	+ 80	+ 100	+ 196	+ 72,89	+ 91,11
211	79,56	99,44	195	72,44	90,55
210	79,11	98,89	194	72	90
209	78,67	98,33	193	71,56	89,44
208	78,22	97,78	192	71,11	88,89
207	77,78	97,22	191	70,67	88,33
206	77,33	96,67	190	70,22	87,78
205	76,89	96,11	189	69,78	87,22
204	76,44	95,55	188	69,33	86,67
203	76	95	187	68,89	86,11
202	75,56	94,44	186	68,44	85,55
201	75,11	93,89	185	68	85
200	74,67	93,33	184	67,56	84,44
199	74,22	92,78	183	67,11	83,89
198	73,78	92,22	182	66,67	83,33
197	73,33	91,67	181	66,22	82,78

THERMOMETRUM.			THERMOMETRUM.		
Fahrenheit.	Reaumur.	Celsii	Fahrenheit.	Reaumur.	Celsii
+ 180	+ 65,78	+ 82,22	+ 161	+ 57,33	+ 71,67
179	65,33	81,67	160	56,89	71,11
178	64,89	81,11	159	56,44	70,55
177	64,44	80,55	158	56	70
176	64	80	157	55,56	69,44
175	63,56	79,44	156	55,11	68,89
174	63,11	78,89	155	54,67	68,33
173	62,67	78,33	154	54,22	67,71
172	62,22	77,78	153	53,78	67,22
171	61,78	77,22	152	53,33	66,67
170	61,33	76,67	151	52,89	66,11
169	60,89	76,11	150	52,44	65,55
168	60,44	75,55	149	52	65
167	60	75	148	51,56	64,44
166	59,56	74,44	147	51,11	63,89
165	59,11	73,89	146	50,67	63,33
164	58,67	73,33	145	50,22	62,78
163	58,22	72,78	144	49,78	62,22
162	57,78	72,22	143	49,33	61,67


THERMOMETRUM.			THERMOMETRUM.		
Fahrenh.	Reaumur.	Celsii	Fahrenh.	Reaumur.	Celsii
+ 142	+ 48,89	+ 61,11	+ 123	+ 40,44	+ 50,55
141	48,44	60,55	122	40	50
140	48	60	121	39,56	49,44
139	47,56	59,44	120	39,11	48,89
138	47,11	58,89	119	38,67	48,33
137	46,67	58,33	118	38,22	47,78
136	46,22	57,78	117	37,78	47,22
135	45,78	57,22	116	37,33	46,67
134	45,33	56,67	115	36,89	46,11
133	44,89	56,11	114	36,44	45,55
132	44,44	55,55	113	36	45
131	44	55	112	35,56	44,44
130	43,56	54,44	111	35,11	43,89
129	43,11	53,89	110	34,67	43,33
128	42,67	53,33	109	34,22	42,78
127	42,22	52,78	108	33,78	42,22
126	41,78	52,22	107	33,33	41,67
125	41,33	51,67	106	32,89	41,11
124	40,89	51,11	105	32,44	40,55

THERMOMETRUM.			THERMOMETRUM.		
Fahrenh.	Reaumur.	Celsii	Fahrenh.	Reaumur.	Celsii
+ 104	+ 32	+ 40	+ 85	+ 23,56	+ 29,44
103	31,56	39,44	84	23,11	28,89
102	31,11	38,89	83	22,67	28,33
101	30,67	38,33	82	22,22	27,78
100	30,22	37,78	81	21,78	27,22
99	29,78	37,22	80	21,33	26,67
98	29,33	36,67	79	20,89	26,11
97	28,89	36,11	78	20,44	25,55
96	28,44	35,55	77	20	25
95	28	35	76	19,56	24,44
94	27,56	34,44	75	19,11	23,89
93	27,11	33,89	74	18,67	23,33
92	26,67	33,33	73	18,22	22,78
91	26,22	32,78	72	17,78	22,22
90	25,78	32,22	71	17,33	21,67
89	25,33	31,67	70	16,89	21,11
88	24,89	31,11	69	16,44	20,55
87	24,44	30,55	68	16	20
86	24	30	67	15,56	19,44

THERMOMETRUM.			THERMOMETRUM.		
Fahrenh.	Reaumur.	Celsii	Fahrenh.	Reaumur.	Celsii
+ 66	+ 15,11	+ 18,89	+ 47	+ 6,67	+ 8,33
65	14,67	18,33	46	6,22	7,78
64	14,22	17,78	45	5,78	7,22
63	13,78	17,22	44	5,33	6,67
62	13,33	16,67	43	4,89	6,11
61	12,89	16,11	42	4,44	5,55
60	12,44	15,55	41	4	5
59	12	15	40	3,56	4,44
58	11,56	14,44	39	3,11	3,89
57	11,11	13,89	38	2,67	3,33
56	10,67	13,33	37	2,22	2,78
55	10,22	12,78	36	1,78	2,22
54	9,78	12,22	35	1,33	1,67
53	9,33	11,67	34	0,89	1,11
52	8,89	11,11	33	0,44	0,55
51	8,44	10,55	32	0	0
50	8	10,78	— 31	— 0,44	— 0,55
49	7,56	9,44	30	0,89	1,11
48	7,11	8,89	29	1,33	1,67

THERMOMETRUM.			THERMOMETRUM.		
Fahrenh.	Reaumur.	Celsii	Fahrenh.	Reaumur.	Celsii
— 28	— 1,78	— 2,22	— 9	— 10,22	— 12,78
27	2,22	2,78	8	10,67	13,33
26	2,67	3,33	7	11,11	13,89
25	3,11	3,89	6	11,56	14,44
24	3,56	4,44	5	12	15
23	4	5	4	12,44	15,55
22	4,44	5,55	3	12,89	16,11
21	4,89	6,11	2	13,33	16,67
20	5,33	6,67	1	13,78	17,22
19	5,78	7,22	0	14,22	17,78
18	6,22	7,78	1	14,67	18,33
17	6,67	8,33	2	15,11	18,89
16	7,11	8,89	3	15,56	19,44
15	7,56	9,44	4	16	20
14	8	10	5	16,44	20,55
13	8,44	10,55	6	16,89	21,11
12	8,89	11,11	7	17,33	21,67
11	9,33	11,67	8	17,78	22,22
10	9,78	12,22	9	18,22	22,78

THERMOMETRUM.			THERMOMETRUM.		
Fahrenh.	Reaumur.	Celsii	Fahrenh.	Reaumur.	Celsii
— 10	— 18,67	— 23,33	— 29	— 27,11	— 33,89
11	19,11	23,89	30	27,56	34,44
12	19,56	24,44	31	28	35
13	20	25	32	28,44	35,55
14	20,44	25,55	33	28,89	36,11
15	20,89	26,11	34	29,33	36,67
16	21,33	26,67	35	29,78	37,22
17	21,78	27,22	36	30,22	37,78
18	22,22	27,78	37	30,67	38,33
19	22,67	28,33	38	31,11	38,89
20	23,11	28,89	39	31,56	39,44
21	23,56	29,44	40	32	40
22	24	30			
23	24,44	30,55			
24	24,89	31,11			
25	25,33	31,67			
26	25,78	32,22			
27	26,22	32,78			
28	26,67	33,33			



INDEX.

<p>Acaciae L. species Arabicae . . . 156</p> <p>Acetas aethylicus. 348</p> <p> „ ammoniae liquidum . . . 318</p> <p> „ ammonicus liquidus . . . 318</p> <p> „ chinicus 330</p> <p> „ chinini. „</p> <p> „ kalicus. 316</p> <p> „ „ liquidus. 317</p> <p> „ morphicus. 333</p> <p> „ morphini. „</p> <p> „ natricus 317</p> <p> „ plumbi. 47</p> <p> „ plumbicus cum aqua. . . „</p> <p> „ „ liquidus . . . 319</p> <p> „ „ tribasicus. . . „</p> <p> „ potassae 316</p> <p> „ „ liquidum. 317</p> <p> „ sodae „</p> <p> „ strychnicus 335</p> <p> „ strychnini. „</p> <p>Acetum antisepticum 336</p> <p> „ aromaticum. „</p> <p> „ colchici „</p> <p> „ destillatum 309</p> <p> „ glaciale 308</p> <p> „ plumbi 319</p> <p> „ „ concentratum . . . „</p> <p> „ lithargyri „</p> <p> „ radicale 308</p> <p> „ saturninum 319</p>	<p>Acetum scillae. 365</p> <p> „ scilliticum „</p> <p> „ Westendorffii 308</p> <p>Acida organica 307</p> <p>Acidum aceticum. 159</p> <p> „ „ concentratum . 308</p> <p> „ „ dilutum 309</p> <p> „ acetosum „</p> <p> „ arsenicosum. 22</p> <p> „ benzoës 312</p> <p> „ benzoicum „</p> <p> „ boracicum. 202</p> <p> „ boricum „</p> <p> „ borussicum 307</p> <p> „ coerulei berolinensis . . „</p> <p> „ ehloro-nitrosum. 206</p> <p> „ hydrochloricum. 204</p> <p> „ „</p> <p> „ erudum aut fumans . . . 23</p> <p> „ hydrochloricum dilutum. 205</p> <p> „ „ venale 23</p> <p> „ hydrocyanicum. 307</p> <p> „ hydrosulphuricum aqua</p> <p> solutum 203</p> <p> „ -iodo-hydrargyricum . . . 243</p> <p> „ lignicum 159</p> <p> „ muriaticum 23. 204</p> <p> „ „ dilutum 205</p> <p> „ nitricum 199</p> <p> „ „ crudum. 21</p>
------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------	--------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------

Acidum nitricum dilutum . . .	200	Aethyops martialis	192
" " venale	21	" mercurialis	209
" nitroso-muriaticum . . .	206	" mineralis	"
" phosphori	201	Agnus scythicus	53
" phosphoricum	"	Agropyrum repens Pal.	54
" prussicum	307	Album eeti	168
" pyro-lignosum rectificat.	159	Alcali minerale	42. 286
" pyro-xylicum	"	" " phosphoratum. . .	276
" suceinicum	314	" " saturatum	288
" sulphuricum.	20	" vegetabile	41
" " anglicum.	"	" " crystallisatum . . .	284
" " commune.	"	" volatile conereturum . . .	289
" " dilutum	199	Alcohol	343
" " purum.	198	" absolutus.	"
" tannicum.	315	" cum aqua.	"
" tartari	310	" sulphuricus acidus. . . .	346
" tartaricum	"	Aloë	58
" tartarosum	"	" spicata Thunb.	"
" valerianicum.	313	Alpinia cardamomum Roxb. . . .	63
" vitrioli.	20	" galanga Sw.?	64
Aconitum Napellus L.	120	Althaea officinalis L.	128
Acorus calamus L.	64	Alumen calcinatum	256
Adipocera cetosa.	168	" crudum	38
Aes.	10	" spongiosum	256
Aether	344	" ustum.	"
" aceticus.	348	Ambra alba.	168
" muriaticus alcoholicus. .	349	" flava	158
" nitricus	347	Ammonia liquida.	189
" sulphuricus	344	Ammoniacum muriaticum mar-	
" " alcoholicus.	345	tatum.	228
" phosphoratus.	377	Ammonium carbonicum.	289
Aetheres.	344	" " pyro-	
Aethyops antimonalis Huxhami.	215	oleosum	352
" antimoniato - mercuri-		Ammonium muriaticum.	27
alis	"		

Ammonium muriaticum depu- ratum	218	Aqua depurata	186
Ammonium sesquicarbonicum	289	„ destillata	„
Amomum repens L.	63	„ ex amygdalino parata	341
„ zingiber L.	„	„ foeniculi	417
Amygdalinum	339	„ florum aurantiorum	„
„ cum emulsione	341	„ fortis	21
Amyris elemifera L.	139	„ hepatica	203
„ Plumierii de Cand.	„	„ hydrosulphurata	„
Andira retusa var. Surinamen- sis de Cand.	154	„ hydrothionica	„
Anethum Foeniculum L.	114	„ lauro-cerasi	416
„ graveolens L.	117	„ menthae crispae	„
Angelica archangelica L.	115	„ „ piperitidis	„
Anima rhei	364	„ regia	206
Anisum vulgare Gärtn.	113	„ rosarum	417
Anthemis nobilis L.	81	„ vulneraria	420
Antimonium bisulphuratum praeci- pitatum	213	Arbutus Uva ursi L.	111
Antimonium chloratum	224	Arcanum duplicatum	31. 251
„ crudum	21	Archangelia officinalis Hoffm.	115
„ et calcium sulphu- ratum	298	Arctium Lappa L.	88
„ muriaticum	224	Arctostaphylos officinalis Wimm. et Grab.	111
„ oxydatum	196	Areca catechu L.	65
„ oxydulatum purum	„	Argentum	12
„ sulphuratum	210	„ cupellatum	„
„ „ nigrum	24	„ foliatum	13
„ „ praeci- pitatum	211	„ nitricum	267
Apium petroselinum L.	112	„ „ fusum	269
Aqua calcis	190	„ vivum	11
„ cinnamomi	417	Aristolochia serpentaria L.	79
„ corticum aurantiorum	„	Arnica montana L.	85
		Arsenicum album	22
		Arseniis kalicus solutus	292
		Arseniites	„
		Artemisia absinthium	84

Artemisia contra Vahl	82	Baryta nativa	34
" pauciflora Steehm	"	" sulphurica	"
" Vahliaana Kostel.	"	Bases vegetabiles seu clementa	
" vulgaris L.	84	plantarum alealoidea.	299
Asa duleis	111	Biboras natricus eum aqua	45
Asellus major Will.	166	Biearbonas kalicus eum aqua.	284
" striatus "	"	" natricus.	288
Aspidium Filix mas Sw.	52	" potassae.	284
Astacus fluviatilis Fabr.	164	" sodae.	288
Astragalus Creticus L.	150	Biehloretum hydrargyri.	234
Atropa Belladonna L.	108	Bihydrothionas ammoniae.	296
Auro-ehloras ehloro-natrieus.	239	Bioxydum manganicum nativum.	16
Aurum	13	Bismuthum.	10
" ehlorato-natronatum	239	" nitricum praecipita-	
" ehloratum.	237	tum.	274
" foliatum	14	" oxydatum subnitri-	
" muriatieum	237	cum	"
" " natronatum.	239	" subnitricum praecipiti-	
" oxydatum muriatieum	237	tatum	"
Axungia porei.	161	Bisulphuretum hydrargyri.	25
" porcina depurata.	422	" " nigrum	209
Baceae juniperi	66	Bitartras kalicus	321
" lauri	76	" " cum aqua	46
" sambuci	97	" potassae	321
Balsamodendron Kataf Kunth	138	Borax.	45
" Myrrha Ehrenb.	"	" tartarisatus.	323
Balsamum areaci	428	Bos taurus L.	169
" brasiliense	154	Boswellia serrata Roxb.	137
" eopaivae	"	" thurifera Roxb.	"
" nigrum indicum	151	Bulbus eolehici recens.	57
" opodeldoeh	337	Butyrum cacao	"
" peruvianum	151	Cadmium	7
Barosma erenatum Kunze.	144	" sulphuricum.	262
Baryta muriatiea.	219	Calcaria earbonica depurata	291

Caleavia caustica.	190	Carbo ossium	177
" chlorata.	280	Carbo vegetabilis.	159
" chlorosa.	"	Carbonas ammoniae.	289
" hypo-chlorosa.	"	" " liquidum	221
" muriatica	221	" " pyro-animale	
" oxymuriatica ⁷	280	liquidum	353
" sulphurata	207	" ammonicus pyro-ani-	
" sulphurato-stibiata	298	malis	352
" usta	190	" ammonicus pyro-ani-	
Calcium chloratum	221	malis liquidus	353
" oxydatum	190	" calcicus	43
" sulphuratum	207	" " depuratus	291
" sulphurato-stibiatum.	298	" calcis " " "	
Calendula officinalis L.	87	" " " " " " " "	
Calomelas	230	" " " " " " " "	
Calx antimonii cum sulphure.	298	" " " " " " " "	
" carbonica	43	" " " " " " " "	
" salita	221	" " " " " " " "	
" venalis	15	" " " " " " " "	
" vitrioli alba.	265	" " " " " " " "	
" viva	15. 190	" " " " " " " "	
Camphora	75	" " " " " " " "	
" officinarum C. Bauh.	"	" " " " " " " "	
" raffinata	"	" " " " " " " "	
Cancer Astacus L.	164	" " " " " " " "	
Cancerorum lapides	"	" " " " " " " "	
" oculi	"	" " " " " " " "	
Canella alba Sw. et Murr.	131	" " " " " " " "	
Cannabis sativa L.	"	" " " " " " " "	
Cantharides.	163	" " " " " " " "	
Cantharis officinalis Geoffr.	"	" " " " " " " "	
Caphura.	75	" " " " " " " "	
Capita' Papaveris albi	122	" " " " " " " "	
Carbo animalis	177	" " " " " " " "	
" ligni.	159. 181	" " " " " " " "	
		Carum carvi L.	112
		Caryophyllus aromaticus L.	145
		Cassia fistula L.	153
		" lanceolata Forsk. Del.	152
		" obovata Collad.	"
		Castoreum muscoviticum	175
		" russicum.	"
		" sibiricum	"
		Castor Fiber. L.	"
		Catechu	65
		Causticum antimoniale.	224
		" lunare.	269

Centaurea benedicta L.	87	Chloretum calcicum cum aqua	221
Cephaëlis Ipecacuanha Willd.	91	„ calcis	280
Cera alba	161	„ ferricum	225
„ flava	„	„ „ et chloretum	
Cerevisia antiscorbutica Syden-		ammonicum	228
hami	419	„ hydrargyri	230
Cerussa	44	„ hydrargyricum	234
Cetaceum	168	„ „ et ami-	
Cetraria Islandica Ach.	51	didum hydrargyricum	236
Chelidonium majus L.	121	„ hydrargyrosom	230
China americana	95	„ „ ope va-	
„ calisaya	92	poris aquae praepara-	
„ flava dura	95	tum	232
„ „ fibrosa	„	„ natri	278
„ griseo-fusca	93	„ natricum	28
„ huanuco	„	„ „ decrepitatum	217
„ loxa	94	„ „ depuratum	216
„ regia	92	„ „ exsiccatum	217
„ rubra	95	„ natrii	216
Chinina pura	299	„ zincicum cum aqua	229
Chininum	„	Chloruretum aluminii	223
Chloroetheridum	350	„ auricum acidum	237
Chloreta	27. 216	„ auri et natrii	239
Chloreti ferrici solutio	227	„ natrii	28
„ stibici „	224	„ sodae	278
Chloretum aluminicum cum aqua	223	Chloridum auri	237
„ ammonicum	27	„ ferri	225
„ „ depuratum	218	„ hydrargyri	234
„ ammonii	27. „	Chloris calcicus	280
„ aurico-natricum	239	Chloroformum	350
„ auricum acidum	237	Chloroformylum	„
„ baryi	219	Chondrus crispus Lyngb.	50
„ baryticum cum aqua	„	Cinchona angustifolia Ruiz.	92
„ calcii	221	„ Condaminea Humb. et	
„ calcicum	„	Bonpl.	94

Cinchona lancifolia Mut.	92	Cortex cum ligno sassafras	78
„ serobiculata Humb.	94	„ geoffroyae surinamensis	154
Cinchonina pura	300	„ interior sambuci	97
Cinchoninum	„	„ mezerei	78
Cinnabaris nativa.	25	„ nucum juglandis exterior	
„ artificialis	„	viridis	136
Cinnamomum Camphora Nees	75	„ peruvianus	92
„ Zeylanicum „	74	„ „ flavus	95
Citrullus Colocynthis Schrad.	127	„ „ fuscus	93. 94
Citrus aurantium L.	130	„ „ griseus	93
„ medica Risso.	131	„ „ regius	92
Clavus secalinus	55	„ „ ruber	95
Cnicus benedictus Gärt.	87	„ quercus	70
Cocculus palmatus DC.	119	„ quassiae amarae	141
Coccus cacti	161	„ radiceis granatorum	147
Cochlearia officinalis L.	125	„ salicis albae.	72
Coeruleum berlinense	29. 249	„ sassafras	78
„ parisiense	„ „	„ simarubae	140
Colchicum autumnale L.	57	Cortices aurantium	130
Colocynthides	127	Cremer tartari.	46
Colophonium	68	„ „ depuratus	321
Conium maculatum	118	„ „ solubilis	„
Convolvulus purga Wender	„	Creta alba	43
„ scammonia L.	„	„ praeparata.	291
Conserva rosarum rubrarum.	399	Crocus	60
Copaiferae L. plurimae species		„ martis.	193
Brasilienses	154	„ sativus L.	60
Coriandrum sativum L.	119	Croton Eluteria Swartz.	135
Cornu cervi.	161	„ Tigilium L.	„
Cortex angusturae verae	143	Crystalli tartari	46
„ canellae albae	131	Cubeba officinarum Miq.	69
„ cascarillae	135	Cucumis Colocynthis L.	127
„ cinnamomi Javanici	74	Cuprum	10
„ „ Zeylanici.	„	„ ammoniacum	259
„ citri exterior	131	„ ammoniatum	„

Cuprum sulphurico-ammoniatum	259	Deuto-sulphuretum antimonii.	213
" sulphuricum	38. 257	Digitalis purpurea L.	110
" " oxydatum	"	Diosma erenata L.	144
" vitriolatum	"	Dorema Armeniaecum Don.	116
Cyaneta	29. 246		
Cyanetum ferrico-ferrosum	249	Ebur sive eornu cervi ustum.	177
" ferricum venale.	29	Electrum.	158
" hydrargyricum	250	Electuarium	400
" kalico-ferrosum.	30	" lenitivum.	"
" kalieum	246	" sennae compositum	"
" kalii	"	" cum pulpis	"
" zineicum	248	Elemi.	139
Cyanidum ferri	29	" occidentale	"
" hydrargyri	250	Elettaria cardamomum White	63
" kalii	246	Elixir acidum aromaticum.	377
Cyanuretum ferri cum cyaneto		" " Halleri	346
ferri	29	" guajacii volatile	376
Cyanuretum hydrargyri	250	" proprietatis	"
" kalii	246	" viscerale Hoffmanni	369
" " et ferri	30	" vitrioli Mynsiehti	377
" potassii	246	Emulsio	362
" zinei	248	" amygdalina	"
Cydonia vulgaris Pers.	147	Emplastra	430
		Emplastrum adhaesivum	431
Daphne mezereum L.	78	" aromaticum	436
Datura Stramonium L.	107	" asae foetidae.	435
Decoctum album Sydenhami.	365	" eantharidum	436
" cornu eervi compositum.	"	" ecephalicum	435
" corticis peruviani fuscii	364	" eicutae.	433
" " " rubri	"	" eonii	"
Deuto-chloruretum hydrargyri	234	" defensivum coeruleum	434
" cyanuretum ferri.	249	" de galbano crocatum	432
" " " hydratum	"	" diaehylon cum gum.	"
" ioduretum hydrargyri	243	" diapalmae.	431

Emplastrum foetidum	435	Extractum calendulae	384
„ gummosum	432	„ cardui benedicti	387
„ hydrargyri	434	„ cascarillae	369
„ hyoseyami	433	„ centaurei minoris	385
„ mercuriale	434	„ chamomillae	387
„ opiatum	435	„ chelidonii	385
„ oxydi cobaltici	434	„ conii seu cicutae	381. 389
„ „ plumbici se-		„ corticis peruviani fus-	
mivitrei	431	ci. . . .	382. 398
„ plumbi	„	„ corticis peruviani fus-	
„ resinosum	„	ci durum	395
„ de saponc. . . .	433	„ corticis peruviani ru-	
„ saponatum	„	bri	„
„ stomachicum	436	„ corticis peruviani ru-	
„ vesicatorium	„	bri duri	„
Erythraea centaureum Pers. . .	99	„ daturae stram. . . .	381. 388
Extracta.	378	„ dulcamarae	385
„ coctione in aqua pluviali		„ filicis maris	391
paranda	392	„ fumariae	384
„ expressione paranda. . . .	380	„ gentianae	386
„ maceratione aetherca		„ gcoffroyae	394
paranda	391	„ graminis	392
„ macratione frigida in		„ helenii	386
aqua pluviali paranda	382	„ hyoseyami	381. 389
„ paranda digestionem alco-		„ lactucae virosae	„
holica calida	389	„ marrubii	384
„ paranda infusione aquosa		„ myrrhae	388
calida	386	„ nucis vomicae	389
„ paranda macratione al-		„ opii	383
coholica frigida	388	„ quassiae	393
Extractum absinthii	384	„ ratanhiaae	395
„ aconiti	381. 389	„ rhei	382
„ aloës	387	„ rhois toxicodendri	381
„ bardanac.	393	„ salicis	394
„ belladonnae	381. 389	„ salsaparillae	390

Extractum saturni	319	Flores althaeae	128
„ scillae	390	„ anthos	102
„ seminis santonici	391	„ arnicae	85
„ taraxaci	385	„ aurantiorum	130
„ trifolii fibrini	383	„ benzoës	312
Fabae pichurim majores	77	„ calendulae	87
Farina lini	48	„ chamomillae romanae	81
Fel bovinum	396	„ „ vulgaris	82
„ tauri	169	„ lavandulae	100
„ taurinum inspissatum	396	„ lavendulae	„
Ferro-cyanas potassae	30	„ martiales	228
Ferro-cyanidum ferri	29. 249	„ papaveris rhoeados	122
Ferrum borussicum	„ „	„ rosarum pallidarum	148
„ hydrocyanicum	29	„ rosarum rubrarum	„
„ „ oxydo-		„ rorismarini	102
„ oxydulatum	249	„ salis ammoniaci	218
„ hydroiodicum oxydula-		„ „ „ martiales	228
„ tum	245	„ „ „ volatiles	289
„ iodatum	„	„ sambuci	97
„ muriaticum	225	„ sulphuris puri	188
„ „ oxydatum	„	„ sulphuris loti	„
„ oxydatum fuscum	193	„ „ venales	2
„ „ hydratum	„	„ tanacetii	85
„ oxydulatum	192	„ tiliae	129
„ „ lacticum	326	„ violarum	126
„ pulverisatum	5. 182	„ zinci	194
„ sesquichloratum	225	Foeniculum vulgare Gärtn.	114
„ sulphuratum	208	Folia aurantiorum	130
„ sulphuricum	35	„ diosmae erenatae	144
„ „ oxydulatum	263	„ „ s. bucco	„
„ vitriolatum exsiccatum	265	„ „ s. buchii	„
Ferula asa foetida Linn.	115	„ lauri	76
Fistula cassiae	153	„ lauro-cerasi	149
		„ recentia juglandis	136
		„ rhois toxicodendri	137

Folia sennae alexandrinae.	152	Guajacum	142
„ uvae ursi	111	„ officinale L.	„
Fraxinus Ornus L.	97	Gummi aloë	58
Fruetus cassiae fistulae.	153	„ arabieum.	156
„ eitri recentes	131	„ benzoës	111
„ eolocynthidis	127	„ elemi	139
„ mori recentes	48	„ galbanum.	117
„ prunorum recentes	„	„ myrrhae	138
„ rubi idaei „	„	„ olibanum.	137
„ tamarindi	152	„ tragaeantha	150
Frutex tartareus	53	Gummi-resina ammoniacum	116
Fucus crispus.	50	„ „ de-	
„ officinalis L.	125	„ purata	358
Gadus Callarias L.	166	„ asae foetidae	115
Galbanum officinale Don.	117	„ „ „ de-	
Galeopsis grandiflora Ehrh.	105	„ purata	358
„ oehroleuca Lam.	„	„ galbanum depu-	
Galipea cusparia St. Hil?	143	„ rata	„
„ officinalis Hane.	„	„ myrrha	138
Gallae	70	„ seammoniae	106
„ quereinae	„	Gummi-resinae depuratae.	358
Gas ammoniacum aqua solutum.	189	Guttae febrifugae Fowleri	292
Gelatina cornu cervi	402	Hepar antimonii calcareum	298
„ lichenis earragheniei	401	„ „ eum sulphure	
„ „ islandiei	400	„ Hoffmanni	„
„ „ principioama-		„ sulphuris calcareum	207
„ „ principioama-		„ „ salinum	206
„ „ principioama-		Herba absinthii	84
„ „ principioama-		„ aeoniti napelli	120
„ „ principioama-		„ althaeae	128
„ „ principioama-		„ anethi	117
„ „ principioama-		„ anthos	102
„ „ principioama-		„ belladonnae	108
„ „ principioama-		„ calendulae.	87
Gemmae populi	72		
Gentiana lutea L.	98		
„ purpurea L.?	„		
Geoffroya Surinamensis Bondt	154		
Geum urbanum L.	148		
Glycyrrhiza glabra L.	150		
Gratiola officinalis L.	110		

Herba cardui beuedicti	„	Hirudines Pharm.	162
„ centaurii minoris	99	Hirudo medicinalis L.	„
„ chelidonii majoris	121	Hydrargyrum	11
„ cicutae	118	„ ammoniato-muria-	
„ cochleariae recens	125	ticum	236
„ digitalis purpureae	110	„ ammoniato-muria-	
„ fumariae	125	ticum oxydatum	
„ galcopsidis	105	praecipitatum	„
„ gratiolae	110	„ ammoniato - nitric.	
„ hyoscyami	109	oxydulatum basi-	
„ jaceae	126	cum	271
„ lactucae scariolae	88	„ bichloratum	234
„ „ sylvestris	„	„ bijodatum	243
„ „ virosae	„	„ bisulphuratum ru-	
„ majoranae	103	brum	25
„ malvae	128	„ borussicum	250
„ marrubii albi	104	„ chloratum	230
„ melissae citratae	102	„ cyanatum	250
„ menthae crispae	101	„ hydroiodicum oxy-	
„ „ piperitae	100	dulatum	242
„ „ piperitidis	„	„ iodatum	„
„ origani	103	„ muriaticum corro-	
„ „ vulgaris	„	sivum	234
„ polygalae amarae	132	„ muriaticum mite	230
„ recens taraxaci	90	„ nitricum oxydula-	
„ rorismarini	102	tum	270
„ rntae	141	„ oxydatum rubrum	195
„ sabinae	67	„ oxydulatum nigrum	271
„ salviae	101	„ „ sibiato-	
„ saponariae officinalis	127	sulphuratum	215
„ stramonii	107	„ praecipitat. album	236
„ thymi	104	„ periodatum	243
„ trifolii aquatici	99	„ sibiato - sulphura-	
„ „ fibrini	„	tum	215
„ violae tricoloris	126	„ subiodatum	242

Hydrargyrum sulphuratum ni-	Hydro-sulphuretum stibiosum.	211
grum	Hyoseyamus niger L.	109
Hydras bi-ferricus	Hyperoxydum manganicum	16
" kalicus	Hypochloris calcieus.	280
Hydro-aeida	" natrieus cum aqua	278
" acidum	Hypochlorites	"
Hydrochloras ammoniae	Ichthyocola	161
" ammonicus cum	Icica Icicariba de Cand.	139
oxydohydrargy-	Infusum hyoseyami oleosum	378
rieo.	" ipecacuanhae vinosum.	367
" ammonieus cum ses-	" rhei aquosum	364
quichloreto ferri	Inula Helenium L.	80
aurieo-natrieus.	Iodeta	240
" baryticus.	Iodetum ferroso-ferricum	245
" chinieus	" hydrargyricum	243
" morphicus	" hydrargyrosum	242
" sodae	" kalieum	240
" strychnicus	" kalii	"
" zinci	Iodidum hydrargyri	243
Hydrochloras ferricus	Iodina	4
Hydrocyanas ferroso-ferrieus.	Iodium.	"
" oxydi zinci	Iodum	"
" seu prussias kalicus	Iodum	"
" zinci	Iodum	"
Hydroiodas kalieus	Ioduretum ferri	245
" oxyduli ferri	" hydrargyri	242
" potassac.	" kalii	240
Hydro-sulphas ammoniac	Ipecacuanha fusca et grisea sive	
Hydro-sulphuretum ammoniae	annulata	91
" ammonii li-	Ipomaea purga Hayne	106
quidum.		
" oxyduli stibii	Juglans regia L.	"
" rubrum "	Juniperus communis L.	"
sulphurati. "	" sabina L.	67
" stibii	Jupiter	8

Kali aceticum	316	Lapis haematites	18
„ aluminoso-sulphuricum	38. 256	„ infernalis	269
„ arsenicosum solutum . . .	292	Lappa major Gärtn.	88
„ antimoniato-tartaricum . .	324	„ minor DC.	„
„ bicarbonicum	284	„ tomentosa Lam.	„
„ bitartaricum	46	Lastrea Filix mas Presl. . . .	52
„ borussicum	30. 246	Laudanum liquidum Sydenhami	369
„ carbonicum	41. 283	Laurus Benzoin Houtt. . . .	111
„ „ acidulum	284	„ Camphora L.	75
„ „ aëratum	„	„ nobilis L.	76
„ causticum	187	Lavandula	100
„ ferro-hydrocyanicum . . .	30	„ angustifolia L.	„
„ hydrocyanicum	246	„ Spica	„
„ hydroiodicum	240	„ vera DC.	„
„ nitricum	40. 266	Leontodon Taraxacum L. . . .	90
„ subcarbonicum	283	Lichen carraghenicus	50
„ sulphuricum	31. 252	„ islandicus	51
„ sulphuratum	206	Lignum guaiaci	142
„ tartaricum	320	„ quassiae amarae	141
Kalium ferro-cyanatum . . .	30	Limatura ferri	5. 182
„ iodatum	240	„ martis	182
„ trisulphuratum	206	Linimentum ammoniac	337
Kermes minerale	211	„ camphorae compo-	
Klaprothium	7	„ situm	„
Krameria triandra Ruiz. et Pav.	133	„ saponato-camphora-	
		„ tum	„
Lac sulphuris	179	„ volatile	„
Lactas ferrosus	326	Linum usitatissimum	144
„ oxyduli ferri	„	Liquor acetatis ammoniae . . .	318
„ protoxydi	„	„ ammoniaci carbonici	
Lactucarium	89	„ aquosus	291
Lactuca sativa L.	„	„ ammonii acetici	318
„ scariola L.	88	„ „ hydrothionici	296
Lactucac succus inspissatus . .	89	„ „ pyro-oleosi	353
Lapis causticus	187	„ „ sulphurati	296

Liquor anodynus mineralis Hoffm.	345	Mammalia	175
„ cornu cervi succinatus	353	„ bisulca	171
„ ferri muriatici oxydati	227	„ cetacea	168
„ hydrargyri nitrici oxydati	273	Manna	97
„ kali acetici	317	Marcasita	10
„ „ arsenicosi	292	Marrhubium vulgare L.	104
„ „ caustici	188	Mastiche electa	136
„ Labarraquii	278	Materies neutrac.	339
„ nitratis hydrargyrici	273	Matricaria Chamomilla L.	82
„ scsquichloreth ferri	227	Medicamenta ad usum externum	422
„ sodae chlorisatae	278	„ cum saccharo con-	
„ stibii muriatici	224	fecta	398
„ stypticus	227	„ destillatione paranda	411
„ „ Looffii	„	„ operationib. mere me-	
„ terrae foliatae tartari	317	chanicis obtinenda	355
Lithocarpus Benzoin Bl.	111	„ pharmaceutica, vul-	
Lithargyrum	19	go Galenica dicta	„
Loxa (china)	94	„ solutione aut perfecta	
Luna	12	aut partiali paranda	361
Lycopodium clavatum L.	53	„ solutione partiali et	
Lytta vesicatoria Fabr.	163	menstrui evaporati-	
		one obtinenda	378
Macis	48	Mel	161
Magisterium bismuthi	274	„ depuratum	409
„ sulphuris	179	„ despumat.	„
Magnesia alba.	43	„ rosarum	410
„ caleinata	191	„ et eum melle confecta	409
„ carbonica	43	Melaleuca cajeputi Roxb.	146
„ nigra	16	„ Leucadendron L.	„
„ sulphurica	33. 255	Melinum.	7
„ usta	191	Melissa officinalis L.	102
„ vitriariorum	16	Meloë vesicatorius L.	163
Mala cydoniorum.	48	Mentha piperita Huds.	100
Manganesium oxydatum nativ.	16	„ sylvestris L. var. crispa	101
Malva rotundifolia L.	128	Menyanthes trifoliata L.	99

Mercurius cosmeticus	236	Murias hydrargyri	234
„ dulcis	230	„ „ dulcis subli-	
„ iodatus flavus	242	„ matus	230
„ „ ruber	243	„ hydrargyri oxydulati. . „	
„ nitratu s	273	„ hydrargyro-ammoniacale	236
„ nitrosus	270. 273	„ morphini	333
„ praecipitatus albus.	236	„ oxydi hydrargyri ammo-	
„ „ ruber.	195	„ niacalis	236
„ solubilis Hahnemanni	271	„ oxydi zinci	229
„ sublimatus corrosivus	234	„ oxyduli hydrargyri	230
„ vivus	11	„ „ stibii liquidus	224
Mori species	71	„ sodae	28
Morphina pura	301	„ „ depuratum	216
Morphinum.	„	„ stibii	224
Moschus moschiferus L.	171	„ strychnini	335
„ optimus	„	Muscae hispanicae	163
„ orientalis	„	Myristica fragrans Thunb.	„
„ Tibetanus	„	Myrospermum pedicellatum Lam.	151
Mucilagines	361	„ peruiferum de	
Mucilago gummi arabici	„	„ Cand.	„
„ „ tragacanthae	„	„ peruiferum L. Fil. „	„
„ seminum cydoniorum	„	Myrrha	138
Murias aluminae	223	Naphtha aceti.	348
„ ammoniae depuratum	218	„ phosphorata	377
„ „ et ferri	228	Natrium chloratum	216
„ auri	237	„ stibiato-sulphuratum	294
„ aurico-natricus.	239	„ sulpho-antimoniatum	„
„ barytae	219	„ sulphurato - hydrothio-	
„ calcis	221	„ nicum antimoniatum. „	
„ chinini	329	„ sulphurato - stibiatum	
„ deutoxydi hydrargyri	234	„ crystallisatum.	„
„ ferri	225	Natrum aceticum.	317
„ „ liquidum.	227	„ antimoniato-sulphuratum	294
„ ferricus	225	„ bicarbonicum	288
„ ferro-ammoniacale.	228		

Natrum boracicum	45	Nitris aethylicus cum alcohole	347
„ carbonicum.	42. 286	Nitrum argenti	267
„ „ acidulum	288	„ depuratum	266
„ chloratum liquidum.	278	„ venale.	40
„ hypochlorosum	„	Nuces moschatae.	48
„ muriaticum.	216	„ vomicae	98
„ oxymuriaticum	278	Nuclei amygdalarum amararum.	48
„ phosphoricum	276	„ „ dulcium	„
„ subcarbonicum	„	Ocotea puchury major Mart.	77
„ sulphuricum	32. 253	Oenanthe Phellandrium Lam.	114
Nectandra puchury N. et M.	77	Olea aetherca	411
Nephrodium Filix mas R. Br.	52	„ pinguia	359
Nitras ammonicus cum oxydo		Oleum absynthii	413
hydrargyroso	271	„ aethereum anisi.	113
„ argenti	267	„ amygdalarum	359
„ „ fusus	269	„ aurantiorum	415
„ argenticus	267	„ cacao	129
„ „ fusus	269	„ cajeputi	146
„ bismuthi	274	„ caryophyllorum	145
„ bismuthicus basicus.	„	„ carvi	414
„ hydrargyri liquidus.	273	„ chamomillae	„
„ hydrargyroso - ammoni-		„ cinnamomi	75
cus basicus.	271	„ citri.	415
„ hydrargyrosus cum aqua	270	„ crotonis tigllii	360
„ kali	266	„ foeniculi	414
„ kalicus	40. „	„ hyoscyami nigri	378
„ oxyduli hydrargyri	270	„ jecoris aselli	166
„ potassae	40	„ juniperi	66
„ „ depuratus	266	„ lauri unguinosum	77
„ protoxydi hydrargyri	270	„ laurinum	„
„ strychnicus.	334	„ lauro-cerasi	413
„ strychnini	„	„ lini	48
Nitrates.	266	„ macidis destillatum	120
Nitratis hydrargyrici solutio acida	273	„ macis	„
„ hydrargyri oxydati solutio	„		

Oleum martis	227	Oxydum aethylicum.	344
„ menthae crispae.	413	„ „ cum alcohole	345
„ „ piperitidis.	„	„ antimonii	196
„ nucum juglandis	360	„ arsenici album	22
„ „ mosch. expres-		„ calcicum purum	190
sum	48	„ „ venale	15
„ olivarum	„	„ cobalticum cum terra	
„ origani	414	silicea	16
„ petrae	157	„ cobalti cum vitro	„
„ ricini	134	„ ferrieum nativum	18
„ rutae	414	„ ferri nativum rubrum	„
„ sabinae.	413	„ ferrosium	192
„ sinapis	414	„ hydrargyricum	195
„ tanacetii	414	„ „ cum	
„ terebinthinae crudum	68	chloreto ammonii	236
„ valerianae.	413	„ hydrargyri rubrum	195
„ vitrioli	20	„ magnesium	191
„ „ purum.	198	„ plumbieum semivitreum	19
Olibanum	137	„ stibicum	196
„ indicum	„	„ stibii hydrosulphuratum	213
Organum majorana L.	103	„ zincicum	194
„ vulgare L.	„	Oxymella	410
Orchis fusca Jacq.	„	Oxymel colchici	411
„ mascula L.	„	„ seillae.	410
„ militaris L.	„	„ scilliticum	„
„ morio L.	„	„ simplex	„
Ossa usta nigra	177	Oxymurias hydrargyri.	234
Opium	123	Oxysales	252
Oxychlorctum hydrargyri ammo-		Oxysulphuretum stibicum.	211
niacale	236	Papaver rhoeas L.	122
„ caleii	280	„ somniferum L.	122. 123
Oxyda	15	Parmelia islandica Spr.	51
Oxydulum hydrargyri salinum	271	Passulae majores.	48

Passulac minores.	48	Proto-nitras ammoniacalis mer-	
Penghawar jambie	53	curialis	271
Peroxydum manganii nativum .	16	Protoioduretum hydrargyri . .	242
Petroleum	157	Protoxydum hydrargyri nitrico-	
Petroselinum sativum Hoffm. .	112	ammoniacale	271
Phosphas natricus cum aqua. .	276	Prunus lauro-cerasus L. . . .	149
„ sodae	„	Prussias ferri	249
Phosphates.	„	„ hydrargyri.	250
Phosphorus depuratus.	180	„ potassae.	246
„ venalis.	2	„ „ et ferri	30
Physeter macrocephalus L. . . .	168	„ zinci	248
Pimpinella anisum L.	113	Pulpa cassiae	359
Pinguedo animalis depurata . .	422	„ prunorum	358
Pinus sylvestris L.	67	„ tamarindorum	359
Piper caudatum	69	Pulveres compositi	355
„ cubeba L. fil.	„	Pulvis aërophorus	357
Pistacia lentiscus L.	136	„ Algarotti	196
Pix liquida et solida.	48	„ antacidus	356
Plumbum	9	„ antispasmodicus.	357
„ aceticum venale	47	„ aromaticus	356
„ oxydatum semivitri-		„ carthusianorum.	211
ficatum	19	„ diatragacanthae.	356
„ subcarbonicum	44	„ Doveri.	357
Pollen lycopodii	53	„ gummosus	356
Polygala amara L.	132	„ hydrargyri et sulphuris	209
„ senega L.	133	„ ipecacuanhae cum opio	357
Polypodium filix mas L.	52	„ lycopodii	53
Poma colocynthidis	127	„ opii compositus.	357
Populus nigra L.	72	„ salinus compositus.	„
Potassa aërata.	284	„ terrestris	356
„ fusa	187	Punica granatum L.	147
„ liquida	188	Pyrites ferri artificialis. . . .	208
Principium scytodepsicum. . . .	315		
Producta destillationis siccae. .	352	Quassia amara L.	141
Proto- et sesqui-cyanuretum ferri	249	„ simaruba Wright.	140

Scilla maritima L.	59	Sevum ovillum	161
„ siccata.	„	„ „ depuratum	422
Secale cereale L.	55	Simaruba amara Hayne \	140
„ cornutum	„	Smaltum	16
Semen anethi	117	Smilax China L.	62
„ anisi	113	„ medica Schlecht	61
„ cannabis	71	„ syphilitica Humb.	60
„ cardamomi minoris	63	Soda	286
„ carvi	112	„ phosphorata	276
„ cataputiae majoris.	134	„ tartarisata	322
„ cinae	82	Sol	13
„ „ levanticum	„	Solanum dulcamara L.	108
„ colchici	57	Solutio aetherea	377
„ contra	82	„ ammoniaci alcoholico-	
„ coriandri	119	anisata.	372
„ foeniculi	114	„ ammonii hydrosulphurati	296
„ „ aquatici	„	„ arsenicalis	292
„ lini	144	„ arseniitis kalici composita „	
„ lycopodii	53	„ camphorae alcoholica	371
„ petroselini	112	„ Fowleri	292
„ phellandrii	114	„ hydratis calcici.	190
„ ricini vulgaris	134	„ „ kalici	188
„ sabadillae.	56	„ hypochloritis natrici.	278
„ santonici	82	„ iodii alcoholica.	372
„ sinapeos nigrae	48	„ muriatis ferri composita	227
Semina cacao	129	„ oleosa	378
„ crotonis tiglii	135	„ phosphori aetherea	377
„ cubebae	69	„ plumbi acetici	319
„ cydoniorum	147	„ sesquicarbonat.ammonici	291
„ papaveris albi	122	Solutiones acetosae	365
„ stramonii.	107	„ alcoholicae	371
„ tanacetii	85	„ aquosae	361
Serpentaria virginiana	79	„ vinosae	367
Sesquicarbonas ammonicus	289	Spathum ponderosum	34
Sesquisulphuretum stibii	210	Species aromatica	356

Sperma ceti	168	Spiritus vitrioli	199
Sphaerococcus crispus Ag.	50	Spongia officinalis	161
Spicae lavandulae	100	Stannum	8
" lavendulae	"	" indicum	6
Spiritus ammoniae anisatus	372	" pulverisatum	184
" aromaticus	421	Stibium depuratum	185
" " ammoniacalis	"	" metallicum	"
" carminativus	"	" oxydatum	196
" cinnamomi	418	" sesquichloratum	224
" citri	419	" sulphuratum	24
" cochleariae	"	" " nigrum	210
" " compositus	"	Stigmata croci	60
" cornu cervi	353	Stipites dulcamarae	108
" " " succinatus	"	Strychnina pura	303
" destillatione parati	417	Strychninum	"
" juniperi compositus	420	Strychnos nux vomica L.	98
" lavandulae	419	Styrax benzoin Dryand.	"
" mastiches compositus	420	Subacetas plumbi liquidum	319
" matricalis	"	Subboras sodae	45
" Mindereri	318	Subcarbonas ammoniac.	289
" muriatico-aethereus	349	" " liquidum	291
" nitri	21	" calcis	43
" " dulcis	347	" " depuratum	291
" nitrico-aethereus	"	" magnesiae	43
" rorismarini	418	" natriens	286
" salis ammoniaci anisatus	372	" plumbi	44
" " dulcis	349	" potassae	283
" salis fumans	204	" " venalis	41
" " marini	23	" sodae	286
" " volatilis oleosus	421	" " venalis	42
" sulphurico-aethereus	345	Subchloris calcis	280
" traumaticus	420	" sodae	278
" vini	160	Submuriat. hydrargyri	230
" " camphoratus	371	Subnitras bismuthi	274
" " rectificatissimus	343	" bismuthicus	"
" " rectificatus	344		

Subphosphas sodae	276	Sulphas kalico-aluminicus.	256
Subtartas potassae.	46	„ kalicus.	31. 252
Succinas ammonicus pyro-ani-		„ magnesiae.	33. 255
malis liquidus	353	„ magnescus cum aqua „ „	
Succinum	158	„ morphicus	332
„ marinum.	168	„ morphini	„
Succus catechu	65	„ natricus cum aqua	32. 253
„ aloës inspissatus	58	„ oxydi cadmii	37
Sulphas aethylicus acidus cum		„ „ cupri	38
alcohole	346	„ oxyduli ferri	35. 263
Sulphas aluminae et potassae	38	„ potassae.	31. 252
„ „ „ „ ex-		„ sodae.	32. 253
siccatus	256	„ zinci	36. 260
Sulphas aluminico - kalicus cum		„ zincicus cum aqua „ „	
aqua	38	Sulphates	252
Sulphas barytae	34	Sulphidum hydrargyri amorphum	209
„ baryticus	„	„ hypostibiosum	24. 210
„ bi-ammonico-cupricus	259	„ natrii et antimonii	294
„ bichinicus	327	„ stibicum	213
„ cadmicus cum aqua	37. 262	Sulpho-hydras ammonicus.	296
„ cadmii	„	„ -sales	294
„ chinicus basicus	327	„ -stibias calcicus impurus	298
„ chinini	„	„ - „ natricus cum aqua	294
„ cinchonius basicus	332	Sulphur auratum antimonii	213
„ cinchonini	„	„ depuratum.	178
„ cupri.	257	„ „ lotum	„
„ „ et ammoniae	259	„ factitium	1
„ cuprico-ammonicus ba-		„ in baculis	„
sicus	„	„ lotum	178
„ cupricus cum aqua	38. 257	„ praecipitatum.	179
„ cupro-ammoniacalis.	259	„ stibiatum aurantiacum	213
„ ferri	263	„ „ rubrum	„
„ „ exsiccatus	265	„ sublimatum venale	2
„ ferrosus.	„	„ vulgare	1
„ „ cum aqua	35. 263	Sulphureta	24. 206

Sulphuretum antimonii	210	Summitates absynthii	84
" " praecipitatum	213	Superchloridum formyli	350
Sulphuretum calcicum	207	Supersulphas aluminae et potassae exsiccatas	256
" calcii	"	Supertartras potassae	321
" caleis	"	Symphytum officinale L.	105
" " stibiatum	298	Syrupus althaeae	405
" ferri	208	" corticum aurantiorum	407
" ferrosus	"	" diacodii	409
" hydrargyri	25	" iodeti ferrosi	"
" " nigrum	209	" iodureti ferri	"
" " stibiat.	215	" ipecaacuanhae	406
" hydrargyricum et stibicum	"	" opiatus	408
" hydrargyricum et sulphur	209	" papaveris albi	"
" kalii	206	" " rheados	407
" natrii et stibii	294	" rhei	405
" oxyduli stibii hydrogenatum	213	" rubi idaci	407
" potassae	206	" sennae	406
" stibicum	210	" simplex	405
" stibii et calcii	298	" violarum	406
" " hydrargyri	215	Tamarindus indica L.	152
" " natrii cum aqua	294	Tanacetum vulgare L.	85
" " hydrogenatum	213	Tanninum	315
" " nativum	24	Taraxacum dens leonis Desf.	90
Sulphydras ammonicus	296	Tartarus boraxatus	323
Summitates centaurii minoris	99	" emeticus	324
" origani	103	" natronatus	322
" " vulgaris	"	" tartarisatus	320
		" vitriolatus	31. 252
		Tartras kalico-natricus cum aqua	322
		" " -stibicus	324

Tartras kalicus	320	Tinctura catechu.	375
" " acidus cum aqua		" cinnamomi.	374
depuratus	321	" corticis peruviani fuscii	375
" potassae	320	" " " rubri "	
" potassae boraxatus	323	" corticum aurantiorum	"
" " et oxydi anti-		" croei.	374
monii.	324	" digitalis	375
" " " sodac.	322	" ferri cydoniata	327
Terebinthina communis	48	" " tartarisata.	371
" laricina	"	" guajaci volatilis.	376
Terra calcarea	190	" iödii.	372
" foliata tartari	316	" martis cydoniata	327
" " " crystallisa-		" myrrhae	375
bilis	317	" opii vinosa	368
" japonica	65	" rhei aquosa	364
" ponderosa salita.	219	" succini.	375
Theobroma cacao L.	129	" tartratis potassae ferrici	371
Thus	137	" valerianae.	374
Thymus vulgaris L.	104	Tincturac compositae	376
Tigilium officinale Kl.	135	" simplices	374
Tilia Europaea L.	129	Triphosphas natricus cum aqua	
" " " var. grandi-		basica.	276
" folia Ehrh.	"	Trisulphuretum kalicum	206
" parvifolia Ehrh.	"	Triticum repens L.	54
Tinctura absynthii	374	Trochisci	398
" acida aromatica.	377	" catechu.	399
" aloës composita	376	" ipccacuanhae	398
" " cum myrrha	"		
" asac foetidae.	375	Ulva crispa	50
" camphorac.	371	Unguentum acetatis plumbi	424
" cantharidum	374	" " plumbici	"
" castorci.	"	" ad scabiem	427

Unguentum album camphoratum 424	Unguentum zinci 426
„ „ simplex . . „	Urginea scilla Steinh. 59
„ Auteuricthii : . . . 425	Valeriana officinalis L. 80
„ basilicum 428	Valerianas chinicus 331
„ carbonatis plumbici 424	„ chinini „
„ „ „	„ zinci 325
„ camphoratum . . „	„ zincicus „
„ daphnes mezcrei . . 429	Venus 10
„ defensivum coeru-	Veratrina pura 305
„ leum 426	Veratrinum „
„ de garou 429	Veratrum album L. 55
„ elemi 428	Veratrum sabadilla L. 56
„ hydrargyri 425	Vinum amarum 369
„ hydroiodatis potassae „	„ chalybeatum Londinense . 370
„ iodeti kalici „	„ emeticum „
„ kali hydroiodici . . „	„ ipecacuanhae 367
„ laurinum 427	„ opii 368
„ neapolitanum 426	„ „ aromaticum 369
„ nervinum 427	„ scillae 368
„ ophthalmicum rubr. 426	„ seilliticum „
„ oxydi cobaltiei . . „	„ seminum colchici „
„ „ hydrargyrici. „	„ „ daturae stramonii „
„ „ zinci „	„ stibiatum 370
„ peroxydi hydrargyri	„ tartratis kalico-ferrici . 171
„ nitrati „	Viola odorata L. 126
„ picis 428	„ tricolor „ „
„ populeum „	Vitriolum ad albedinum calei-
„ protoxydihydrargyri 425	„ natum 265
„ simplex 423	„ album 36. 260
„ sulphuratum 427	„ coeruleum 38
„ tartari stibiati . . . 425	„ cupri 38. 257
„ tartratis stibico-	„ ferri 35
„ kalici „	

Vitriolum martis	263	Zincum cyanatum	248
" " exsiccatum	265	" depuratum	183
" viride	35. 263	" hydrocyanicum	248
" zinci	36	" oxydatum	194
Winterania canella L.	131	" purum	183
Zincum	6	" sulphuricum	36. 260
" borussicum	248	" valerianicum	325
		" venale	6
		Zingiber officinale Rosc.	63

CORRIGENDA.

- p. 199, lin. 9, acidi sulphurici *lege*: acidi sulphurici puri
" " " 11, puri *deleatur*.
" 238, " 10, ingitur *lege*: tingitur
" 323, " " duas " tres
" 333, " 17, deliquescentes; *lege*: nec fatiseentes neque deli-
quescentes;
" 337, " 25, Saponis albi *lege*: Saponis albi sevi ovilli partes sex;
" " " 26, sevi ovilli partes sex *deleantur*.
" 348, " 12, partes *lege*: partium
" 360, " 4, raneidum; prorsus pellucidum frigore *lege*: ran-
cidum, prorsus pellucidum; frigore
" 403, " 18, Harum autem succi partibus quindecim addantur
deleantur.
" " " 19, Sacchari albi partes quatuor *deleantur*
" " " 22, Sambnei nigrae. *lege*: Sambnei nigrae. Harum
autem succi partibus quindecim addantur sac-
chari albi partes quatuor.
-

